fhey 14..

[illegible]

Bad mg

Samabí anía

Samebí am' cabana

aonia

Pozo, Antonio del., Monastica Theologia...Mexici, 1618

JCBL copy lacks 4 leaves of preliminaries, pp.139-142, 179-182, 370-373, and leaves $Gggg_2$ and 3 of Index.

Medina, Mexico no. 309

MONASTICA THEOLOGIA.

CONTINENS DVBIA ET ACROAMAta, circa leges & statuta, quibus Prædicatorum familiæ Professores moderati, astringuntur, nec non circa tria vota Religionis essentialia.

OMNI RELIGIOSORVM STATVI, PER necessaria, ex Sanctorum Patrũ doctrina, ex Scholastica theologia, & vtriusq; iuris Regulis, nec non ex Summorum Pontificum indultis, & concessionibus contexta.

AVTHORE R. P. Fr. ANTONIO DEL POZO Ordinis Prędicatorum Prouinciæ Bethicę, & in hac Sancti Hypolyti de Oaxaca Prędicatore generali, & Sanctę Inquisitioni à librorum correctione, eiusdemq; Sacri Tribunalis Qualificatore.

Ad Dñum Gutierre Bernardum de Quiros Inquisitorem primum Sãctæ Inquisitionis Toletanę, & Regiæ Maiestati à consilijs.

MEXICI, Per Bachalaureum Ioannem de Alcazar. 1618.

MONASTICA

THEOLOGIA.

CONTINENS DVBIA ET ACROAMAta, circa leges & statuta, quibus Praedicatorum familiae Professores moderati, astringuntur, nec non circa tria vota Religionis essentialia.

OMNI RELIGIOSORVM STATVI, PER necessaria, ex Sanctorum Patrũ doctrina, ex Scholastica theologia, & privilegiis Regularis, nec non ex Summorum Pontificum indultis, & concessionibus contexta.

AVTHORE R. P. Fr. ANTONIO DEL POZO Ordinis Praedicatorum Prouinciae Bethicae, & in hoc Sancti Hypolyti de Oaxaca Praedicatore generali, & Sanctae Inquisitioni á librorum correctione, eiusdemque Sacri Tribunalis Qualificatore.

Ad D. D. num Gutierre Bernardum de Quiros Inquisitorem primum Sctae Inquisitionis Toletanae, & Regiae Maiestati á consiliis.

MEXICI, Per Bachalaureum Ioannem de Alcazar. 1618.

Facultas Reuerendissimi MAGISTRI ORDINIS.

NOS Frater Seraphinus siccus Papiensis totius Ordinis prędicatorum generalis Magister. Muneris nostri ratio expostulat, vt viros doctos, morum que integritate conspicuos, qui pro animarum salute, & Religionis nostræ augmento diu laborasse, & iugiter laborare dignoscimus, sincera dilectione prosequamur. Quare cum Reuerendus pater Frater Antonius del Pozo prædicator generalis Ordinis præfati, ac sacri Tribunalis inquisitionis Qualificator: typis cōmittere exoptet tractatum quemdam circa nostram regulā, & constitutiones, nec non circa tria vota religionis essentialia, varijs difficultatibus scitu dignis plenum, ac super hoc nostram requisiuisset facultatem. Eius petitioni annuere volentes, præfatam licentiam libenter elargimur: dūmodo dictus tractatus iuxta seriem nostrarum ordinatiorū à duobus grauioribus patribus accuratè recognitum fuerit: iudicatumquè vt in lucem prodire posit. Seruatis omnibus, quę secundum decreta sancti Concilij Tridentini, & constitutiones Apostolicas super hoc editas de editione librorum, & eorum vsu, seruari debent. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen Datum Romæ, in Conuentu nostro S. Marię super Mineruam, die 10. Octobris, 1613.

Fr. Seraphinus qui supra manu propria.

Fr Thomas Marinus Magister,
Prouincialis terræ sanctę

¶ APPROBATIO R. A. P. Fr. ALVARI de Grijalua, in sacra Theologia Magistri, quondam Vicarij generalis de Oaxac.

EXPLICationem & commentum in beati Augustini regulam, & constitutiones fratrum prædicatorũ, nec non circa tria vota religionis essentialia, Reuerendi Patris Fatris Antonij del Pozo prędicatoris generalis, & sanctæ Inquisitionis correctoris librorum, eiusdem que sancti Tribunalis Qualificatoris: Iussu Prouincialis capituli, attente per legi & vidi, & nihil in eis reperi quod posit (meo iudicio) pias & christianas aures offendere, imouero dignissimum censeo vt in communẽ religionis vtilitatem edatur, quippe in hoc commento (quod præcipuum iudico & difficile est) tam regula quam constitutiones nec non capitulorũ generalium acta ita inter se, seruata serie qua facta sunt distinguntur, & in ius Canonicum & ciuile redacta vt iam cuiuis vel, mediocriter in constitutionibus, & actis versato peruium sit: quid regula beati Augustinini, quidue constitutio voluerit: quod hactenus licet multi, in id desudauerint fuerat obscurum. Antequerensis primo die, Mensis Ianuarij, anno 1618.

Fr. Aluarus de Grijalua
sacræ Theologiæ Magister.

APPROBATIO R. A. P. F. HIERONYMI MOreno in sacra Theologia Magistri.

HOC per vtile opus Reuerendi Patris Fratris Antonij del Pozo predicatoris generalis, & per sanctam Inquisitionem deputati ad censuram librorum ac eiusdem sancti

sancti Tribunalis Qualificatoris, in regulam diui augustini, & constitutiones ordinis prædicatorum, nec non & tria vota essentialia religionis qua potui attentione per legi in quo nihil reperi quod sanæ fidei conciliorum decretis, & sanctorũ patrũ doctrinę esset aduersum quinimo lucet in eo Theologiæ & vtriusque iuris admirandum studium salutarique pollet doctrina, ac summo cum pietatis ac religionis monasticæ progressu typis posse mandari censeo. In villa de Huaxolotitlan in cænobio Diui Pauli, 13. de Ianuarij, anni à filio dei homine facto, M.DC.XVIII.

In sacra Theologia Magister
Fr. *Hioronymus* Moreno.

APPROBATIO R. A. P. F. ALPHONSI de Armeria in sacra Theologia Magistri, & Prouinciarium del Pirù Vicarij generalis.

EX Mandato Excellentissimi Domini Marchionis de Guadalcazar, huius Nouæ Hispanię Proregis, sedula qua potui attentione vidi, ac perlegi librum, *Monastica Theologia*, nuncupatum, quem reuerendus Pater prędicator generalis Fr. Antonius del Pozo sanctę Inquisitionis Qualificator, ac librorum corrector, magna eruditione composuit: inquo haud quaquam quid religioni, aut bonis moribus dissonum reperi: imo eruditum tractatum reputo, dubijs necessarijs, maxima resolutione absolutis plenum, circa constitutiones nostri Dominicani instituti, & circa tria vota religionis essẽtialia. Cuius doctrina ad intelligentiam statutorum aliarum religionum mirum in modum proficiet. Quare dignissimũ iudico vt typis mandetur. Mexici 14. Mensis Martij, anni M. DC. XVIII.

M. Fr. Alphonsus de Armeria.

APPROBATIO REVERENDI ADMOdum Patris Fratris Lazari de Prado, in sacra Theologia Magistri, & Prioris Conuentus S. Dominici Mexici.

VIDI, ac per legi, sedula qua potui diligentia per egregium librum cuius titulus est, *Monastica Theologia*, quem Doctissimus, & eruditissimus Pater Frater Antonius del Pozo prædicator generalis & sanctę Inquisitioni à librorũ correctione deseruiens, eiusdemque sancti Tribunalis Qualificator: summo Ingenio, & rara eruditione composuit. Qui decreto Domini Prouisoris, ac huius Metropolitanæ Ecclesię Mexicanæ Vicarij generalis, meo examini tradditus est. In quo inueni cum maxima resolutione, quęstiones difficilimas vndique absolutas magna vtilitate refertas: secundum sanctiores, & probabiliores, tam sacrę Theologię, quam vtriusque iuris doctorum sententias. In nulloque dissentiens à pia religione, & vera doctrina. Opus, si breue, vtique omni religiosorum statui vtile, ac valde necessarium Quare dignissimum iudico quod typis mandetur: & in lucem proferatur. Mexici, die 17. Marci, anno Domini M. DC. XVIII.

Fr. Lazarus de Prado
in sacra Theologia M.

APPROBATIO DOCTORIS DIDACI DE Leon Plaza huius Regiæ Mexicanæ vniuersitatis rectoris, iudicis ordinarij Qualificatoris sancti Officij Inquisitionis, Prouisoris & Vicarij generalis huius Archiepiscopatus.

ATTENTA oculorũ acie perlegi & scrutatus sum hunc librum, in scriptum *Monastica Theologia*, editũ a sapientissimo Patre Fratre Antonio del Pozo Ordinis prę dicatorũ

dicatorum, suæ Prouinciæ generali concionatore, librorum correctore à sancto Officio designato, & eiusdem sancti Officij Inquisitionis dignissimo Qualificatore, & nihil in eo inveni nostrę Catholicæ fidei bonis que moribus contrarium, sed potius doctrina & eruditione maxima abundat, in quo authoris sapientia maximè pollet, variaque adducit tam ad sacram Theologiam, quam ad ius Canonicum & ciuile pertinentia, scitu digna, omnibus religionibus vtilia, earũ legibus & statutis maxime consona, propter quod censeo tale opus, (& nouum & ab omnibus desideratum) debere typis mandati, vt exeo Dei nominis exaltatio resultet, & author insigni præmio suis laboribus debito dignus esse iudicetur.

Doctor Didacus de Leon Plaça.

APPROBATIO R. A. P. M. F. BARTHOLOmei *Gomezij Ordinis Prædicatorum, Qualificatoris Officij sanctę Inquisitionis, ac Angelici Doctoris Diui Thomæ Cathedræ moderatoris proprietarij, in Regali academia Mexicana.*

HVNC librum, cui titulus *Monastica Theologia*, ab eruditissimo P. F. Antonio del Pozo prædicatore generali, & per Officium sanctæ Inquisitionis, ad librorũ examen deputato, eiusdem què sancti Officij à censuris Qualificatore selectissimo, raro ingenio, & summa eruditione cõpositum, sedula (qua potui) diligentia euolui. Et omnia in hoc opere contenta non solùm catholicæ veritati consonãt, & conciliorum decretis, ac sanctorum patrum tradditionibus, approbatis què fideliũ moribus minimè dissonant: sed adeò eruditè ab authore differuntur, vt sententiarũ copia, vbertate canonũ, rationum pondere, insigni què veritatis resolutione maximè præfulgeant. Opus sanè religiosorum statui valdè necessarium, & ab omnibus nostræ Religionis professoribus adhuc expectatissimum, in quo author breui-

tati

tati consulens, eggregia dexteritate, promiscuit vtile dulci. Quo circa dignissimum illud censeo, non solum quòd in lucem fęliciter prodeat excussum typis: verum etiam quòd omnium oculis, ac manibus, pro communi vtilitate, versetur. Mexici in conuentu S. Dominici, die 20. Iunij 1618.

M. Fr. Bartholomeus Gomez.

Licentia Reuerendi admodum Patris Prouincialis.

FRATER Didacus de Azeuedo Prior Prouincialis, huius Prouinciæ sancti Hypoliti martyris de Oaxaca Ordinis prædicatorum, &c. Tractatus *Monastica Theologia*, nuncupatus, quem Reuerendus Pater Frater Antonius del Pozo prædicator generalis, & sanctę Inquisitioni à librorũ correctione deseruiens ac eiusdem sancti Tribunalis Qualificator, satis docte & accurate composuit: nostra licentia per duos Magistros confidentia dignos, scientiaque & doctrina pollentes examinatus & approbatus: audientięque regali pręsentatus (cuius iam licentiam obtinet) itidem & nos facultatem concedimus, vt typis præfatus liber excusus in lucem prodeat. Datis in Conuentu nostro sancti Dominici de Oaxaca 15. die Mensis Ianuarij, Anni M. DC. XVIII.

Fr. Didacus de Azeuedo Prior Prouincialis.

Ex *mandato* R. P. P*rouincialis*

Fr. Antonius Egidius Negrotus.
Socius.

PROOEMIVM

ANTEQVAM Huius prologi declarationem aggrediar ſunt aliqua neceſſario ſupponenda: Primum ſupponendũ eſt. Noſtram prędicatorum Religionẽ approbatam confirmatamque eſſe per Summum Pontificem, quod latè narrat. *Diuus Antoninus 3 par.hiſtor.titu.19.cap.3.* Quod idem ſupponitur *in capit.nimis iniqua de exceſsibus prelatorum, & capit. nimis praua, eodem titu.* Vbi Summus Pontifex ad comprimendas iniurias quas quidam, Religionibus fratrum mendicantium inferebant: adducit pro probatione ſuæ juſtitię. Quia Regulę, & ſtatuta illarum Religionum erant approbatę, & cõfirmatę à Sede Apoſtolica, & ſic earũ profeſſores non erant moleſtandi. & ſpecialiter hoc ſupponunt dicta capitula de fratribus Prędicatoribus, & Minoribus. Approbatę dico, quia non ſufficit vt modus viuendi approbatus ſit, niſi tanquam vera Religio approbetur. Quod bene docent *Gloßa Clementinę cum exeo, de ſentent. excommunicationis, Angelus Ver. religioſus, nu. 1. Syluester ver. Religio prima q. 1. Nauar. in antiqua editione capit. non dicatis, 12. q. 1. num. 13. & 14.* hæc autem

Ponti-

Pontificis approbatio non est institutio religionis, nec de eius essentia, sed exigitur vt cõditio sine qua non, quatenus integrum est Pontifici impedire, ne hæc vel illa tanquam vera Religio habeatur. Quod ex eo cõstat, quia essentia Religionum in Euã. gelio fundamentum habet: atque adeò ex hac parte non indigent Religiones Pontificis approbatione. Quare Sancti, Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus, qui Religionum authores fuerunt, nullam Pontificis approbationem requisiere, nullibi enim legitur eam esse quæsitam, quia nondum erat ius Ecclesiasticum id præcipiens. Postea verò prohibita est nouę Religionis institutio absq; Pontficis approbatione. *Cap. finali, de Religiosis domibus. in 6.* & ita docet *Bellarminius, libro secundo de Monachis. capit. 4.* Vide Sanchez de Matrimonio, disputatione 25.

Circa supradicta est difficultas. Nam postquam aliqua noua Religio confirmata est. Non propterea omnia statuta quę postea fluunt ab eiusdem Religionis Pręlatis seu Capitulis, censenda sunt virtualiter confirmata & approbata à Summo Pontifice, teste *Magistro Bañez 2. 2. quæst. 1. artic. 10. dubio octauo,* & subdit rationem, nam Summus Pontifex solum confirmat, & approbat quæ sibi expręsse proposita sunt, & insuper Pręlatis illius Religionis concedit authoritatem gubernandi, nontamẽ potest transferre, & dare illis authoritatem Pontificiam, vt non possint errare in condendis legibus circa mores reipublicæ;

blicæ; hoc enim soli Pontifici concessum est à Domino. Vnde igitur constat, quod constitutiones quę postea emanauerunt, fuerunt per summum Pontificem approbatæ? Ad hoc respondetur, quod Glossa nostrarum constitutionum. distinc. 1. capit. 15. verb. & institutiones. Dicit, quod constitutiones nostræ sunt approbatę & confirmatę per sedẽ Apostolicam, vt Patet in nostro Mari magno, scilicet, per Alexandrum Quartum, Clementem Quartum, Nicolaum Quartum, Bonifacium Octauum. Benedictum Vndecimum, Ioannem 22. Gregorium 11. Martinum Quintum, Eugenium Quartum, Sixtum Quartum. itaque, cõfirmatio prima Ordinis fuit, Anno 1216. hæ autem confirmationes supradictę fuerunt postea anno 1480

Et nota supradictam doctrinam Magistri Bañez vt conuincas multorum Religiosorum ignorantiam qui ad inuenientes excusationem vanam in peccatis; si forte vir aliquis grauis & doctus Zelo Dei prudenter repræhendit mores aliquos alicuius Religionis, aut particularium personarum defectus: statim arguentem quasi temerarium accusant quod Religionem approbatam à Summo Pontifice condemnet. Quasi Summus Pontifex huiusmodi mores repræhensione dignos approbauerit; & non potius ipsi Prælati suis incautis constitutionibus, vel per missionibus tales mores introduxerint.

Secundo supponendum est, Summum Pontificem errare non posse in approbatione alicuius Religionis

nis, quantum ad constitutiones & leges sibi propositas; ita vt approbet leges perniciosas, aut animarum saluti nociuas. Hoc late probatur à doctoribus in prędicto loco 2. 2. & probatur modo vnica tantum ratione. Nam cum Summus Pontifex approbat aliquam Religionem vtitur officio Summi Pontificis, proponens omnibus fidelibus talem Religionem vt conuenientem ad salutem eorum qui voluerint eam profiteri. Ergo si in huiusmodi approbatione Pontifex Summus erraret, perniciosè deciperet fideles proprię salutis cupidos. Vide Magistrum Bañez vbi supra, vbi oppositum non dubitat esse hæreticum.

Tertio supponendum est. Quod secundum Diuum Antoninum loco supra citato magna est differentia inter confirmationem nostrarum constitutionum, & earum approbationem à Papa, nam primo modo nō possunt ab ordine nostro tolli quia iam factę sunt Papę. Quia *nostra facimus quibus nostram authoritatem impartimur Capit. si Apostolicæ. depræhendis, in* 6. Secundo autem modo quando scilicet, solum approbantur; habent vim cuiusdam priuilegij tantum & non obligationis vt infra magis patebit.

Difficultas hic se offert de vi & virtute istius confirmationis Papę. quid nam operatur in re confirmata? Respondetur, quod operatur multum per omnem modum. Pro quo notandum est. Quod confirmatio Papæ est duplex. Prima est, ex certa scientia. quę est quando in ea inseritur totus tenor rei confir-

firmatę, vel quãdo Papa vtitur his, & similibus verbis, nimirùm *ex certa scientia.* vel quando confirmat aliquid quod vidit. Vt habetur *in capitulo venerabilis, de confirmatione vtili.* Secunda est, quando Papa confirmat simpliciter, aliter non instructus de negotio, de hac secunda non loquimur, quia parum, aut nihil operatur. Prima verò confirmatio videlicet, *ex certa scientia*, multa operatur. Primum, quod talis res sic confirmata sit maioris authoritatis. Secundum, quod res minus valida, fit valida, & habet vim innouationis, vnde per talem confirmationem nostrarum constitutionum, sunt veræ constitutiones. Tertium, quod præter authoritatem confirmantis, nullus inferior de re illa cognoscere potest. Vt habetur *in capitulo cum accessissent . de constitutionibus.* Vbi dicitur. Quod constitutio à Papa confirmata, non potest tolli nisi abeo, vel de eius speciali mandato. *vide Syluestrum, verb. absolutio secundo,* §. 4. Quartum quod operatur est, quod si constitutiones continent aliquid cõtra ius cõmune, si Summus Pantifex illas confirmat valent quantumcumque contradicant dicto Iuri cõmuni, vt videbimus infra in prologo, vbi dicitur. *quod pœnis absolutionis ab officio, priuationis vocis actiuæ & passiuæ, quantumcumque in constitutionibus, vel extra, ipso facto sint incurrendæ, etiam Grauioris culpæ (nisi excomunicationis latę sententię) nullus sit subiectus, nisi superueniat declaratio prelati in particulari respectu huius, quantumcumque notorium facti vel iuris, vel vtriusque interueniat.* Secundum ius commune,

statim quod aliquis prȩlatus, scilicet, Episcopus, vel eius Vicarius, vel Parochus incurrunt in aliquam suspensionem latæ sententiæ ab officio, non opus est quod Superior eos declaret absolutos, sed statim sunt absoluti. Vt si Episcopus ordinaret aliquem inuitum, suspenditur per annum à celebratione Missȩ. *Distint.* 74. *Cap.* 1. & 2. vel si exerceat Pontificalia in alterius diȩcesi, manet suspensus. Vt dicitur *in Concilio Trident. seß.* 7. *Cap.* 5. nec opus est alia declaratione.

In nostro tamen ordine prædicatorum secus est, quoniam quamuis Prior incurrat in pœnam ipso facto absolutionis ab officio, & alias pȩnas; non statim est absolutus vsq; dumveniat declaratio prȩlati in particulari respectu huius. Sed aduerte quod solum intelligitur in pœnis absolutionis ab officio, priuationis vocis actiuȩ vel pasiuȩ grauioris culpȩ, & alijs maioribus quȩ innostris cõstitutionibus, vel extra mandantur. Quoniam si ius commune imponeret dictas pȩnas Religiosis nostri Ordinis, non requiritur declaratio Prælati nostri in particulari: sed statim religiosus contra faciens incurrit in eas & similiter incurret pœnã excommunicationis latæ sententiæ, quæ habetur in constitutionibus sine alia declaratione Prȩlati. Quoniam hȩc pœna excipitur in prologo.

INCI-

Incipit Prologus.

PRO Huius Prologi maiori claritate necessario animaduertendum est. Quod Glossa constitutionum nostrarum à Magistro Bandello composita & ibi applicata, regulari diligenter debet cum constitutionibus nouis Salmanticę impręssis anno 1559. & Romę anno 1566. Iussu Reuerendissimi Iustiniani; qui in prologo quem edidit, & eisdem præfecit de hoc admonitos maximè nos vult, & ita quādo legeris dictam Glossam, perpende Lector, & cōsidera, an ea quę ibi dicuntur, constitutionibus nouis quas diximus refragentur; semper enim stare debemus cōstitutionibus emmendatis. Imo Glossa ipsa non vndequaque secum conuenit. Nam Ordinationes, & declarationes Capitulorum generalium, quę nouiter in constitutionibus, cum antiquis adduntur per Reuerendissimū Iustinianum, exdiametro opponuntur, & cum simul noua, & vetera absq; censura apponantur, fouea proculdubio Lectori paratur vt multoties contigit. Quæ omnia propοsse suis in locis explanabuntur. In quorum declaratione, cum constitutiònes nostrę Iura particularia dicantur, & sint, ideo in earum explicatione ad Iura Pontificia multoties recurrendum est, & videre quomodo à iuris peritis interprętantur, vt inde, & nos formam intelligendi, & interprętandi Iura nostra habemus.

Iste

Iste recursus ad Iura Canonica ad veram nostrarũ constitutionum interpretationem, constat. *Ex capitulo ex literis, de Constitut. & cap. cum dilectus de consuetudine & melius capit. causam de rescriptis.* Vbi dicitur, quod ordo rescripti, interpretationem recipit à Iure communi. & sic Felinus. *In capitulo Pastoralis de rescriptis, num. 9. §. 1. inquit.* Quod appellatione Canonum veniunt statuta inferiorum; quę sunt synodales constitutiones quę ab inferioribus Papa fiunt: & quod talia statuta debent secundum Ius commune interpretari. Idcirco omnia dubia quę in progressu huius operis se obtulerint, doctrina Iuristarum dissoluentur.

Dubium I.

QVAM Authoritatem habet Glossa Constitutionum nostrarum quam Magister Bandellus apposuit?

Ad hoc dubium Respondetur sub distinctione. Nam aliquando Magister Bãdellus loquitur vt Doctor, declarans suam sententiam, quod sępe de Papa dicimus. *Capit. maiores, de Baptismo.* Aliquando vero vt Legislator declarans legem suam. Quando loquitur primo modo, multoties reijcitur à Doctoribus & merito, quia tunc non aliud robur habet sua declaratio, quam quod sua ratio, & probationes attulerint. Vt est videre in declaratione contemptus

tus in hoc prologo, num. 6. & distint. 1. fol. 40. declarat quid est contemptus, & quando est peccatum mortale, quod est intolerabile, & impugnatur à Caietano 22. quęst. 186. Arti. 9. & in suo loco nos dicemus. & illud distint. 2. Cap. 18. fol. 60. quod scilicet, potest Iudex contra infamatum de aliquo peccato, inquirere de alijs etiam si sint occulta. Quod etiam impugnatur à Caietano, & ab omnibus bene sentientibus in 22. quest. 69. art. 1. & 2. & ab ipsa Glossa noua, & distinctione 1. cap. 20. in principio, & capit. 16. fol. 56. ait quod est culpa, & (vt ibi colligitur) venialis non facere pœnitentias taxatas à constitutionibus, vel taxandas à pręlatis. Quod impugnat idem Caietanus eodem loco, artic. 9. ad tertium dubium, & probat hac ratione. Quia non faciendo pœnitentias taxatas non facit nisi contra cōstitutiones, quæ non obligant ad culpam, nisi propter pręceptum vel contemptum & illud distinct. 1. cap. 14. fol. 40, quod videlicet, transgrediens mandatum sub pæna carceris, vel grauioris culpę, mortaliter peccat, quod est falsum & contra prologum, num. 3. vbi dicitur. Quod transgressio harum pœnarum non inducit peccatum mortale, quia constitutio solū excipit quando aliquid pręcipitur in virtute sanctę obedientię, & sub pœna excommunicationis, & postea fuit à sede Apostolica approbata, vt dictum est.

Quando vero Magister Bandellus loquitur vt legislator declarans suam legem, maxima illi de-

betur reuerentia. Pro quo nota, quod declaratio Magistri ordinis, vel Capituli generalis circa dubia constitutionum, vel circa acta capitulorum generalium, facit Ius. Et debet tamquam tale ab omnibus subditis seruari, vt notat glossa prologi nu. 7. quod etiam habet Panormitanus Cap. 1. *de postulat. prelatorum*. Dicens, Quod declaratio principis super lege dubia, omnes subditos ligat. itaque glossa hæc nostrarum constitutionum, vbi ei per textum nouū, vel per aliud non derogatur; habet maximam authoritatem, nam etiam si sit solius Magistri ordinis declaratio, vel ordinatio, vel concessio, est perpetua, & seruanda, vt habetur in hoc prologo nu. 8. qua propter in capitulo generali Mediolani celebrato, anno 1506. mandatur, vt Priores habeant cōstitutiones cum hac glossa & legi faciant, & sic esse in vsu quod prelati hac glossa vtuntur in iudicādo, & ordinando videmus & experimur. Et non mirū, glossa namque hæc continet ordinationes, & declarationes quę à tempore prefati Magistri Bandelli, ex generalium capitulorum actis, statutę, ordinatę, & declaratæ fuerunt vsque ad annum 1566. ex quibus patet authoritas prædictæ glossæ, habet enim vim ordinationum, & declarationum capitulorum generalium quæ est magna, obligans vniuersos ordinis professores ad sui obseruantiam.

Syluester verb. Constitutio. Ait, quod dictæ ordinationes Capitulorum generalium non obligant si non

Pra-

Practicantur in obseruando. Et à fortiori quando non sunt in memoria, quia abrogari possunt multo fortius quam constitutiones. *Vide* Diuum *Antonin. titu.* 24. *Cap.* 2. *p.* 3.

Dubium. 2.

AN Teneantur omnes prouinciæ, & maxime prouinciales harum partium indiarum obedire omnibus, quæ in actibus Capitulorum generaliũ mandantur. Vel ab ipso Magistro generali?

In hac materia, in memoriam reuocanda est doctrina illa communis, videlicet, quod de ratione legis est, quod pro mulgetur ijs cum quibus loquitur, secundum Diuum Thomam 12. *quest.* 90. *artic.* 4. Et quod hæc promulgatio debet fieri ab habente curã communitatis, ex qua doctrina sequitur, quod ad hoc quod acta capituli generalis nos ligent, venire debent authentica vt moris est cum sigillo ordinis, & firma Reuerendissimi Magistri, vel transumptum talium actorum manu notarij, vt colligitur *Ex cap.* 2. *de fide instrument.* Et debet interuenire authoritas iudicis. & si hoc non potest haberi, sufficit sigillum prouincialis, vel prioris cõuentualis manu alicuius notarij quẽ pro negotijs suæ iurisdictionis creare possunt. Secundo riquiritur quod acta hæc publicẽtur. Et si non publicantur à supradictis personis,

dato venerint ad nos, videlicet, ad prouinciam,nō ſumus in obedientes ſi ea quæ ibi mandantur non ex equimur. Lex enim non obligat ante eius promulgationem, immo de ratione legis eſt promulgatio, vt diximus à principio dubij; quę promulgatio non niſi ab habente curam communitatis fieri debet, perſona enim particularis promulgare non poteſt quę ſunt iuriſdictionis ipſius Communitatis.

Per ſupra dicta patet reſponſio ad dubium,nimirum, quod acta Capitulorum generalium, vel literę Magiſtri ordinis ligant nos ſicut membra ordinis; at vero non aliter ligant nos,quam per ea alij fratres ligantur,putà, quando in ſuo originali vel trãſumpto venerint, vt dictum eſt, & ſtatuitur, *In capitulo 1. & vltimo, de fide inſtrumentorum*. Et in ſuper habemus ſuper hoc priuilegiũ Clementis ſeptimi prouincię mexicanæ conceſſum (quo etiam gaudet hęc nouiter erecta Sancti Hippolyti martyris de Oaxaca poſt ipſius diuiſsionem al illa, quia quando diuiduntur ciuitates vel diœceſes non diuiduntur gratię Apoſtolicæ, vt patet *in extrauaganti vnica, de offic. delegati*) Quod videlicet, non teneamur ad obſeruantiam ordinationum Capitulorum generalium etiam pro tempore editarum, niſi poſtquam nobis plenè intimatę fuerint, nec ad aliud aliter cogi, vel propterea aliquas cenſuras, vel pęnas incurramus, & ponuntur fortiſsimę non obſtantiæ. 1532.

Ex quibus patet, quod debent recipi,& promulgari

gari nobis ab habente authoritatem, ſcilicet, à Prouinciali, vel à capitulo prouinciali, vel ab alio cui committatur. Quia intimatio mandati ſuperioris petit applicationem per miniſtros, vt patet ex vſu. Non enim debeo notificare mihi pœnam latam à iudice contra me. Item, quia quę ſunt iuriſdictionis, ab habente iuriſdictionem debent exerceri, pro quo agit *Capit. cum in Iure, de officio Iudicis delegati, & Panormitanus ibi & Cap. 1. de Poſtulatione prælat. vide Syluest. Verb. delegatus. §. 4.*

Dices, hoc verum eſſe reſpectu ſubditorum, non autem reſpectu prouincialium quibus diriguntur literę Magiſtri ordinis, vel acta Capitulorum generalium. Reſpondetur, quod dupliciter poſſunt conſiderari huiuſmodi literę. Vel loquuntur & diriguntur ad ſolos prouinciales, quibus mādatur aliquid ſub pœna excommunicationis. Vel quod ipſi mandent tale quid in ſua prouincia, vt in actis Capitulorum generalium communiter venit. Primo modo ſtando in iure communi, non obligant quo vſque notificentur literæ ipſi prouinciali, vt dictum eſt.

Sed contra, quia vſus in noſtro ordine eſt in cōtrarium, quod ſtatim vt prouincialis videat tales literas in authentico ligetur eis. Vt ſi Prior mittat literas ſuo ſubdito, mandās ei aliquid ſub pręcepto, ſtatim videmus ſine aliqua ſolemnitate ſubditum ligari ad obediendum; nec aliquis timoratę conſcientię audebit oppoſitum facere. His tamen non

 obſtan-

obstantibus censeo, non ligari prouincialem in casũ dicto, tum propter priuilegium Clementis septimi concedens quod non ligetur nisi postquam plenarie ei fuerit intimatum. Vbi nota illud, *Plenarie*, & illud *intimatum*, vt primum, petat scripturam authenticam, secundũ quod habetur *in Capit. vlti. de fide instrument.* & secundum, videlicet, *intimatum*, requirat tertiam personam quę intimet. Tum etiam, quia vt dictum est, durum videtur quod ego mihi ipsi sententiam superioris notificem, & idem dico, etiã si Prior per Epistolam misiuam imponat pręceptũ subdito suo: propter easdem rationes. Nec obstat illud de vsu, illud namque magis est perfectionis, quam obligationis. Quam obrem caueant prelati, ne in literis misiuis sententiam excommunicationis subdito imponant sine testibus, & causa expræssa, nimirum, quod quando notificetur dicta axcommunicatio sit coram duobus testibus, & in mandato expræssetur causa obquam dicta excommunicatio fulminatur. Aliàs enim pœnam iuris incurret. *Capit. sacro, d sentent. excommunic. & Cap. cum medicinalis, eo titu. in 6.* Vbi interdicitur eis ingressus Ecclesię per mensem, nec super hoc habemus aliquod priuilegium eximens nos ab obseruantia iuris canonici. Non tamen desunt aliqui grauissimi iuristæ dicentes, non habere locum hanc pœnam contra regulares.

Secundo modo possũt hę literę considerari, quãdo diriguntur ad Prouincialem vt ipse aliquid suis subditis

ditis pręcipiat, & tunc idem dico quod ſupra. Addo tamen, quod huiuſmodi literę recipi ſolent in capitulo prouinciali, & ibi promulgari & pręcipi vt obſeruentur. Et tunc habemus priuilegium Reuerentiſsimi ſenarij, nimirum, quod integrum eſt prouinciali declarare dubia, ac ſi ipſemet declararet. & notandum, quod hęc conceſsio eſt perpetua quia ratione officij indulta fuit. Argumentū. *Ex capit. ſi gracioſe, de reſcriptis, in 6.* Cum notatis ibidē. Et Magiſter Caſtelion conceſsit prouinciali Mexicano vt ipſe cum Patribus prouincię poſsit, habito maturo conſilio moderari, & ſiue in toto ſiue in parte prętermittere mandata ſua, donec ſuperioribus reſcribatur, ac eorum reſponſum habeatur. Hęc priuilegia reperies in authentico in conuentu ſancti Dominici Mexici.

At, in Capitulo generali Pariſijs celebrato, anno 1611. Admonentur prouinciales, & prouinciarum Vicarij, & quicumque capitulorum Diffinitores, conformiter ad id quod in capitulo generali Romę celebrato, anno 1589. Sancitum eſt. Scilicet non eſſe in poteſtate alicuius prouinciæ prætextu alicuius conſuetudinis, vel priuilegij, non acceptare acta capitulorum generalium. Et reuocat, & annullat quamcumque conſuetudinem, ſeu priuilegium in contrarium exiſtens. Et hoc authoritate Apoſtolica, & ſic remanemus in iure communi. *Sed in capit. ſi quādo, de reſcriptis,* datur remedium.

Aduer-

Aduertendum tamen est, quod si acta Capituli generalis, seu literę aliquę Magistri ordinis impediant indorum conuersionem, vel statum & formã expedientem eorum conuersioni, & manu tentioni, tunc poterunt declarari, vel moderari, vel prętermitti in toto vel in parte absque eo quod superioribus rescribatur, sed absolute. Et hoc virtute breuis Adriani Sexti. Postquam enim dictus Papa in prima concessione dixit, quod omnes fratres Indiarum permanerent sub obedientia Magistri ordinis. Addit, dum modo nihil eis imponatur in prę iudicium dicti transitus ad instructionem indorum. Nec conuersionis infidelium, decernentes, quidquid absque suo ex prężso mandato & assensu fuerit super his attentatum, nullius sit valoris, & momenti. & quidem indecẽs valde est in capitulis nostris generalibus ita frequentèr authoritatem summi Pontificis aduocare ad valorem eorum quæ ibi statuuntur, cum derogatione priuilegiorum Apostolicorũ quibus prouincię longè distantes à Reuerendissimo Magistro Ordinis gaudẽt. Nam vltra hoc damnum, regitur Ordo prędicatorum non vi constitutionum & ordinationum suarum, sed superiori, & Apostolica authoritate.

Sed notandum valdè est, quod quando aliqua ordinantur, declarantur, vel conceduntur à capitulo generali, seu ab ordinis Magistro authoritate Apostolica. Non mutant speciem, & naturam quam alias habe-

haberent, ſi ſola ordinis authoritate facta fuiſſent. In primis non obligant nos ad culpam. Secundo, capitulum generale ſubſequens poterit ſola ordinis authoritate tollere, ſicut & quomodo aliàs poterat ſi non authoritate Papæ facta fuiſſent. Quod probatͫ ex Panormit. *Capit. ad noſtram de confirmatione vtili, nu.* 67. vbi inquit quod ſi Papa concedit fratri prioratum ſui ordinis, ſiue ex negligentia Abbatis quia tempore ſuo non prouidit; vel ceſſante hac negligẽtia; non alteratur natura dicti prioratus: ſed poteſt facere, & poteſt ſe habere cum iſto Priore ſicut aliàs ſi via ordinaria inſtitutus fuiſſet. Immo indubio, ſcilicet, quid voluit Papa facere, perpetuum ne vel tẽporalem iſtum Priorem, debemus tenere quod nõ voluit alterare regulam, & conſtitutiones ordinis; quia hoc congruit bono obedientiæ. Hoc idem debemus dicere de ordinationibus authoritate Papę editis, & de alijs ſtatutis, quia hoc congruit bono ordinis regimini, & tanto conſilio ordinato.

Si vero Papa concedit Prioratum perpetuum alicui religioſo, non poteſt ab eo remoueri. Prout tradunt Ioannes Andreas, & alij Doctores *in capit. in pręſenti, de officio ordinarij, lib. 6, & cap. cum ſingula, de præbendis, in 6.* adeò vt dicat Archidiaconus *in dicto Capitulo. in præſenti.* quod ſi Papa conferat, Monacho prioratum, non tenebitur renunciare ad pręceptum Abbatis, quia quantum ad hoc eſt exemptus abeo, ſicut filius emancipatus à Patre. & ad hoc allegat *capitulũ*

si Monachus, 16. *q*. 1. & eamdem opinionẽ tenet Baldus, in capit. illud de maior. Quæ omnia confirmantur ex Regula iuris, in 6. videlicet, *decet beneficium principis esse permansurum*, Regula 16.

Dubium. 3.

AN Declarationes seu interprętationes quas capitulum generale vel Magister Ordinis dant super constitutiones, vel alia statuta ab illis emanata, sint obligatoriæ?

Hoc dubium aliquantulum est dubij primi explicatio pro cuius decisione, Notandũ est primo, quod declaratio est dubij, seu obscuri expositio, quando enim res est clara, non est necessaria prælati declaratio, quia secundum Ius in claris non est opus coniecturis, vnde subditus obligatur ad faciendum id, quod per regulam sibi clare præcipitur, non obstanti declaratione contraria ipsius prælati, in hoc enim non tenetur illi obedire, nisi ipse prelatus pręcipiat aliquid dispensando, vt dicemus infra, *Verbo Praelati, dubio primo*, itaque declaratio semper tendit ad aperiẽdum dubium clausum, cuius intellectus non vsque quaque apparet.

Secundo nota, quod huiusmodi declaratio non debet esse contra constitutiones, quia esset destruere textum, vt inquit glossa in hoc prologo, numero 7. & sic

ſic declaratio illa non debet continere manifeſtum errorem peccati,vel contradictionis ad Legem Superioris, *Argumentum,ex capit. 1. de conſtitut.* vel non debet extra alia à dubijs conſtitutionum,vel actorum capituli generalis verſari. tunc enim declarans,non loquitur nec declarat vt princeps legem ſuam dubiam, ſed loquitur vt Doctor,& ſic non aliud robur habet talis declaratio, quam habere dignoſcitur ratio adducta .

Hoc ſuppoſito,dico primo,quod Capitulum generale,vel Magiſter ordinis declarare poſſunt dubia circa cōſtitutiones & acta Capitulorum generalium occurrentia.Sic conceditur illis in hoc prologo, nu. 7. & talis declaratio horum Reuerēdiſsimorum patrum facit Ius, vt diximus & debet ab omnibus obſeruari. Ita Gloſſa,num. 7. & probat Panormitanus. *In Capitulo 1.de poſtulatione prçlatorum.* Supra citato dicen, quod declaratio principis ſuper lege dubia omnes Subditos ſuos ligat. & propter hoc indiuerſis Capitulis generalibus à principio ordinis vſque ad hæc tempora fuit pluries ordinatum,quod huiuſmodi declarationes debent à ſingulis conuētibus cum ordinationibus ibi factis in aliquo quaterno ſcribi ,& tèr vel quater in Anno congregatis fratribus legi.

Dico ſecundo,quod ad hoc quod iſtę declarationes tam Magiſtri ordinis, quam Capituli generalis obligent nos tam inforo conſciētiæ,quam inforo exteriori non opus eſt illas promulgari,quamuis enim

vt leges obligent, neceſſaria ſit earum promulgatio, at, vt declarationes legum iam publicatarum & receptarum obligent, non eſt neceſſe quod publicentur. Sufficit enim quod leges ipſę ſint promulgatę & receptæ, ad hoc quod earum declarationes a principe, vel ab eo qui eius fungitur authoritate datæ, obligent eo modo quo ipſę leges obligant. vide circa hoc, Emmanuelem Rodrig. Tom. 1. quæſtionum Regularium, quæſt. 11. Artic. 2.

Dixi vel ab eo qui eius fungitur authoritate, quia modo in capitulo generali Pariſijs celebrato Anno 1611. poſt quam confirmatur ordinatio Capituli generalis Romæ, Anno 1542. Quod ſcilicet, acta Capituli generalis ſtatim per totum Ordinem publicentur, & non expectetur Capitulum Prouinciale. Datur à prædicto Capitulo generali facultas Diffinitoribus poſt Capitulum diffinitorum, & Prouincialibus poſt Capitulum Prouincialium, vt ſiquę circa acta Capituli generalis difficultates, & dubia ſuboriantur, ea explicare, & declarare poſsint. Quorum explicationi, & declarationi ſtandum erit, (inquit) quo vſque à Magiſtro generali aliter fuerit determinatum. Circa quod aduertendum eſt, quod talis declaratio ab his patribus data, non debet cenſeri ſicut declaratio doctrinalis lata à doctoribus, & iuris peritis; ſed ſicut declaratio lata à viris habentibus authoritatem, & facultatem ad declarandum ab ipſo legislatore, vt eſt Capitulũ generale, & vt talis

obligat

obligat ſecundum ius Canonicum. *In cap. inter alia, de ſententia excommunicationis*.

Dico Tertio, quod declaratio, & interpretatio noſtrarum legum in capitulis generalibus, vel prouincialibus editarum, taliter fieri debet, quod ipſa lex minimè in vtilis redatur. Pro vt dicitur, *In leg. non dubium. Capit. de legibus*. Qui enim contra faciunt, quamuis amplectantur verba legis, contra voluntatem legislatoris in ſurgunt. Quod prohibetur, *In l. ſcire oportet, de tutor, & curat.* Denique, vt ſit bona declaratio legis, debet eſſe vtilis, & non ridicula, prout tenet baldus, *Conſ.* 25. Adeò quod etiam ſi lex odioſa ſit, & vt odioſa ſtrictè ſit interprętanda, debet tamen ampliari ne inutilis, & ridicula redatur. Verbi gratia, cũ excommunicatur mittens arma ſarracenis, includitur ferens arma. Et cum inter dicitur ciuitas, interdicuntur ſub vrbia. Et in teſtamento clauditur codicillum. Omnes iſtę leges pęnales extenduntur ab vno caſu in alium, quia aliàs eſſent fruſtratoriæ.

Et confirmatur ex doctrina Abbatis in Capitulo 1, de conſtitutionibus, dicentis. Quod licet in dubio pręualeat illa interpratatio legis quę eſt benignior: tamen plurimum debet attendi proprietas verborum, ſecundum Gloſsã, *In leg. non poſſunt, ff. de legibus*. Vnde debet in pęnalibus fieri interprętatio lata, quatenus verba concedunt, & ibi conſtat de expręſſa, & ſub intellecta mente diſponentis, tunc enim li-

cita eſt extenſio non ſolum in fauorabilibus,ſed etiã in correctorijs & odioſis.

Declaratio autem ſeu interpretatio priuilegiorũ Apoſtolicorum, ſoli Summo Pontifici reſeruatur. Capit. cum veniſſent, de iudicijs.Non tamẽ prohibetur doctrinalis ſeu magiſtralis declaratio. Quam non ſolum prelati religionum, ſed etiam quicumque literati ſecundum naturalem rationem,& iuris fundamenta preſtare poſſunt priuilegijs, & legibus quibuſcumque, non ſolum reſpondendo pecurialibus queſitis, ſed etiam publica commentaria edẽdo.

Si tamen prelati religionum in dubijs emergentibus circa priuilegia Apoſtolica,& Canones,declarationes iudiciales in ſcriptis, vel alias facerent, prohibendo ſub aliqua pena ne ſubditi alia poſsint vti interpretatione, peccarent vtique, & ſua declaratio eſſet nulla; quia talis declaratio Papæ reſeruatur. Verum tamen ſi ex alicuius legis Apoſtolice vel Priuilegij promulgatione, dubia interſubditos ocurrunt, & precipue ſi talia dubia ſpectent ad totã cõmunitatem,poterunt quidem prelati doctrinalem quamdam interpretationem concedere, & ad eius obſeruantiam ſubditos admonere, interim quod ad Summũ Pontificem recurritur.In hoc enim nulla inuenitur prohibitio,immo eſt bona gubernatio.Et ſic Innocentius Octauus ordinauit pro religioſis noſtri ordinis predicatorum congregationis Hiſpanie ſuper gratijs, & priuilegijs tam ordini quam congre-

gatio-

gationi prędictę concessis. Pro securitate enim cõscientiarum prædictorum fratrum cõcessit facultatem Vicario generali dictę congregationis pro tẽpore existenti, cum aliqua persona in dignitate cõstituta, & duobus alijs iuris consultis, interpretandi huiusmodi dubia. Et quod fratres dictę congregationis securè possint stare declarationibus per eosdem faciendis. Habetur in compẽdio Priuilegiorum, Verb. Declarare, concessione secunda, & refertur à Patre Emmanuele Rodrig. Tomo primo questionum regularium, quest. vndecima, art. 5.

Et Summus Pontifex Leo decimus (in supplemẽto Concessione 287.) Concessit, quod fratres qui sunt nimis scrupulosi possint in omnibus dubijs suã conscientiam tangentibus, secura conscientia stare determinationi sui Guardiani, vel Prioris, vel cuiuscumque alterius prelati. Et aduertendum est, quod hoc conceditur etiam Supprioribus, Vicarijs, & præsidentibus. Quamuis enim tales non sint prelati, & Concessio supra dicta prelatis concedatur; quia tamen hoc Priuilegium fundatur in fauore publico animarum & pia causa, & fauorabili, recipit quidem extensionem de vna persona ad aliam ex paritate rationis.

Monuerim tamen supradictos prelatos, quod si dubia sint circa leges, & Priuilegia literas què Apostolicas circa in cursionem alicuius pęnæ, & res deventa fuerit ad iudicium; poterit quidem prelatus

sequi

ſequi opinionem quę ſibi verior apparuerit in infligenda pęna vel abea releuando. Et tunc ſententia erit valida & firma, quia ſecundum practicam iuriſtarum, ſe ntentia lata contra ius dubium, non eſt nulla , ſed valida . Ita Panormitanus , *In Capitulo primo, de ſententia, & reiudicata, num. 9.*

Ad maiorem declarationem dictæ conceſsionis Leonis decimi, aduertendum eſt , quod declaratio prælatì quando aliquis caſus particularis dubius inter religioſos contingit, eſt optima ad timoratas ſubditorum conſcientias ſedandas, vt tranquilitate in illo caſu dubio gaudeant, & vt talis maximè à Theologis commendatur. Propter quā cauſam tenetur religioſus tali declarationi pręlati ac quieſcere, captiuando intellectum ſuum in obſequium ipſius declarationis vt timorem euadat, & quietus conſiſtat, iuſta Diuum Thomam.12 *quæſt. 96. in iorporę, & ad 2. & 2.2. quęſt. 147. artic. 4. & Caetanus ibi.* Qui ait malè & imprudenter agere pręlatos qui dubitantibus eorum ſubditis anteneantur ieiunare, hoc ſuis conſcientijs remittunt; debent enim vt patres compati in firmitatibus ſuis. Idem ait, *Syluester, verb. obedientia.* Et Caietanus laudat maximè ſubditos ſequētes in rebus dubijs declarationem ſui pręlati, intelligentes ipſum vt ſapientem prælatum minimè errare poſſe in his, quę ad eorum ſalutem neceſſaria ſunt; & ipſum poſſe in tali caſu diſpenſare, & ſi declaratio eius in eo caſu locum nō habeat: quia

inforo

in foro conſcientiæ præſumendum eſt pro pręlato, dum ſubdito non conſtat defectus cauſæ, quippe ſubditi non eſt, facta pręlatorum diſcutere. Sicut quando princeps diſpenſat motu proprio in iure humano, pręſumitur adeſſe cauſam iuſtam præſumptione iuris, & de iure, Vide Sanchez lib. 8. de diſpenſationibus, diſputatione ſeptima. nu. 14.

Dubium Quartum.

DVBIVM pręcedens poſtulat ad plenam notitiam materię illius, modum & normam ad verè, & rectè declaranda tàm ſtatuta noſtrorum Capitulorum Generalium quę leges noſtrę ſunt, quã alia ſtatuta & reſcripta Pontificia quę veniunt ad nos, quod maximè neceſſarium eſt. Ideo aliquas regulas ex varijs doctoribus collectas in mediũ producere decreui.

Prima regula ad intelligentiam ſtatutorum, & reſcriptorũ eſt, quod aſpicienda ſunt ipſorum proęmia ad videndum eorum cauſam finalem, & legis latoris mentem, & intentionem. *l. fin. ff. de Hęred. inſtit* Ex verbis namque proœmij colligitur mens diſponentis ſecundum Panormitanum, *in Cap. aduerſus de immunit, Eccleſ. num. 2.* & hęc doctrina eſt notãda ad quam non aduertentes multi errauerunt, cõſiderando ſolum diciſionẽ legum abſque diſcurſu

ad intentionem legislatorum quæ in proœmijs reperitur.

Secunda regula eſt, quod voluntas, legis latoris declaratur à vero ſimili, nam qui arguit à vero ſimili, arguit à ratione naturali cum ſimilitudo ſit cognita naturæ. *Leg. non eſt vero ſimile, ff. de eo quod metus cauſa. Baldus conſil.* 180. *num.* 3. Ille enim qui habet vero ſimile proſe, habet caſum legis proſe; vnde verba generalia conſtitutionum, ad vero ſimilia extenduntur. De quo vide, *Tiraquellum in leg. ſi vnquã, num.* 37. *& ſequentibus.*

Tertia Regula eſt ad declarationem gratiarũ, & Conceſsionum. Quod ſcilicet, recipiunt interpretationem à ſupplicatis; concedens enim preſumitur ſe menti, & intentioni ſupplicantis conformare, ita deciditur, *In capit. cũ inter dilectos, de fide inſtrumẽt. §. ceteri.*

Quarta Regula eſt, quod verba legum, ſtatutorũ, & preuilegiorum debent intelligi ſecundum id ad quod principaliter proferuntur à legis latore. Exẽplum poteſt eſſe, *In leg.* 1. *§. non autem, ff. de Flumin.* Vbi Vlpianus inquit, quod illa verba pretoris in principio legis poſita, ſcilicet, ne quid in flumine ripa vè fiat, quo ſtatio nauigio de terius fiat. Que verba de flumine nauigabili intelligenda ſunt, quia clarè patet ad id principaliter eſſe prolata, & verba poſita ad vnum finem, ad illum finem ſunt declaranda, *Cap. Finali, de verbor. ſignific.* Et actus agentium non operatur vltra eorum intentionem, vt ait Philoſophus relatus

relatus, I*n leg. non omnes, ff. de rebus creden.* Quæ Regula est Magistralis & valde notanda, & per eam defendit Magister Medina, & alij Theologi in 1. 2. quęst. 112. Concilium Tridentinum dicens, nos iustificari per gratiam, & Charitatem difussam ab Spiritu Sãcto in cordibus nostris, non diffinire nos iustificari per habitus infussos in animabus nostris in herẽtes, cum illa verba non ponantur in illo decreto ad hoc diffiniendum; sed principaliter contra lutherum, nos non iustificari ab extrinseco per non imputationem peccati, sed ab intrinseco per quandam renouationem interiorem.

Quinta Regula est pro intelligentia constitutionis Bonifacij Noni in fine nostrarum constitutionũ & aliorum statutorum disponentium quod in causis regularium non seruentur apices iuris; sed debet procedi de bono, & ęquo. Multę enim leges iubẽt vt in aliquibus casibus procedatur de bono, & ęquo & non seruatis apicibus iuris. Et quidam iuris cõsultus, I*n leg. si seruum, §. sequitur. ff. de verb. obligatione inqnit.* Sæpe sępius perniciose erratur allegata solum authoritate iuris. Qui vult dicere, quod non debẽt iudices iudicare, neque casus determinare secundũ rigorem iuris, sed secundum ęquitatem naturalẽ, quam iuris consultus bonum, & ęquum appellat. Pro quorum terminorum intelligentia est aduertendum, quod isti termini rigor, & apex iuris, etiã si opponantur istis terminis bonum & ęquum, non

inde debet inferri rigorem, &apices iuris esse mala,& in iusta, iustissima enim sunt vbi secundum ius obseruari debent. Multi enim sunt casus in quibus secundum rigorem, & apices iuris, & non debono, & ęquo debent iudices iudicare;& in quibus si procederent secundum rigorem,& apices iuris, & non debono , & ęquo iniuriam maximam iustitię facerent. Et apices iuris cum pleno rigore obseruari iubentur ad euitandas hominum calumnias . Nam sicut videmus hominem inimicos habentem cautè viuere, armis armatum in cedere, qui cessante necessitate arma deponit: ita similiter iura considerātia columnias hominum, multarum solemnitatum fuerunt inuentatricia, quibus velut armis, & munitionibus dictis Calumnijs ob viarent : vt patet in solemnitatibus testamentorum, contractuum, & similium, quę solemnitates apices iuris nuncupantur,quos ipsum ius seruare iubet vbi necessitas postulat; quas etiam in alijs casibus pręcipit deponi, & iubet Vt de bono, & ęquo, & de plano secundum naturam , & ius gentium in his procedatur. Et sic videmus quod in testamento ad pias causas, præcipit deponi solemnitatem testium dicens, quod in hoc casu sufficit vt procedatur secundum naturam & ius diuinum, secundum quod in ore duorum vel trium stat omne verbum : & hoc est procedere de bono, & ęquo, id est secundum ęquitatem , & non secundum rigorem iuris,prout declaratur I*n leg, bona*

fides

fides ff. de poßeſ. Hoc ergo modo debent declarari dubia ſtatui religioſo conducentia, nam in his rigor, & apices iuris deponi debent; oportet enim religioſos procedere de bono, & ȩquo ſecundum ȩquitatē naturalem, & proprias conſtitutiones, quȩ ſunt ius gentium eorum. Aduertant tamen prȩlati quomodo de bono, & ȩquo ſecundum ȩquitatem in cauſis ſubditorum ſe habent: nam vt notat, *Baldus in Rubr. cap. de conſtit. pecun.* Non debent ipſi procedere ſecundum ſuam imaginationem, & ad libitum, ſed prudenter ſecundum terminos iuris. Et ita ipſe Baldus. *In cap. 1. §. qui vidim. de his quæ feud. Dare poſſeſ.* ſapienter dixit, quod humanȩ ȩquitates in ſe vim ſtatuti minime habent, niſi aliquo ſtatuto, & conſuetudine legitime prȩſcripta ſint munitȩ. Et ita debent interprȩtari ea quȩ pertinent ad regulares, nō ſecundum apices iuris, ſed de bono & ȩquo, non ad libitum, & beneplacitum cuiuſcunque, ſed iuridice ſecundum terminos iuris naturalis & gentium, quod eſt ius noſtrum, ſcilicet Regula, & conſtitutiones. Vide Emman. Rodrig. *Tom. 2. qq. Regul. quȩſt. 3. art. 1.*

Illa igitur Clauſula Summi Pontificis Bonifacij, nēpe iuris ordine poſt poſito, intelligenda eſt, quod iuris poſitiui ordine poſt poſpoſito procedant prȩlati in correctione ſuorum fratrum. Nam quanuis nullus eximatur à iure communi ad quod omnes catholici tenentur, Cap. Canonum, de conſtitut. in hoc tamē diſpenſantur prȩlati, vt tantum illa obſeruent

 uent

uent quę sunt de iure naturali, vt scilicet, non procedant nisi contra infamatum per acusatorem, vel per rumores vel per indicia. Item quod nõ feratur sententia nisi in confessum vel conuictũ, & in scriptis, & quod sit citatus, & debet ei concedi defensio. Pro quo potest videri Panormitanus, *in cap. cum contingat num.* 27. *& additionator ibi.* Vbi inter alia aduertit, quod defensio à natura vel ęquitate concessa nunquam tollitur à principe, quoniam hęc sunt de iure naturali.

Aliqui tribuunt hanc concessionem Bonifacio Octauo, & ita habetur in compendio Fratrum minorum. *Verbo correctio fratrum, num.* 6. Sed absque dubio est Bonifacij Noni vt dicitur in constitutionibus nostris, *dist.* 2. *cap.* 17. Quod patet. nam hęc concessio vt ibi dicitur fuit facta anno 1402. Pontificatus sui anno tertio decimo, hoc tamen falsum esset si concessio hęc fuisset Bonifacij Octaui, fuit enim electus anno 1295. & rexit Ecclesiam Dei octo annis, & nouem mensibus, obijt anno 1303. Mense Octobris. Bonifacius tamẽ nonus fuit electus anno 1389. Mense Nouembri, rexit Ecclesiam per decem, & sex annos, & vndecim menses, obijt anno 1406. Chalendis Octobris. Vndè clarè constat ipsum Bonifacium Nonum edisse dictam constitutionem anno tertio decimo, Pontificatus sui vt ait constitutio nostra, qui sunt anni medij inter eius electionem, & annum. 1402.

Sexta Regula, si in rescripto seu statuto dicatur,

iudices vt volueris, tunc talis iudex non poteſt tollere ius alterius ſine cauſa, ſicut neque committens illi poteſtatem poteſt, cum nemo poſsit plus iuris in alterum transferre quam ipſe habet. *Cap. nuper, de dote poſt diuortium reſtituen.* Propter quod ait Bartolus quod ille cui committitur à ſede Apoſtolica vt faciat quod voluerit, vel ſicut libuerit, licet non teneatur regulas iuris ciuilis ſequi, remanet tamen obligatus regulis iuris naturalis gẽtiũ, ſeu naturalis æquitatis, vt patet, *ex Clementina Paſtoralis, de re iudicata.* Imo dico, quod ſi dicatur relinquo arbitrio, vel iudicio, aut prudentiæ tuę: quia tunc denotatur arbitrium boni viri ratione regulatum, ſicut cum dicitur vt tibi viſum fuerit, ſi tibi placuerit: per hæc nãque verba de notatur arbitrium, & non proprie nuda voluntas. Ita Panormitanus, *in cap. 1. de conſtitut.*

Ex quibus infertur quod pręlati regulares habẽtes, ſecundum regulam ſuam, & conſtitutiones authoritatem, vt poſsint facere tale quid vt ipſis videbitur, vt eis viſum fuerit, debent ſequi arbitriũ boni viri, non voluntatem ſimpliciter, ſed voluntatem ratione regulatam: aliàs eſſet abuti poteſtate. Et ſic conſtitutio noſtra, *infra diſtinctio 2. cap. 2. num. 3.* inquit, quod priores Canonice electi, à Prouinciali (ſi ei viſum fuerit) confirmentur. Vbi Gloſſa declarat quod non datur Prouiucialiper hæc verba libera poteſtas, ſed diſcuti debet prius, ad arbitriũ boni viri an debeat confirmari; non enim ſecundũ

libitum

libitum suæ voluntatis, sed secundum iudicium rationis priorem electum debet confirmare. Hæc ibi.

Ex quo sequitur quod peccat mortaliter prouincialis cassando electioné pro suo libito, & sine causa, & ratio est. Quia negat iustum in re notabili illam iustè petentibus; conuentui nempè qui eligit, & petit ab eo confirmationem. Confirmatur ex Panormitano *in capit. postulationem de postulat. prælat.* vbi ait. confirmatorem istum peccare mortalitèr propter damnum quod conuentui & electi personę infert: & quia abutitur potestate sua contra conuentum qui iustum petit à dicto confirmatore.

Etsi contra hoc arguas ex capitulo generali 1507. dicente, declaramus prȩlatias nostri ordinis siue fratrum siue sororum esse simplicia officia, & onera grauia, & nullomodo beneficia, ergo auferẽdo tale officiũ prioratus nulli iniuriã infert prȩlatus, quia vtitur iure suo. Respondetur, quod declaratio istius capituli Generalis ablata est per cõstitutionem supra aductam *distint. 2, num. 3* vbi dicitur, quod non pro libito suo &c. sed secundum rectum & iustum iudicium: nec vnquã ista declaratio recepta fuit in praxi in nostro ordine, vbi viri docti & timentes Deum nunquam secundum voluntatem suam cassauerũt electionem canonicam de viro digno factam, nec minus deposuerunt tales electos, & confirmatos.

Circa hanc materiam notandum valde est, quod si prouincialis cassaret electionem canonicè factã

de

de persona quantum humanæ fragelitati scire permittitur idonea, non exprę sando in cassatione causam in particulari ratione cuius cassatur dicta electio; quod si electores eligerent iterum dictum electum, non perderent ius eligendi, nec Prouincialis posset prouidere de Priore; & oppositum non possum mihi persuadere. Et probatur. Electores habent ius eligendi istum, ergo Prouincialis non potest eis auferre hoc ius nisi ex iusta & exprę sa causa, probatur consequentia quia iudicium exterius per rationes exteriores debet agi, secundum alegata & probata etiam contra propriam iudicis sententiam vt docet *Diuus Thomas* 2. 2. *quest. 67. art.* 2. sed si Prouincialis qui Iudex est electionis cassat illam non expræsando causam exteriorem, non iudicat secundum alegata & probata, ergo non valet sententia. Et *Caietanus verb homicidium*, inquit, quod potestas publica moueri debet à scientia publica. Per hanc doctrinam responderi potest ad quodcunque quod in oppositum facere videatur, nempè, quod intelligatur expræsa causa rationabili: quoniam aliàs exercetur iudicium exterius per scientiam propriam & secretam. Nec sufficienter tollitur ab electoribus ius eligendi, neq; iuridice eis inhibetur vsus suę potestatis quam habent à iure canonico, & à constitutionibus,

Sexta Regula est, vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus nisi authoritate alterius legis: nam constitutio generalis per aliam specialem limitatur.

mitatur. Ita Bartollus *in leg. quæſitum §. finali. num. 12. ff. de fide inſtrum.* Aliquale exemplum poteſt eſſe ex capitulo generali Romę celebrato anno 1553. quod habetur infra *diſt. 2. cap. 2. fol. 75.* in quo ordinatur, quod nullus Prouincialis vel Vicarius poſsit ad aliquem conuentum pro aliqua electione facienda, Vicarium electionis in eo non aſsignatum mittere niſi in caſu diſſentionis eligentium, vel ſi in veritate contingat, nullum in eo eſſe fratrem qui nouerit electioné dirigere, quod ſi ſecus factum fuerit totum ſit irritum. Et qui pro electione dirigenda fuerit miſſus, careat ibi voce paſsiua. ecce legem diſtinguenté, & loquentem cum Prouinciali vel Vicario, & ita etiá nos diſtinguere poſſumus & debemus, nimirum quod ordinatio iſta non compręhendit Capitulum Prouinciale, id eſt, prouincialem & Diffinitores, & pęnæ ſolum ſuos malefactores debet comprehęndere.

Item hęc ordinatio non habet locum ſi prouincialis mittat vicarium non electionis, ſed conuentus ſupra ſuppriorem & fratres mortuo priore vel amoto quia Gloſſa vbi ſupra inquit. *Quod iſte conuocabit ad Capitulum pro electione, Supprior autem cum duobus antiquioribus tenebit banchum Iſte tamen Vicarius habebit vocem in tali electione ſicut cæteri fratres,* Vbi non exprę ſſat de qua voce loquitur, de actiua an paſsiua ſed abſolutè loquitur, ideo quia lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ſed intelligamus de voce actiua & paſsiua: nam capitulum generale ſolet hoc diſtinguere & decla-

rare

rare vt patet in supradicta ordinatione, vbi dicitur, quod si mittatur Vicarius electionis, talis Vicarius careat voce pasiua. Aduertendum tamen quod iste vicarius conuentus missus a prouinciali mortuo vel a moto priore super suppriorem & fratres, non potest asignari infra mensem electionis pro priore faciendę, vt habetur. *Infra distinct. 2. cap. 1. num. 4.* & sic sunt regulanda quæ dicta sunt.

Septima Regula potest esse, quod Priuilegium grauiter lædens Ecclesiam, vel tertium non valet, nisi hoc per ipsum exprętetur. Panormitanus *In cap. cum ad hæc de Clericis non residen.* Ratio est, quia in dubio non præsumitur quod princeps velit concedere aliquid cum graui dispendio alterius. Regula hæc maxime refert ad claritatem quam literæ patẽtes cuiuscunq; Visitatoris seu Vicarij generalis ad Prouinciam visitandam venientis, debent habere, quia si litterę patentes, institutiones, vel cõcesiones sunt declarandæ, tunc stricte veniunt interprætandæ, quia per eas derogatur iurisdictioni ordinariæ, scilicet, Prouincialis prouinciæ. *vide capit. cum in iure, de offic. delegati.* Quia sicut priuilegium contra ius commune est strictè interprętandum, *cap. cum dilectus, de consuetudine, & Glossa ibi, verb. nec iuri communi, syluester verb. priuilegium § 3.* Quia vbi aliquid discrepare videtur à iure cõmuni, reducendum est ad ipsum ius commune quantum posibile fuerit, omnis enim recesus à iure communi est odiosus: ita similiter & eodem modo dicendũ venit quan

 do pri

do priuilegium est contra tertium. vnde nullus debet admitti in prelatum & iudicē nisi plenariam habeat clarè sui officij potestatem, illamque ostendat, quia per tales literas patentes agitur de preiudicio ordinariæ potestatis, inquo negotio non sufficit præsumptio vel dubium sed plena prouatio. Ita Panormitanus *cap. cum in iure de offic. delegati, num.* 2. Imo si Cardinalis dicat Papam sibi aliquid commisisse viuę vocis oraculo, tendens in præiudicium alterius, non credatur ei nisi alitèr probaret. Panormit. *In cap. sicut nobis, de sentent. ex communicationis.*

Stylus etiam literarum est respiciendus. Stylus namq; curiæ facit ius *.cap. bonę memoriæ depostulatione prelatorum, & cap. ex litteris, de constitut.* circa quæ capitula dicunt iuristæ, quod literæ manantes contra vel preter stylum curiæ principis præsumuntur falsæ. Quod notandum valde est pro priuilegijs, & rescriptis, seu literis patentibus Magistri generalis quę venerint ad nos non secundum stylum curiæ, & formam qua solent alia transmitti, non enim sunt recipienda. *vide cap sacro de electione, nu.* 1. *& cap.* 2. *de præscription. num.* 5. *& cap. ad hæc. de sententia excommune, num.* 2. Imo puniremur si talia reciperemus, quia faueremus literis suspiciosis. *Argm ex capit. quam graui. de crimine falsi* vbi Summus Pontifex repræhendit quendam Archiepiscopum ex eo quod recepisset literas sub nomine Sedis Apostolicæ adse reportatas, inquibus non seruabatur communis stylus quem Papa seruare solet; scilicet, quod in eis vo

caba-

cabatur Archiepiſcopus filius, quod cum ſit contra conſuetudinem literarum Papę qui Archiepiſcopos Epiſcopos, Patriarchas fratres vocat, non deberet recipere.

Octaua Regula ſit, quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. *De Regul. iuris in 6. Regula* 29. Quæ Regula intelligenda eſt, quando omnes tangit vt ſingulos, vt quando electores compromittunt electionem in aliquem, debent omnes nemine dempto cõpromittere alioquin nihil fit. ita Panormitanus, *capit. Vitonenſis de electione, nu.* 3. Vbi ait, quod ſi vnus ſolus contradicat obviabit diſpoſitioni omnium, ex Regula illa *In re communi potior eſt conditio prohibentis, de Regul. iuris, lib. 6. Regula* 8, *Gloſſa ibi*, Vbi ponit hoc exemplum de compromittentibus, & quod ſolus vnus contradicens impedit compromiſſum. & Panormitanus *In dicto capit. num.* 4. Inquit, quod non poſſunt omnes de Collegio vno contradicente compromittere in aliquem, poteſtatem eligendi, quoniã non poſſunt iſti ius ſingulorum deteriorare eis inuitis. idem tenet *Syluester, verb. electio 2. quæſt.* 11. *num* 14. Vbi ait, quod compromiſsio non valet ſi vnus diſſentiat, quia nullus iuri ſuo renuntiare cogitur inuitus. *cap Abbas, & capit. ad Audientiam, de his que vi metuſue cauſa fiunt.* Videatur ibi. Non tamen intelligitur prædicta Regula quando omnes tangit vt Collegium vt patet in electionibus, tunc enim ſufficit quod à pluribus approbetur, videlicet à maiori parte Capituli ſeu Collegij, *cap. ad Apoſtolicam,*

diſtinct.

distinct. 36. Glossa ibi lit. 1. & capit. cum inter canonicos de electione, & leg. quod maior ff. ad municipalem, & de incolis lib. 50. titu. 11. leg. 19. Quod maior pars efficit (inquit lex) pro eo habetur ac si omnes egerint, quæ omnia intelliguntur, quando id de quo agitur pertinet ad omnes vt Collegium.

Litera Prologi, num. 2.

PRÆLATI In suo conuentu dispensandi cum fratribus potestatem habeant.

Ante quam de hac potestate prelatorum ad dispensandum agamus, qui sunt & dicantur prælati in nostro Ordine Prædicatorum Prius scire, necessariũ & præuium duxi. *Syluester verb. Prælatus, § 2.* Inquit quod Magister generalis, Prior Prouincialis, & Prior Conuentualis etiam si non eligerentur, sed aliter instituerentur, scilicet per Diffinitorium authoritate Apostolica; hi sunt prelati, & in simili patet *In clementina, exiui de verborum significatione.* Supprior etiam mortuo Priore, vel amoto dicitur Prelatus, quia habet iurisdictionem ordinariam licet iure speciali, & idem videtur de vicario conuẽtus qui non fit nisi priore mortuo vel amoto hec ille, & verbo *Confessor 1 § 8. partic. 3* ait quod Supprior mortuo priore potest eligere sibi confessorem, quia est quasi ordinarius, & tunc actio sub rogata Priuilegium habet eius cui sub rogatur, hec ille.

ille.sed de Suppriore postea redibit sermo,& vt huius materiæ plenior habeatur notitia; radicitusque naturam &conditionem nostrorum prelatorum,eorumque potestatem cognoscamus sit.

Dubium I.

AN SVPRADICTI Prelati sint Ordinarij, authoritatemque Episcopalem habeant?

Prima Conclusio. Prior Prouincialis,& conuentualis,& Vicarij domorum quę non sunt prioratus sunt ordinarij, iurisdictionem ordinariam habētes super suos subditos:Prouincialis in sua Prouincia,Prior in suo Conuentu,Vicarius in sua Vicaria.Hæc conclusio probatur,Prelatus ordinarius *Secundum hostiensem & Syluastrum verb. iudex* § 1.) Dicitur is, qui ab vniuersitate vel Collegio est electus,& per Superiorē cōfirmatus: vel vniuersitati seu collegio prefectus ab eo qui habet administrationem cum iurisdictione, item ordinarius etiam est is, qui habet vniuersitatem causarum cum territorio expræsso. Nam licet ordinarius sit is, cui committitur causarum vniuersitas. at vero, oportet (*Inquit anchar, capit. finali, de officio delegati, Lib. 6,*) Quod sit cum expræssione territorij, vbi commissio illarum causarum exercenda sit. Illa nanque Commissio generalis quo ad causas, non re-

præ-

prę sentat iurisdictionem ordinariam, quia solum territorium hoc facit: & sic, quando commituntur alicui omnes causę hominum certi castri, tunc hęc commissio facit ordinarium hęc ille, *vide Thomam Sāch. lib. 2. in præcepta decalogi. cap. 30. num. 6. in confirmatione ad 7.* vnde conseruatores non sunt ordinarij quia in eorū potestate nō exprimitur territorium, & similiter Inquisitores non sunt ordinarij, dato habeant territorium, quia eorum potestas non est quo ad omnes causas, sed quo ad illas quę fidem impugnant manifestè. *Secumdum Syluestrum, verb. Hæresis, 2. §. 1.* Sed isti Prouinciales, & Priores conuentuales eliguntur à Collegio, & confirmantur à Superiore vt patet, & Vicarij domorum pręficiuntur Collegio fratrum suę Vicarię ab eo, qui habet administrationem cum iuris dictione, vt est prouincialis eos pręficiēs, ergo sunt ordinarij, confirmatur, istis Vicaris, sicut & alijs prę latis datur vniuersitas causarum ad omnia quę in sua Vicarija necessaria fuerint, sicut Prouinciali in sua Prouincia, & Priori in suo conuentu, cum expressione territorij, id est, talis loci, ergo verè & propriè sunt ordinarij.

Secunda Conclusio. Prę lati nostri correspondent in suis territorijs Abbatibus, & Episcopis, & aliquando Archiepiscopis. Hęc cōclusio probatur, quia cum ante exemptionem factam Regularibus per Sedem Apostolicam, Monasteria habebant Abbates, Episcopos, Archiepiscopos, quibus erant antiquitus Abbates

bates subiecti:modo vero non sunt Abbates in monasterijs: neque Episcopi,neque Archiepiscopi aliquam habent iurisdictionem super monasteria, nec super fratres,sed loco istorum videmus in conuentibus preesse Priores, Vicarios in Vicarijs quæ non sunt Prioratus,& in tota prouincia Priorem Prouincialem super intendere:proculdubio ratio naturalis dictat,istos Prelatos habere iurisdictionem illorum, quorum loco preficiuntur. Sub rogatum enim debet sapere naturam subrogantis vt ait Panormitanus,*in cap.cum ad monasterium,de statu monachorum, nu.* 8. Sed sic est quod Ptiores conuentuales gerunt formam in suis conuentibus,quam habebant Abbates insuis monasterijs,& Priores Prouinciales succeduntin suis prouincijs officio Episcoporum & Arthiepiscoporum in suis Episcopatibus & Prouincijs,ergo debent habere super sibi subditos illam potestatē quam habent Abbates,Episcopi & Archiepiscopi.ex his collige,quod si nulla fuisset facta prohibitio à iure , & à Summo Pontifice & Ecclesia,Prelati Religionum habētes iurisdictionem Episcopalem,vel quasi,potuissent circa suos Subditos quidquid possunt Episcopi in suos, si non essent prohibiti. Qui si non essent prohibiti possunt in sua diecesi quidquid potest Sūmus Pontifex in Ecclesia Dei.Ita docet Magister victoria, *in relectione de potestate Ecclesiæ,quæst.* 2 .*num.* 28.*& Magister soto in* 4. *distinct.* 27. *quæst.*1. *Art.*4.Vnde cum prelati nostri (Generales scilicet & Prouinciales) sint pares vt

dictum est Episcopis in potestate iuridictionis se- quitur quod possent (si non essent prohibiti)omnia efficere circa suos subditos,quę efficere potest Sum- mus Pontifex in Ecclesia Dei vide *Emman. Tom.1. qq. Reg. quæst. 17. art. 6.*

Dubium 2.

DVBITATVR, Quę & quanta potestas con cedatur prædictis Pręlatis per iura Canonica?

Ad huius dubij decisionem supponendum est, quod sub nomine Priorum Prouincialium & cōuen- tualium non inuenitur in toto iure vbitractetur de eorum potestate, & ideo difficilimumerit probare potestatem horum Pręlatorū per iura canonica, nisi more iuristarum: argumentando à simili. Quod Ge- nus argumentandi efficax est.cum sit consonum ra- tioni vt vbi est eadem ratio,eademsit iuris disposi- tio, vt ait Panormitanus, *in capit. nihil, de electione. nu. 9.* hoc supposito sit.

Prima Conclusio. Prouinciales, Priores conuen- tuales Vicarij domorū quę non sunt priorarus ha- bent omnem illam potestatem quam habere dignos citur alios Prælatos ordinarios. hęc conclusio pro- batur ex prima conclusione dubij præcedētis,ni mi- rum quia sunt ordinarij vt ibi probaui.Et sic ratio- ne huius possunt prefati prelati administrare om-

nia

nia Sacramenta ſuis fratribus, confeſsioneſque eorum audire,& eiſdem copiam facere vt poſsint abſolui à quocunq; Sacerdote Regulari vel ſeculari, & per eum abſolui à quibus ipſemet prçlatus poteſt. poteſtas hęc vt pote ordinaria eſt delegabilis, Panormitanus,*capit. quoniam de officio delegati,§ cæterum num.* 2.*Vide Syluestrum verb. abſolutio* 1. *§* 4.*& capit. nuper, de ſent. ex communic.& cap. cum* Eccleſiarum *de offic. ordinarij*. Secundo,poſſunt prçfati Prælati dicere ius inforo exteriori & iudiciali ſuis fratribus,eoſque excommunicare ſuſpendere,interdicere quando opus fuerit.Ita Syl ueſter *excommunicatio* 1.*notab.* 2. & Panormit *capit. finali, de Regularibus,num.* 2.Imo inquit idem Panormitanus, *in capit. ad noſtram de appellat.num.* 2.Quod eſt maior authoritas in Abbate circa puniendos fratres,quam in Epiſcopo circapuniendos clericos,quia Epiſcopus de iure communi illos ſolus non punit ſine conſilio ſui capituli,vt patet.15.*q.*7.*cap.* Epiſcopus *nullius*. Quamuis iam per conſuetudinē ſolus Epiſcopus puniat clericos ſuos, vt patet *in cap.*3. *de conſuetudine,lib.*6. Abbas autem ſolus punit fratres ſuos.*cap. ad noſtrã de appellat.* Vbi nulla fit mentio de ſuo Capitulo.Vnde correctio Monachorum principaliter ſpectat ad Abbatem excluſo Epiſcopo, quod non reperitur in alio Prçlato ſeculari citra Epiſcopum,pro quo vide *capit. quanto. de officio ordinarij.& capit. repræhenſibilis de appellat.* In quo Capitulo,num.11.Inquit Panormitanus quod Abbas ſolus punit ſubditū,ſine conſenſu Capituli,quia habet

 poteſ-

potestatem in solidum circa monachos. idem habet Syluester *verb. Abbas.* § 2.

In nostro tamen prędicatorum ordine, Prior conuẽtualis dato ipse solus puniat fratres in his quę pertinent ad grauem culpam, & ad carcerẽ non sententialiter sed ad tempus, & in pęnitentijs alijs his similibus: ad pænam vero grauioris culpę non condemnat ipse solus, sed de consilio patrum. Glossa nostrarum constitutionum infra *dist.* 1. *c, p.*18. *num.*5. *verb. carceri mancipetur.* Inquit, quod Priores non possunt, nec debent proprio iudicio incarcerare fratres sine Consilio discretorum: & sic incarcerati si culpabiles inuenti fuerint, non debent inde extrahi vel liberari sine licentia Prouincialis. Et consuetudo sic habet, quod vocantur patres à Consilio quando Prior vult fratrem ad pęnam grauioris culpę condemnare, & ipse Prior cum eis subscribunt sententiam. Et Diuus Antonius. 3. *p. titu.* 9. *cap.* 7. §. 5. Inquit, quod quando prelatus inquirit à reo, debet secum adhibere seniores Ecclesiæ, vt confessionem ab ipso accipiat, sed de hoc infra distinct. 1. cap. 18.

Secunda Conclusio. Priores conuentuales, & Vicarij domorum quę non sunt prioratus possunt de iure Pontificio super suos fratres, id quod Abbates possunt in suos monachos de iure canonico. Hęc cõclussio probatur ex Panormit. *capit. cum illorum, de sentent. excommunic. num.*13. scilicet, quod si Prior est in monasterio loco Abbatis, quia videlicet monasterium

non

non habet Abbatem ſed Priorem, tunc nomine Abbatis venit Prior. Idem dicito ſi appellatur alio nomine, vt prępoſitus &c. Nam iſti Priores & Prępoſiti habentur loco Abbatis. Secūdo probatur concluſio ex ſecunda concluſione dubij precedentis. Vbi dictū manet quod Priores conuentuales in ſuo conuentu ſe habent ſicut Abbates in ſuis monaſterijs; nam eandem gerunt formam regendi, ergo debent habere eandem poteſtatem.

Confirmatur, quia Eccleſię conuētuum noſtrorum ſunt Collegiatę ex conceſsione Innocentij quarti, vt habemus informulario ordinis noſtri, ergo earum prelati gaudent illo priuilegio poteſtatis ſuper fratres ſuos, quo gaudent alij prelati Regulares Eccleſiarum collegiatarum, vt ſunt Abbates.

Tertia Concluſio. Priores Conuentuales habent in ſuis conuentibus illam authoritatem de iure Pontificio, quam habent Epiſcopi de iure communi in ſuis Eccleſijs, & ſuper clericos ſuos. Hęc concluſio probatur, quia habent illam & omnem poteſtatem quam de iure cōmuni habent Abbates in ſuis monaſterijs vt probatum eſt in ſecunda cōcluſione, ſed Abbates monaſterij exempti habentur ibi pro Epiſcopo vt inquit Additionator Panormitani *in cap. Ioannes, de Regularibus num. 3.* Ergo Priores conuentuales exempti ab Epiſcopis habētur pro Epiſcopis in ſuis conuentibus, ac per conſequens habent illam authoritatem ibi de iure communi quam habent Epiſ

copi in suis Ecclesijs de iure communi.

Ex hac Couclusione patet, quod Priores conuentuales habent illam potestatem super fratres suos, quam habent modo Episcopi per Conciliū Trident. *sess. 24. cap. 6.* super Sibi Subditos vt probatum est in secunda conclusione. Hoc dictum probatur, quia hęc potestas non datur ipsorū dignitati nec ordini Episcopali sed iurisdictioni ordinariæ, & in foro conscientię dumtaxat, & super peccata occulta suorum subditorum: ergo cum hac eadem medicina indigeant Religiosi quorum regimini successerunt Priores & Guardiani loco Episcoporum, non debet eisdem denegari. Confirmatur, quia alias iam peioris conditionis essent Religiosi quam seculares, cum isti facilius medicinam absolutionis quam Religiosi haberent: quod quidem est contra capit. secundum de sententia excōmunic. Vbi quia periculosum est Religiosis vagari, cōceditur Abbatibus potestas absoluendi monachos se ad inuicē percutientes in claustro: ergo potestas hęc quæ datur Episcopis in Concilio trident. super suos Subditos non est de neganda pręfatis Pręlatis. probatur conseq. quia si Religiosi non essent exempti à iurisdictione Episcoporū, potestas quę eis datur à Concilio super suos Subditos extenderetur etiam ad Regulares, quare ergo debent priuari Regulares beneficio illo quod Cōcilium concedit secularibus? Vide Sanchez. *lib. 4. in pręcep: de calogi, cap. 22. num. 7. &* 10. Vltimo probatur, quia iustum est vt

est vt qui sub rogantur loco Episcoporum habeant illam potestatẽ quam habent Episcopi: Sed isti Priores sub rogantur & ponuntur loco Episcoporũ in conuẽtibus, ergo debent habere quod alias ibi habebãt Episcopi, & Prouinciales in suis prouincijs quod Archiepiscopi in prouincijs suis, & tandem confirmatur ex concessione facta pręlatis Ordinum per Pium Papam Quintum, vt specialiter infra patebit.

Sed Obijcies, ergo ęqualem potestatem habent Priores conuentuales in suis Conuentibus sicut Prouinciales. Respondetur Concedendo sequelam, cum hoc tamen extensiue est maior authoritas prouincialis, quia extẽditur ad omnes conuẽtus prouincię. Secũdo quia puniret Priores si in vsu huius potestatis deliquisse depręhẽderit. Sicut Archiepiscopus punit Episcopos suę prouincię. *dist. 12. cap. de his, & decima, q. 3. cap. quia.* Tertio quia in Priuilegijs quę in mari magno habentur, & quę à Sede Apostolica nostro Ordini concedũtur, nihil potest prouincialis in tota sua prouincia u super fratres suos, quod non sit integrum prioribus conuentualibus facere in suis canuentibus circa fratres suos, sicut nihil potest Archiepiscopus in tota sua prouincia quod Episcopis non concedatur in suis Episcopatibus stando in iure communi. Aduertendum tamen est, quod quando nostra constitutio infra *distinct. 2. Cap. 3. num. 9. dicit,* Quod Prouincialis habet eandem potestatem in sua prouiucia, quam Magister generalis habet in toto ordine, non intel-

ligas

ligas per hęc verba quod poterit prouincialis dispensare in sua prouincia inquibus Magister Ordinis potest in toto Ordine; in multis enim locis nostrarum constitutionum limitatur potestas prouincialium, vt videre est *distinct.* 1. *capit.* 18. vult ergo dicere constitutio, quod prouincialis in sua prouincia eamdē habet potestatem quam Magister habet in illis inquibus ei non sit prohibitio.

Sed contra supra dicta arguitur. Nam sequeretur quod in generali suspensione iuris non compręhenderentur Generales, Prouinciales, nec Priores conuentuales. Probatur sequela quia in tali generali suspensione non compręhēduntur Episcopi & Archiepiscopi nisi de illis fiat expręssa mentio, ergo cum Generales Prouinciales & Priores habeāt potestatem & iurisdictionem Episcoporum, & Archiepiscoporum, non compręhendentur etiam in tali generali suspensione, maior habetur, *in cap. quia periculosum de sent. excommunicat. lib.* 6. & tradunt *Syluester, & Couarrubias in Clement si furiosus* 1. *p.* §. 1. Confirmatur, nam prædicta decretalis non solum fuit edita in fauorem Episcoporum, sed etiam in fauorem dięcesaneorū, ne propter Episcoporum suspensionem priuarentur ab his, quę ab ipsis necessario debent fieri & communicari, ad quorum consecutionē non possunt ad alios recurrere pro vt inquit Glossa indicto capitulo, quę ratio militat etiā in pręfatis nostris Pręlatis respectu suorum subditorum, ergo. Ad hoc Respondetur, quod

priui,

priuilegium dicti capit. *quia periculosum*, non extēditur ad Episcopos, & Archiepiscopos ratione iurisdictionis quam habent sed ratione Pontificalis officij, plures namque grauarētur si illud impediatur, consistit enim horum officium in chrismatis confectione, infrontis chrismatione: ordinum collatione, Ecclesiarum & Altarium consecratione quorum defectus maximum periculum causaret subditis: quę omnia cessant in prædictis pręlatis nostris cum eorum officium ad hęc minime designetur, & quamuis suspensio suę iurisdictionis damnum aliquod causaret in eorum subditis, hoc tamen damnum non est par damno causato ex Episcoporum suspensione. Et tale damnum causatum in subditis ex prelatorum suorū suspensione, est reparabile per statuta & Constitutiones nostras, huic enim damno & alijs similibus per eas satis est prouisum: & ideo quę quo ad suspensionē concessa sunt Episcopis, non extēdenda puto ad alios Pręlatos. Ex his tribus cōclusionibus supra positis cognosci potest authoritas nostrorum prelatorum, nam cōperta potestate quę Abbatibus super monachos datur, & Episcopis super Clericos & Ecclesiam suam, constat quę potestas datur nostris pręlatis, cum sit eadem Abbatum & Episcoporū stando in iure communi.

Dubium 3.

AN Authoritas hæc & potestas nostrorum prę latorum coartari posit & resttingi à Pręlatis Superioribus?

In hoc dubio notandum est, quod sicut nulla est interra potestas ad tollendas omnes Religiones eo quod sit Dei exprępssa volũtas extraditione cõstans, vt sit status Religionis in Ecclesia; ita non est in alicuius hominis potestate tollere pręlatos Regulares ab ipsis Religionibus, cum sit de iure diuino vt prælati regularium sint Religiosi pro vt valde probat Pater Emmanuel, *Tomo 1.qq.reg. quæst.17. ar.2.*

Secundo Nota. Quod potestas Pręlatorum Regularium potest restringi & coarctari à Sũmo Põtifice, hoc est de fide. Nam defide est quod Summus Pontifex est suprępmus prępatus in Ecclesia Dei, cui de iure diuino tenentur omnes obedire. & cum sit indubitatum potestatem conuenire prælatis etiam iure humano Pontificio, nam quando Sũmus Pontifex con firmat aliquam Religionem, eo ipso tribuit prępatis illius Religionis potestatem ad eam gubernandam, vt multi Theologi probant, teste Magistro Bañez, *in 2. 2æ.quęst. Prima, Artic* 10. *dubio* 8. *Conclusione sexta.* Inde sequitur quod potest Summus Pontifex sibi multas causas reseruare & Prępatorum potestatem restringere quoties sibi visum fuerit expedire. Ex quo sequitur secũdo quod potestas iurisdictionis seu Gubernationis quę data est prępatis Regularibus non est independens, sed dependens à Superioribus om nibus.

nibus.Nam ordine Hierarchico data est illis potestas,& sic Superiores Prelati Religionū possunt iusta existente causa restringere & coactare authoritatē inferiorum prelatorum;quia quamuis vtrisq; data sit potestas iure diuino & humano,cōcessa tamen est (vt diximus) Ordine Hierarchico vt minores pendeant à maioribus. Sine iusta tamen causa non possunt maiores prelati restringere potestatem prelatorum inferiorum ordinariorū;quare si secus fecerint peccabunt,licet factum teneat,&possunt tempore visitationes de ea re conueniri & puniri. Ex eo enim quod predicti prælati non sunt delegati sed ordinarij vt probatum est supra, habent suam authoritatem beneficio legis,non solum humane sed diuinæ,&ideo si ad libitum & sine iusta causa restringatur, iniuria illis irrogatř. Ex quibus infertur quod omnes restricciones & reseruationes que fiunt à iure,à constitutionibus Religionis vel à consuetudine sunt iuste & expedientes,inquibus casibus restrictis seu reseruatis nequeūt prelati inferiores aliquid efficere . Quia cum potestas prædictorum sit dependens à Superioribus, hinc constat quod possunt fieri reseruationes & restrictiones, quæ nimirum reseruationes tanta authoritate factæ, conuenientes existimari debent.

Attamen quia multoties prelati Superiores hac sua potestate abutuntur,auferentes ordinariam potestatem Prelatorum inferiorum pro libito suo Huic malo occurrit Capitulū generale Parisijs celebratum

 anno

anno 1611. Ad monens Prouinciales; vt Prioribus conuentuum authoritatem, quę eisdem à sacris cōstitutionibus nostris; & de iure cōmuni concessa est, auferre aut limitare non attentent. quod quidem maxime consonum est iuri canonico & ciuili, secundū quę inferiores nequeunt restringere potestatem à Superioribus collatam.

Et aduertant priores, quod à iure est illis restricta potestas fratres Pręsentādi Episcopis pro confessionibus secularium audiendis, vel pro ordinibus suscipiendis. & quando hoc faciunt, non id faciunt ex iure propio, sed ex commissione sibi per prouincialem facta, quę in confirmatione solet apponi. Quapropter inspiciendę sunt literæ cōfirmationis, in quibus si non habetur hæc commissio non potest prior prędicta exequi, quia (vt dixi.) Hęc non competunt ei iure efficij sui, sed quia ei committuntur. Ita Glossa constitutionum nostrarum, *dist. 2. capit. 2. fol. 81.*

Sed obijcies, quia clausula solita apponi, habetur pro apposita, vt ait Panormitanus, *in cap. quod translationem de officio legati.* Respondetur; quod non est solita apponi. Et etiam quia in his quę gratuite cōceduntur non inducitur consuetudo, quod tenet Ioannes Andreas, & est commune dictum iuristarū.

Sed contra hoc agit textus, quod ex concessione pluries iterata, & legatis à latere concessa possunt absoluere illos, qui manus violentas in clericum iniecerunt; quod etiam si in literis suæ legatiæ specia-

specialiter hæc concessio non apponatur, censeatur apposita. Ad hoc respondet Panormitanus, quod hæc potestas, transiuit in legatos ex approbatione Ecclesię Romanę, & non ex illa concessione pluries iterata. Sic dicendum est, ad obiectionem positam, quod licet pluries sit posita dicta clausula in confirmatione priorum, non tamen operata est, nec acquisiuit ius, vt habeatur pro apposita si aliquando non ponatur; quia prouinciales nunquam ius suum perdere voluerunt, nec talem consuetudinem in eorum pręiudicium introducere.

Dubium 4.

AN Vicarij prouinciales seu nationum sint prę-lati ordinarij, qualis què & quanta sit eorum potestas?

Multiplices sunt apud regulares prælatorum species, alij namque sunt prelati conuentuales, vt sunt Priores Guardiani, Præpositi, Rectores, & Abbares particularium monasteriorum, alij sunt pręlati Prouinciales qui prouincijs præsunt, alij vero Magistri generales, qui ordinibus in totum pręficiuntur. In nostro vero ordine prędicatorum est aliud genus prelatorum, quod Vicarius Prouinciolis nuncupatur. Vt ille qui prefertur in sulis fortunatis, a Prouinciali Prouincię Bethicæ, & nationi Gallizię à Pro-

uinciali Prouinciç Hispaniæ, & nationi Mysteçę, & Zapotecæ ab huius Prouinciç Prouinciali.

Prima conclusio, Vicarij isti prouinciales sunt prçlati ordinarij ordinariam iurisdictionē habentes non iure suo, vt episcopus, Abbas, sed ex institutione, probatur conclusio, quia vt supra diximus. Ordinarius est, (secundum iuristas in Capit. finali, de offic. de legati in 6.) qui habet vniuersitatem causarum cum territorio exprçsso, sed isti Vicarij habent vniuersitatem causarum cum territorio, ergo sunt ordinarij, minor probatur, quia habent iurisdictionem plenariam à iure nostrarum constitutionũ, in suo territorio, in sua videlicet natione. cui prçfertur, vt dicitur infra *distinct.* 2.*capit.*3.*nu.*11 Item quia in simili casu Glossa nostrarum constitutionum, *distinct.* 2. *capit.* 2. *num.* 1. Inquit, quod supprior, mortuo Priore vel amoto potest facere Vicarium, quia plenarie gerit vices prioris per legē constitutionum nostrarum, quia tunc est ordinarius ordinariam potestatem habens. Arguitur ergo sic, isti Vicarij per legem constitutionum nostrarum in supra dicto loco, plenarie gerunt vices Prouincialis, ergo sunt ordinarij potestatem ordinariam habentes. Confirmatur, quia vicarius Episcopi est ordinarius, iurisdictionē habens ordinariam vt constat, ergo & nostri Vicarij Prouinciales, consequētia patet, quia habent, omnem potestatem, & gerunt plenarie vices Prouincialis, excepta institutione

tione & destitutione priorum, & lectorum; & hoc non ex commissione hominis, sed à lege constitutio num habent, quod quidem non habet vicarius Episcopi.

Tertio probatur conclusio ex Panormitano, *cap. cum ab ecclesiarum, de officio ordinarij, num.5.* Vbi ait, quod ille qui præfertur Collegio clericorum, vel religiosorum, à superiore habente iuris potestatem, habet iurisdictionem ordinariam. Sed isti Vicarij præficiuntur à Prouinciali, seu à capitulo Prouinciali, vniuersati, & Collegio vnius partis prouincię religiosorum cum plenaria potestate, vt dicitur in loco supra citato nostrarum constitutionum, ergo sunt pręlati ordinarij, iurisdictionem ordinariam habentes. Nec obstat quod non habeant prioratum, vel domum vt Priores, & Abbates, quoniam etiã Prouinciales carent hoc. Sãchez lib.4.in præcep.decal. Cap.24.nu. 23. ait, quod isti Vicarij, vt pote qui authoritate legitima instituti, habent vicariam iurisdictionem generalem ad omnes causas, quippe tũc sunt plenè superiores, & plenarie authoritate superiorum funguntur, possunt ea vota irritare quę possunt pręlati superiores. sed de hoc infra.

Secunda conclusio, Vicarij prouinciales possunt delegare potestatem suę iurisdictionis, hoc patet, quia omnis ordinarius potest iurisdictionem suam alteri committere, vt notat Glossa constit. nostrarũ. *distinct. cap. 2. num. 6.* Et ita integrum est eis quando

expe-

expedierit mittere ad visitandum aliquos conuentus, & informationes faciendas, ad puniendumque delinquentes, citra absolutionem ab officio si fuerint prelati; quia ipsimet Vicarij hoc facere nequeunt vt dictum est. Vide Glossam nostræ constitutionis loco citato, vbi dicitur, quod omnis ordinarius habens potestatem à lege, potest hoc delegare, & ait sic declaratum fuisse in quodam Capitulo generali. Ibi.

Sed contra hoc arguitur, regula enim est, communis quod delegatus ab alio quam à Principe, nõ potest subdelegare, *Cap. cum causam, de apellat.* Respondetur, quod Glossa ibi, *Verb. delegatus*, limitat, nisi talis delegatus habeat generalem iurisdictionem, & esset ei delegata vniuersitas causarum, quia tunc bene potest, vnam causam alteri sub delegare, quia quasi ordinarius videtur. Et Felinus ibi num. 17. ponit exemplum in Vicario Episcopi cui commissa est, vna pars episcopatus, quia æquiparatur quasi ordinarijs, sed ordinarij possunt delegare, ergo. Hæc felinus. Et Fanctus Thomas *Quod libeto duodecimo, art. 32.* Inquit, quod potest talis delegatus subdelegare, licet non totam suam potestatem, benè tamẽ partem, quia intentio committentis est, vt exequatur secundum quod potest, & fortè nõ potest facere totum. Hæc Diuus Thomas. Syluester, *verb. Vicarius. §. 5.* Ait, quod datò temporalis Vicarius habeat iurisdictionem ordinariam, non tamen potest instituere

tuere alium Vicarium quia non habet iuriſdictio-
nem ordinariam iure ſuo, ſed alterius; bene tamẽ
poterit partem ſuę poteſtatis ſubdelegare. Hęc Syl-
ueſter. Itaque Vicarij iſti Prouinciales quamuis
ſint ordinarij, non tamen in toto rigore & actiue,
ſed acceſſoriè & paſsiuè, virtute ſcilicet, & com-
miſsione alterius, vnde non poſſunt inſtituere Vi-
carios, poſſunt tamen,(vt dictum eſt,) aliquam ſuę
poteſtatis partem alteri committere. Horum Vi-
cariorum poteſtas expirat die immediate pręcedẽ
ti electionem Diffinitorum capituli Prouincialis.
Nam quamuis eorum authoritas ampliſsima ſit,
ita vt quidquid Prouincialis poteſt iure ordinario,
& exui conſtitutionum noſtrarum,poſſunt iſti Vica-
rij in iuriſdictione ſuarum vicariarum;nam excep
tio quam in hoc loco facit conſtitutio,de inſtitutio-
ne,& deſtitutione Priorum,& lectorum confirmat;
quod ſcilicet omne aliud ab iſta exceptione, con-
ceditur iſtis Vicarijs, & hoc non ab homine, ſed à
lege, & quia lex non moritur, nec talium poteſtas
ceſſaret:at conſtitutio noſtra loco citato vult quod
ceſſet, vt dictum eſt. Vnde ſi capitulum Prouincia-
le, non celebraretur per quatuor vel plures annos,
non ceſſaret horum vicariorum poteſtas, quia con-
ſtitutio ait, durare vſque ad diem immediate pręce-
cedentem electionem Diffinitorum capituli Prouin
cialis. Poteſt tamen Prior Prouincialis, hos Vica-
rios corrigere,& ex cauſa(non quacunque, ſed ra-

tionabili) amouere.

Priuilegia Apoſtolica prouincialibus dum taxat conceſſa, non conceduntur iſtis Vicarijs, quia nec Capitulum generale, nec Prouinciale poſſunt illa concedere alijs à quibus Papa concedit. Benè tamen poſſunt Prouinciales illa eis communicare, & committere vſum priuilegiorum. Ducor, quia poteſtas priuilegiorum noſtris pręlatis conceſſorum eſt, ordinaria & delegabilis.

Pręcepta, excommunicationes, & ordinationes, quas iſti Vicarij, imo Prouinciales, & capitulum Prouinciale impoſuerint, expirant ceſſante eorum officio, vt patebit infra in hoc prologo num. 8. Vicarij tamen Ptouinciales qui modo ſunt in vſu, nō ſunt iſti quos cōſtitutio noſtra aſsignat diſtinct. 2. capit. 2. Sed ſunt ex commiſsione, & ab homine, & cum limitatione poteſtatis, & temporis, & non aliam habent poteſtatem, niſi quam Prouincialis eis concedit. Et ſi nihil eis reſeruant deſtituunt lectores & Priores, & expirant mortuo vel amoto eorum inſtituente.

Dubium 5.

AN Diffinitores Capituli Prouincialis ſint prælati?

Pro parte negatiua facit, quia electio horum diffini-

ffinitorum, non dicitur electio canonica quę est vocatio ad dignitatem Ecclesiasticam secundum formam à iure traditam. Nam quamuis eligantur (post Capitulum generale Bononiæ 1564.) forma qua Priores eliguntur; quia tamen non sunt dignitates, nec possunt eligi in conseruatores, *Clementina 2. de rescriptis*, & Syluester, *verb. delegatus*, §. 2. Nec possunt delegare suam iurisdictionem, ideo nõ sunt prælati ordinarij. Ad hoc Dubiũ respondetur, quod absque Dubio sunt prelati prouinciæ toto tempore quo durat eorum officium. Primo quia eliguntur ab vniuersate, & Collegio, & Canonice. Secundò, quia datur eis plenaria potestas tractandi, & diffiniendi omnia quę viderint expedire bono statui prouincię cum ipso Prouinciali, *distinct. 2. capit. 7 nu. 3.* Nam habent votum decisiuum, nempe ad decidendum res graues quę ad capitula deferũtur ad quod votum ferendum sunt designati à iure nostrarum constitutionum; quos in his tenentur Prouinciales consulere, & eorum sententiam petere, & sequi, denique, si discreti in religione fratrum Minorum, ad Capitulum generale electi, aliquomodo sunt prelati, vt ait Pater Emanuel, *Tomo 1. qq. reg. quæst. 13. art. 19.* æqualem habent dignitatem, & iurisdictionẽ, & vocantur patres prouincię, quanto magis cõcedi hoc debet nrĩs diffinitoribus quibus (vt dixi,) conceditur à iure nostro plenaria potestas diffiniẽdi omnia quę in capitulo se obtulerint, tanquam

Patres, & prelati nostri? an vero sint prelati respe-
ctu Prouincialis, statim videbimus.

Sed numquid isti Diffinitores habebunt vocem in electione Prouincialis, vt diffinitores sunt? cum enim qui in Diffinitores possunt eligi sunt, tã prelati, quam socij eorum, & alij qui non sunt de corpore capituli Prouincialis, *distinct.* 2. *cap.* 7. Potest aliquando vrgere dificultas & Dubium. Pars negatiua suadetur primo, quia nullibi eis hoc concedũt constitutiones nostre. Secundo, quia infra *distint.* 2. *cap.* 2. *&* 3. expressantur personæ quæ Prouincialem possunt eligere, vbi nulla fit mentio de diffinitoribus. Tertio, quia *in capitulo* 3. dicitur, quod electio Prouincialis pertinet ad ipsum capitulum Prouinciale, & infra *cap.* 7. declatatur quod dicatur capitulum Prouinciale; & dicitur. Capitulum Prouinciale appellamus, Priores conuentuales cum socijs, predicatores generales, & Magistros in Theologia, vbi nulla fit mentio de diffinitoribus. Vltimo, quia nõ sedent ad banchum in electione Prouincialis, cum tamen si vocem in predicta electione haberent, bãchum tenere deberet quippequi capita prouinciæ.

Pro parte affirmatiua est consuetudo quedat, & declarat ius. Secundo, quia *distinct.* 2. *cap* 7. Dicitur, si qui eliguntur in Diffinitores, non sunt de corpore capituli Prouincialis, ad omnia acta (eiusdem dumtaxat capituli) ad mittantur: sed acta principaliora capituli Prouincialis est, eligere caput prouinciæ

uinciæ, quod ex eo patet, quia ad hoc conuocatur capitulum, Priores conuentuales, & eorum socij, Magistri in Theologia, & prędicatores generales ergo.

In hoc dubio mea mens est, quod nisi esset consuetudo, non auderem affirmare quod Diffinitores vt Diffinitores sunt, habent vocem in dicta Prouincialis electione; at vero secundum iura, consuetudo scita, & tolerata ab eo qui potest, & debet impedire & non impedit, dat ius non habenti.

Sed si forte aliquando tempore electionis consurgant dubia de validitate vocis talis Diffinitoris, apponam optimum remedium, quamuis non necessarium in casu nostro secundum dicta; deseruiet tamen pro similibus casibus, qui cõtingere in electionibus possunt. Pro quo nota, quod vocales possunt admittere ad vna secum coeligendum alios qui nõ sunt de collegio, & de corpore electionis: imo idẽ possunt communicare alijs electoribus qui sunt de corpore Collegij voce tamen priuatis. Hoc patet, quoniam electores possunt compromittere electionem in alios etiam extraneos, ergo etiam poterunt eos admittere vt simul secum vocem habeant in electione, hoc tenet, Panormitanus, *capit. cum vitonensis, de electione, num 3.* Vbi ait, quod hi penes quos residet potestas capitularis, possunt priuatis à iure propter eorum delictum communicare potestatem eligendi cuius rationem asignat, quoniam illi non prorsus

in habilitantur, ſed ſolum priuantur, quę quidem priuatio cum cedat in fauorem non delinquentium penes quos reſidet poteſtas, poteſt ab eis remitti. Secùs ſi ſunt in habiles per cenſuras eccleſiaſticas, quas ſolus ſuperior poteſt tollere, & non electores. Idem tenet, *capit. Scriptum, eod. tit. num.* 3. Vbi ait, quod electores poſſunt communicare communi conſenſu extraneis ius eligendi in electione quę imminet, quoniam ſicut poſſunt ſuam poteſtatem in compromiſarios transferre. *Capit. cauſam, eod. tit. & capit. in cauſis eod.* Ita poſſunt communicare poteſtatem aliquibus vt vna cum eis coeligant. Sed tamen vt talis admiſio ad electionem valeat, duplex conditio eſt neceſſaria. Prima conditio, quod conſenſus vocalium ſit omnium nemine dempto, alioquin nihil fit. Ita tenet Panorm. *cap, cum vitonenſis citato.* Vbi ait, quod ſi vnus ſolus contradicat obuiabit diſpoſitioni omnium. Ex illa regula, in re communi potior eſt conditio prohibentis. Vide regulam octauam, ſupra a principio poſitam Dub. 4. Secunda conditio eſt, quod tales in certi ſeu extranei qui ſunt admittendi non ſint in habiles ad electionem, vt habetur in Conc. Trid, *Seß. 28. capit. 6*. Vt quando ſunt in habiles per ſenſuras quæ ab electoribus non poſſunt tolli, vt iam dixi. Itaque per hoc quod electores certi admittunt in certos ad eligendum, euitantur plura in conuenientia quæ poſſunt occurere in electionibus, quia cum alias dubium nõ poſsit vinci

poſſent

possent conqueri electores incerti & requirere vt non procedatur ad electionem, quo vsque de dubij veritate clarè constet, & si non admittuntur poterit eorum quærela mitti ad superiorem, qui poterit electionem cassare, vel saltem non debet illam, cõfirmare, vt habetur *distinct. 2. capit. 2. lit. 1.* Vbi sic dicitur. Si autem aliquis à maiori parte eligitur & tamen contradicitur tali electioni, non debet confirmari electus, quo vsque tales contradictiones audiantur, & remoueantur.

DE POTESTATE DIFFINITORVM Capituli Prouincialis in ipsum prouincialem.

IN hoc tractatu reuocandum ad memoriã prius est, Diffinitorium in maiori parte ipsorum Diffinitorum consistere. Vt notat Panormitanus, *In cap. penultimo, de concessione præbend. num. 14.* Non enim est capitulum vbi minor pars est. *Capit. cum inter canonicos, de electione, & Glossa ibi. & capit. ea noscitur, de his quæ fiũt a prælatis.* Inquit, quod gesta per capitulũ, & prælatũ debent habere maiorẽ partẽ congregationis. Et ita constitutiones nostrę prouiderunt distinctione secunda, Capitulo 7. num. 3. dicentes. Quod illorum sententia pręualebit inquorum partem prouincialis concordauerit. Aliàs autem sententia plurium pręualebit. Et in hoc quod inquit constitutio nostra quod illorum sententia pręualebit in quorum partem Prouincialis concordauerit, datur magna autho-

thoritas Prouiuciali, quia paria vota vincunt, vbi ipſe inuentus fuerit declinaſſe. Hoc ſuppoſito, oportet hic apponere locum & verba, quibus diffinitorio conceditur poteſtas in Prouincialem ſecundum conſtitutiones noſtras.

Iſti quatuor Diffinitores exceſſum Prouincialis confeſsi, vel proclamati in capitulo Prouinciali coram fratribus audiant, & emmendent; ei pœnitentiam in iungentes. Si autem (quod abſit) in corregibilis extiterit, ipſum vſque ad capitulum generale ſuſpendant ab officio Prioratus; aliquen idoneum loco eius ſubſtituentes, & eius exceſſum referant, ad Capitulum generale, ſcripto communiter ſigillato. Hæc conſtitutio noſtra. *diſtinct. 2. capit. 7. num. 3.*

Dubium, I.

AN iſti quatuor Diffinitores ſint prȩlati prioris Prouincialis?

Reſpondetur, quod abſque dubio ſunt prȩlati prouinciȩ toto tempore quo durat eorum officium. Vt diximus ſupra. Primò quia eliguntur canonicè ab vniuerſitate, ſecundo, quia datur eis plenaria poteſtas tractandi & deffiniendi omnia quȩ viderint expedire bono ſtatui prouinciȩ cum ipſo Prouinciali. *Capitulo 7. num. 3: vide Emmanuelem Rodrig. tom. 2. qq. Reg. queſt. 45. per totam.* At vero, quod ſint prȩlati Prouin-

cialis,

cialis, hoc indagare cupimus, vt sciamus ad quæ, & quanta se ex tendat in Prouincialem, eorum potestas.

Dicendum censeo, quod simpliciter, & quantum ad omnia non sunt Diffinitores, prelati Prouincialis. Eorum namque potestas non se extendit nisi ad emmendandum Prouincialem super eius excessum; in iungendo ei pœnitentiam, & suspendendo ab officio in casu quo super his quę emmendatur, corrigi non vult.

Ex quo constat, quanta cum veneratione tractādus est etiam in his, Prouincialis à diffinitoribus capituli Prouincialis,nā non dicit constitutio quod Diffinitores puniant, castigent, & pœnis plectant Prouincialem(quia omnia hęc sonant liberam potestatem superioris ad inferiorem)sed solum inquit, quod excessum prouincialis audiant,& emmēdent, penitentiam ei iniungendo. Et si ad hæc nō acquieuerit prouincialis, nec corrigi voluerit, adhuc tunc non datur plenaria potestas diffinitoribus in dictum Prouincialem, quę alias prelatis solet dari in contumaces. *Capit. veritatis de dolo, & Panormitanus ibi num.* 3. Sed dicitur quod suspendant eum ab officio, an autem ex hac potestate dici debeant prelati Prouincialis nec ne, aliorū iudicio hoc relinquo.

Dubium, 2.

QVÆ nam & quanta debet esse ista correctio, & pœnitentia quæ in iungenda est Priori Prouinciali per Diffinitores capituli Prouincialis?

Prima conclusio. Nulla correctio, nulla emmenda, nulla que pœnitentia potest iniungi Prouinciali à diffinitoribus per quam authoritas Prouincialis tolleretur, vel minueretur, vel limitaretur, hæc conclusio vt iacet habetur, *dist.* 2. *capit.* 8. *num.* 11. Vbi sub pœna ex communicationis prohibetur dictis diffinitoribus, secundum Glossam ibi. Ex hac conclusione constat quod diffinitores isti nihil sub pręcepto possunt præcipere Prouinciali, vel sub censura, vel alio modo per quē authoritas prouincialis minueretur, tolleretur vel limitarẽ, qua propter non valeret eorum pręceptum quo prohiberent Prouinciali ne aliquem fratrem mitteret in Hispaniam (si est Prouincialis indiarum) vel ne dispensaret super acta Capituli Prouincialis, vel super aliquam eorum ordinationem, tale enim præceptũ tolleret prouincialis authoritatem.

Secunda conclusio. Si Prouincialis se ipsum acusaret vel proclamatus confiteretur coram diffinitoribus capituli Prouincialis, de aliqua culpa propter quam ipso facto incurreret absolutionem vel suspensionem ab officio prouincialatus, tunc absque dubio maneret Prouincialis suspensus, vel absolutus, conformiter ad pœnarum qualitatem quæ in ipso iure habentur, si se acusaret inquam vel confite-

fiteretur coram diffinitoribus iudicialiter sedenti bus. Probatur, quia nihil amplius de est. Nam ibi est confessio notoriũ faciens quod nulla tergiuersatione potest amplius celari, &c. Verbi gratia. Acusat se Prouincialis percusisse atrocitèr clericum; vel quod dimisit habitum temerè, vel quod dedit licentiam ad ordines suscipiendos, vel ad aliquod beneficium Ecclesiasticum sustinendum propter pecunias; quę peccata inferunt excommunicationem & suspensionem ab officio in suos perpetratores ipso iure, ergo manet excommunicatus vel suspensus ab officio sine aliqua declaratione, ipse enim se declarat. Et si his addas, quod talis excummunicatio quia percusit clericum est notoria, quę nulla tergi versatione celari potest, constabit non solum quod iste Prouincialis est suspensus ab officio prouincialatus, sed quod nihil potest agere vel mãdare quod sit alicuius valoris, hoc dictũ patet, quia gesta per excommunicatum taliter notorium in materia per cutionis clerici, quod nulla tergi versatione cellatur, nullius sunt roboris, vt habetur in concilio cõstansiensi, & citatur à Caiet. In fine excõmunicationum. *Vide Syluestrum excommunicatio* 3. §.11. *&* *Nauarr. cap.* 27. *num.* 4. *&* 7. Itaq; talis Prouincialis qui se acusat, vel confitetur coram diffinitoribus aliquid quod infert ipso facto excommunicationem vel suspensionem ab officio tunc absque dubio est suspensus vel absolutus absque aliqua declaratione iudicis: nã

canon latæ sententiæ ad sui pęnam non requirit aliud nisi transgressionem eius. *Nuarr. cap.* 27. *nu.* 10.

Quod vero gesta per istum non valeant, tunc habet verum, quando nominatim, fuerit declaratus in talem censuram vel pœnam incurrisse. Aliàs quantumcumque notorium fuerit, nō invalidantur gesta per eum, quia tolleratur ab ecclesia; secus est quando fuerit publicus percusor clerici, qui nulla excusatione occultari possit, vt dicunt doctores citati, quia tunc nihil amplius requiritur.

Tertia conclusio, Diffinitores capit. Prouincialis possunt in Prouincialem confessum vel conuictum in iudicio, præcipere ei ne officio suo (quo vsque absolutionem obtineat) vtatur. Hęc conclusio probatur, nam constitutio inquit, quod Diffinitores isti, Prouincialem confessum vel proclamatum emmēdent, & pœnitentiam in iungant; sed nullam aliam magis salutarem possunt Diffinitores ei in iungere, quam pręcipere ei vt obediat Ecclesię ei præcipienti vt abstineat à sui officij executione, ergo.

Dubium, 3.

QVID facient Diffinitores, quando peccata de quibus Prouincialis se acusat vel confitetur in Capit. Prouinciali sunt solum contra constitutiones?

Res-

Respondetur, quod in duplici differentia possunt esse mandata constitutionis quę Prouincialis frangit, vel sub pęna excommunicationis latę sententię. Vt hebetur, *distinct. 2. capit. 1. num. 4. & distinct. 1. cap. vltimo in fine. & distinct. 2. capit. 4. num. 4. & cap. 13. num.* 7. In constitutionibus nostris, & aliquando in ordinationibus superiorum pręlatorum. Vel possunt esse mandata sub alia pœna, scilicet absolutionis ab officio, vel suspensionis, vel grauioris culpę, vel carceris. Si mandata sunt primo modo absque dubio idem est omnino ac si illæ excommunicationes essent iuris canonici, dicitur enim in prologo num. 3. quod huiusmodi pœnis sit subiectus qui contra eas fecerit. Si vero sint secundo modo idem omnino erat dicendum stando in iure canonico nisi constitutiones nostrę per Papam approbatę aliud instituissent. Explicatur hoc. Pœnę suspensionis, vel absolutionis ab officio ipso facto in currendæ quę in iure habentur. Puta *distinct. 74. capit. 1. & 2.* Suspenditur Episcopus ipso facto, ordinans aliquem inuitum, vel si exerceat Pontificalia in alieno episcopatu, est suspensus ab exercitio Pontificalium, vt habetur *in Conc. Trident. sess. 7. capit. 5.* Statim in curruntur sine alio requisito. Et si taliter suspensus exercet sibi prohibitum in currit pœnam, *Capit. 1. de re iudic. lib. 6.* Nec aliud requiritur ad pęnas in currendas, & ad hoc quod Episcopus suum officiū exequi nequeat. Sed aliter dicendum venit apud nos fratres prædicato-

catores, nam Datò sit Notorium, prelatum in ordi ne nostro incidisse in pœnam suspensionis, vel ab- solutionis ab officio, quia fregit constitutiones no- stras, verbi gratia quia confirmauit electũ in Prio rem fratrem nescientem gramaticè loqui, *distinct*.2. *capit*. 2.*num*.4. Et similiter si egit contra id quod præ cipitur ei, *distinct*. 1. *capit*. 14. *num*. 10. Quod scilicet, quando vocatur nouitius ad terminum profesſio- nis suscipiendum, expræsse eidem protestetur quod profesſio sua eumdem obligabit ad tria vota, &c. Et contra, *cap*. 4. *distinct*. 2. *num*. 7. & *cap*. 16. *eiusdem*, *distinct*. *num*. 2. Non tamen propterea iste prelatus est priuatus officio suo, imo poterit illo vti quo vsque veniat declaratio prælati in particulari res- pectu eius; scilicet, quod declaret eum suspensum, & idem est dicendum si prælatus iste trasgredere- tur preceptum Magistri ordinis, quo præcepit ei, sub pœna absolutionis ab officio ne faciat tale quid. Hæc omnia non aliter probantur, nisi quia sic vo- luit summus Pontifex dum approbauit nostras cõs- titutiones ita ordinantes in prologo, num. 3.

Fallit tamen hoc in peccato carnis, quoniam si Prouincialis in capitulo Prouinciali coram diffini- toribus se acusaret de hoc peccato, vel ipsum con- fiteretur, statim maneret suspensus ab officio pro- uincialatus, probatur hoc ex declaratione facta in Capitulo genetali Romæ anno 1513. in constitutio- nibus nouiter impræsſis Romæ super prologũ nu.3.

decla-

declarando verba prologi, vbi dicitur, quòd pęnis abſolutionis ab officio nullus ſit ſubiectus in conſtitutionibus vel extra, niſi ſuperueniat declaratio prȩlati, inquit Capitulum generale Romanum, niſi ipſe reus ſe ipſum declaret. Quod ipſe facere debet humiliter recognoſcens errorem ſuum ſi factũ eſt publicum vel notorium, ſi enim iſte ſe declarauerit non opus eſt alia declaratione. Hęc ibi. Hæc declaratio in iudicio, & coram prȩlato ſedenti pro tribunali fieri debet, alias non diceretur confiteri peccatum ſuum. Panormitanus, *in capit. at ſi clerici, de iudicijs, num. 6.* Inquit, quod confeſsio vt plenarie præiudicet, oportet quod fiat in iudicio, & in prȩſentia iudicis ſui ſedentis pro tribunali, ſed ſic fit in præſenti, quia Prouincialis confitetur pęccatum ſuum iudici ſuo ſedenti pro tribunali, id eſt coram diffinitoribus, publice in capitulo prouinciali ergo. Hoc idem venit dicendum inquocunque alio peccato cui ipſo facto correſpondet, vel addita eſt in cõſtitutionibus pęna ſuſpenſionis vel abſolutionis ab officio, quoniam ſi prȩdicto modo Prouincialis cõfiteatur ſuum peccatum, vel de eo ſe acuſet, incurret in pęnam conſtitutionis noſtræ, quoniam declaratio Capituli generalis Romani allegati, generaliter loquitur de quocunque peccato quod confitetur ſubditus coram prȩlato in iudicio ſedenti.

Sed quid dicendum ſi Prouincialis neque ſe acuſat de huiuſmodi peccatis, neque illa confitetur,

con-

conuincitur tamen per duos testes de visu oculatos irreprehensibiles, id est omni exceptione maiores, & ambo contestes? Respondetur, quod solum in pecato carnis habet locum quod ipso facto sine prȩlati declaratione frater sic conuictus incidat in pȩnas tæxatas in constitutionibus. Vt patet, *distinct. 1. capit. vltimo. num. 4.* Vbi dicitur. Qui de lapsu carnis manifeste conuictus fuerit, de cætero non prȩdicet, nec confessiones audiat, & quod si sit prȩdicator generalis sit priuatus dicto officio, nec fieri possit Prior, nec Suprior, nec Lector. At vero non habetur quod si sit Prouincialis iste conuinctus in peccato carnis, quod sit suspensus, vel absolutus ab officio, imo nec de Priore conuẽtuali fit mentio quod sit suspensus absque declaratione prælati; qua propter si Prouincialis in isto articulo negaret, nihil possunt Diffinitores nisi pȩnitentiam salutarem iniungere illi, & processum ad superiorem mittere.

Sed contra supra dicta arguitur, quia in Glossa nostri prologi num. 6. inquit Capitulum generale Romæ, declaramus quod nullus prȩsidens potest, se declarare absolutum ab officio propter quamcũque transgressionem, sed Prouincialis acusandose vel confitendo culpam suam, se declarat suspẽsum ab officio, ergo non valuit talis declaratio, ac per consequens non est subiectus pœnȩ absolutionis ab officio Prouincialis quousq; veniat declaratio prȩlati in particulari. Ad hoc respõdetur primo, quod

Capi-

Capitulum generale Romę allegatum non loquitur niſi in ſuſpenſionibus quæ feruntur in ordine noſtro, non de ſuſpenſionibus iuris Pontificij: vnde ſi de eſt acuſatio vel confeſsio quem Prouincialis facit coram diffinitoribus non habet locum declaratio illius capituli generalis Romę, non enim poteſt ſtatuere contra ius commune. Secundo reſpondetur, quod etiam ſi acuſatio vel confeſsio quam facit Prouincialis ſit, de contentis in noſtris conſtitutionibus non habet locum Capitulum generale, nec loquitur capitulum de huiuſmodi declaratione tantum enim loquitur capitulum quando prælatus coram ſubditis ſedeclarat ſuſpenſum quod quidem voluit tollere Capitulum generale Romæ, Prouincialis autem non ſedeclarat ſuſpenſum coram ſubditis, ſed coram diffinitoribus qui ſunt eius ſuperiores, & hoc in iudicio publico.

Et notandũ eſt pro prædictis & dicēdis quod eſt differentia inter hęc tria, ſuſpendi, priuari, & abſolui ab officio. Nam ſuſpenſus ab officio non perdit ipſum officium vt ſi curatus vel Epiſcopus eſt excommunicatus, ſuſpenſus vel interdictus, non propterea curatus deſinit eſſe curatus, nec Epiſcopus deſinit eſſe Epiſcopus vt notat Panormitanus, *In cap. tuæ de clericis non reſidentibus. num 7. & in cap. Paſtoralis de appellat. num.* 17. & 18. Vbi inquit, pręlato excommunicato detur vicarius. Priuatus ab officio, prælatia, dignitate, beneficio, non eſt amplius prę-

 latus

latus non curatus, non Episcopus, non Prouincialis. *Gloßa cap. Dudum el segundo de electione.*

Dubium, Quartum.

POTerunt ne Diffinitores pręceptum ponere Prouinciali (in casu quo ipse se acusat, vel cõfitetur peccatum, propter quod secundum constitutiones nostras est suspensus, vel absolutus ab officio,) vt obediat constitutioni & pœnę eius in quã incurrit?

Prima Conclusio, sine Dubio possunt Diffinitores in hoc casu tale præceptum imponere Prouinciali, probatur primo, quia vere sunt correctores, & emmendatores culparum Prouincialis, & medici ad curandum eius infirmitatem vt dicitur in textu vbi supra, scilicet, vt audiant Prouincialem se acusantem, vel proclamatum emmendent pœnitentiam iniungendo. Secundo probatur, quia possunt Diffinitores mandare Prouinciali se acusanti de tali peccato, vel id confitenti, vt obediat pręcepto Ecclesię quod præcipit suspenso vel absoluto ab officio vt illud non exerceat, *Cap. 1. de re Iudic in 6.* ergo pos sũt tunc super hoc pręceptum addere. quod probatur, nam aliàs frustra esset talis potestas si remedium, efficax apponere non posset.

Secunda conclusio, hoc pręceptum durabit vsq;

ad

ad capitulum Prouinciale. Probatur, quia alias ridicula esset potestas medicinalis & correctiua quę non durat vsque ad consecutionem finis eius, & similiter irrisoria iudicaretur iurisdictio Diffinitorũ quę non duraret nisi per tres dies, cum culpa posset durare per duos annos, cui obuiare pręcipit cõstitutio per dictos Diffinitores cum viderint expedire. Secundo probatur, quia vna quęque res considerandа est, ex fine eius propter quem instituitur, sed finis potestatis quę datur diffinitoribus in Prouincialem est, vt medicinam culpæ, & remedium efficax defectui Prouincialis apponant in huiusmodi correctione, ergo debet durare quousque infirmitas, & defectus durauerit, sed potest durare finito capitulo Prouinciali per duos annos ergo tunc vsque durabit pręceptum Diffinitorum.

Tertia conclusio, si Prouincialis se acusaret de peccato propter quod incurrit in suspensionem officij ipso facto vel secundum ius commune, vel secundum constitutiones nostras, tunc diffinitores capituli Prouincialis poterunt loco Prouincialis suspensi Vicarium substituere. Hęc conclusio probatur argumento à simili, dicitur enim, *distinct. 2. cap. 7. num. 3.* Quod Diffinitores qui propter incorregibilitatem Prouincialis ipsum suspenderint, possunt loco eius Vicarium substituere idoneum, ergo similiter est dicendũ quando isti Diffinitores inuenerint Prouincialem suspensum à iure vel ab homine.

 Confirm.

Confirm. Nam ratio quare constitutio nostra ordinauit quod Diffinitores capituli Prouincialis possint substituere Vicarium loco Prouincialis suspensi per eos est, ne prouincia sine capite maneret; sed hæc eadem omnino causa & ratio, & necessitas currit quando est suspensus à iure vel ab homine, ergo idem ius debet esse ne prouincia maneat Acephala.

Quarta conclusio, si Prouincialis se acusaret de peccato propter quod incurrit absolutionem vel priuationem ab officio ipso facto, vel secundum ius commune, vel secundum constitutiones nostras, vel id confiteretur coram diffinitoribus in capitulo Prouinciali, tunc electio Prouincialis pertinebit ad Priores conuentuales cum socijs suis, & Magistros in Theologia, &c. *distinct.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. Vbi dicitur, quod si Prior Prouincialis mori uel amoueri contigerit, vel quocunque casu infra illud tempus prouinciam aliquam Priore Prouinciali carere contigerit, ad ipsum capitulum Prouinciale eius electio pertinebit. Probatur conclusio, nam tunc prouincia caret suo Prouinciali quia absoluitur à iure, quid ergo deest ad hoc quod ipse non sit Prouincialis, & prouincia careat suo capite? absolutus namque ab officio, iam amplius non habet illud officium, sicut curatus absolutus, non est curatus. Magister Soto *Lib.* 1. *de iustitia quæst.* 6. *art.* 6. *ad.* 8. Inquit, quod in his priuationibus ipso facto ab officio Ecclesiastico-

tico non indiget condemnatione, nec declaratione iudicis, sed quodante cōdemnationem incurruntur, nam hac lege & conditione quicunque sacerdotum beneficia & sacerdotia accepit, vt si quid tale com misserit cui annexa est pœna absolutionis, vel priuationis, vel suspensionis ab officio, quod tunc sine alia iudicis condemnatione verè sit suspensus, vel absolutus. Vide circa hoc quę infra dicemus in pro logo hoc textu 4. & regula istam doctrinam per illam. *Vide etiam Emma. tom. 3. qq. Reg. quæst. 65. art. 7. & Thomam Sanh. lib. 2. in præcep. de calogi. cap. 29.*

Sed tunc non ne opus erit sententia Diffinitorum qua declarent Prouincialem absolutum ab officio propter tale peccatum quod ipse confessus est? Et apparet pars affirmatiua, quia secundum, *Cap. cum secundum leges, de hæreti lib. 6.* Dato ipso facto, & ipso iure sint bona hęretici confiscata, nihilominus ad eius executionem requiritur iudicis declaratio per sententiam. Respond. ex Panormitano, *capit. vltimo de confeß. num.* 18. Vbi inquit quod quando confessio emanat in criminalibus, vt hic, ferenda est sententia. *Leg. si confeßus ff. de custod.* Sed ego limito, vbi crimen est notorium, tunc enim potest procedi ad executionem pęnæ sine alia sententia vel ictus fustium, ita Innocentius, *in cap. ex parte el* I. *de verborum signific.* Et Baldus inquit, quod in notorijs ordo est ordinem non seruare, vel saltem non requiritur sententia cum solemnitate debita in alijs sententijs.

Quinta conclusio, Diffinitores in casu dicto, debent facere aliquem processum, scilicet, tali die, anno, tali loco, coram nobis pro tribunali sedentibus Reuerendus Pater N. se acusauit de tali peccato, vel confessus est tale peccatum cum super eo proclamaretur, & quia dictum peccatum habet ipso facto priuationem, vel absolutionem à suo officio, & quia etiam per dictam suam confessionem factum est notorium tale peccatum, nos frater N. & frater N. & frater N. & frater N. declaramus per hanc nostram sententiam incidisse in priuationem vel absolutionem sui officij, & per consequens expirasse potestatem Prouincialatus, & pertinere electionem sui Prouincialis ad vocales in hoc capitulo convocatos, quibus notum facimus; in cuius robur nostris nominibus muniuimus. & sic possunt procedere ad electionem Prouincialis.

Nihilominus vtrosque contestor, vt hæc omnia cum magno cordis dolore exequantur, & si noster Reuerendissimus Generalis consuli potest, vt apud Hispanos, & Italos potest contingere; tunc clauso processu, negotium ad eum transmittatur. Nam sicut arduæ causę solent Papæ reseruari in Ecclesia Dei, sic negotia hæc peregrina, maximequè importantiæ ad capitulum generale, vel ad Magistrum ordinis transmitti debent, si facile hoc fieri potest, nec periculum sit in mora, quoniam si infra annum prouincia non eligit, vel postulat Prouincialem post-

postquam ei constiterit de carentia Proncialis, tunc ipso facto electio seu prouisio de Prouinciali ad Magistrum ordinis deuoluta est, *distinct.* 2. *cap.*3. *num.* 4.

Et si ad Magistrum ordinis causa transmittitur non opus erit prouincialem eligere, neque quod diffinitores loco Prouincialis absoluti vicarium substituant, quoniam hoc non possunt facere. Præsidebit tamen in isto capitulo prouinciali vbi hæc fiunt, Prior conuentus vbi capitulum Prouinciale celebratur. Conclusio hæc quinta probatur ex his quę aduximus ex Panormitano in præcedenti conclusione in fine. Secundo quia sic procedendo eligitur modus securior, & forma quæ caret scrupulis. Et id quod dicitur in conclusione, quod Diffinitores possunt ferre sententiam declarando Prouincialem in currisse in absolutionem ab officio, & quod prouincia caret Prouinciali, &c. Probatur, quia hoc non eis prohibitum est, ipsi enim non absoluunt Prouincialem, neque suspendunt ergo. Secundo quia ipsis diffinitoribus conceditur quod tractent, & diffiniant omnia in capitulo Prouinciali, & quod sententia plurium prę valeat: & postea conceditur eis, vt audiant excessum Prouincialis, & emmendent, ei pœnitentiam in iungendo. Sed declare quod Prouincialis (vt patuit per suam confessionem, vel sui acusationẽ coram diffinitoribus pro tribunali sedentibus) incurrit in absolutionem sui officij, & quod eo amplius fungi non potest, est

em-

emmendare culpas Prouincialis, & pœnitentiam salutarem in iungere, & similiter anũciare electoribus capituli Prouincialis de hoc, est tractare quæ bono Prouinciæ expediunt, ergo dicti Diffinitores poterunt declarare per suam sententiam omnia quæ habentur in hac conclusione. Quod autem debeat subscribi nominibus omnium Diffinitorum etiam si aliquis eorum dissentierit. Patet, quia vt refert Pater Emman. T*omo* 2. *qq. Regul. quæst.* 45.*art.* 10. Et refertur in historia nostri ordinis: in quodam capitulo generali londini habito, anno Domini millesimo, ducentesimo, sexagesimo tertio, vbi noster Angelicus Doctor Sanctus Thomas tanquam Diffinitor Prouinciæ Romę adfuit, constitutum fuisse: vt quãdo aliquid à maiori parte capituli seu Diffinitorij aduersus aliquorum sententiam decretum est, is, qui in contrariam sententiam fuisset, numquam proprium suffragium cuique vlla occasione manifestare auderet, ex qua constitutione colligitur ipsos dictæ sententię subscripsisse, si enim aliquis eorum non subscripsit, iam notum erat ipsum contra dixisse.

Dubium, 5.

DI Citur in litera, quod si Prouincialis incorregibilis extiterit: tunc Diffinitores poterũt eum suspẽdere. Dubitatur modo, quãdo in hoc casu Pro-

dicetur Prouincialis incorregibilis? Respondetur Doctrinam esse iuristarum & maxime Panormitani *in cap. ad audientiam, de decimis, num. 1.* Vbi dicitur, quod verbum positum in dispositione odiosa, habens plura significata, interpraetatur strictiori significatione. Et *Syluester verb. lex. §. 19.* Lex odiosa extra proprium significatum non est extendenda. Secundum regulam iuris. Odia, &c. Cum ergo hæc nostra constitutio sit pœnalis & odiosa, quippe quæ tractat de suspensione Prouincialis: verbum in ea positum, scilicet, incorregibilis, propriè & strictiori significato est accipiendum. Et ita secundum hanc doctrinam ponuntur sequentes conclusiones.

Prima conclusio, Diffinitores capituli Prouincialis nequeunt Prouincialem suspendere ex quocunque excessu nec propter quamcumque culpam per ipsum commissam si Prouincialis ipse paratus est obedire, & se emmendare. (Et non loquor de culpis in dubio præcedenti positis) probatur hæc conclusio. Quia Diffinitores suspendere nequeunt Prouincialem nisi quando ipse incorregibilis extiterit, vt patet in litera, sed quando Prouincialis promittit emmendam infuturum, non est incorregibilis propriè loquendo, datò sępe sępius cecidisset, ergo non est integrum diffinitoribus in hoc casu Prouincialē suspendere consequentia est bona, maior patet ex litera, *distinctione secunda, Capitulo septimo. num. octauo.* Vbi solū in hoc casu conceditur diffinitoribus

 po-

potestas ad suspendendum Prouincialem, minor autem probatur ex Baldo dicente, quod ille est in corregibilis, qui non paret iudici in sententia, sed iste Prouincialis paret diffinitoribus in omnibus, ergo. Secundo probatur ex contextu ipsius constitutionis, ait enim constitutio, quod isti Diffinitores audiant excessum Prouincialis confessi, vel proclamati incapitulo Prouinciali coram fratribus, & emmendent, ei pœnitentiam in iungentes. Et statim sequitur in litera. Si autem (quod ab sit) incorregibilis extiterit, ipsum vsque ad capitulum generale ab officio suspendant. Quasi dicat. Si emmendam, & pœnitentiam sibi in iunctam recipere noluerit, tunc suspendatur per Diffinitores. Confirmatur, quia ante capitulum Prouinciale, & antequam per diffinitores correctus fuerit Prouincialis, non potest dici incorregibilis propriè accepto hoc verbo in corregibilis: quamuis per Priores conuentuales & alios fratres monitus fuerit super aliquibus excessibus, & ipse non se emmendauerit. Hoc dictū probatur, quia in Iudicio non vocatur in corregibilis & contumax nisi qui iudici suo monenti non paruit. *Syluester, verb. contumax.* Et hæc est potissima ratio quæ me mouit, & valde coegit ad dicendum quod verba illa constitutionis nostræ supra aducta, *Si autem Prouincialis in corregibilis, &c* Ipsum Diffinitores suspendant. Quæ debent intelligi, quod scilicet, si Prouincialis sit n corregibilis ad emmendā,

& pœ.

& pœnitentiam quam pro suis excessibus Diffinitores in capitulo Prouinciali ei in iungunt, nam antea non potest dici iuridice monitus, vt modo iudicetur iuridice in corregibilis, quia ista incorregibilitas fuit in alio foro, scilicet charitatis & conscientiæ; ista autem de qua loquitur constitutio est illa quæ nascitur ex in obedientia in non parendo mãdatis, & monitionibus iudicis in foro iudiciali. Itaque monitio iudicialis debet pręcedere antequam feratur sententia iudicialis, nam media debent proportionari fini, quia ex fine considerantur, & accipiuntur media secundum veram Philosophiã moralem; sed finis in hoc negotio est iudicialis nam fit in iudicio, & à iudicibus ad suspendendum prę latum, à sua prælatia ergo, & media ad hunc finem debent esse iudicialia id est à iudice.

Secunda cõclusio, si Prouincialis in capitulo Prouinciali, Diffinitorum correctioni, & penitentiæ quę sibi pro excessibus in iungitur dixerit, se nole obedire nec acquiescere, tunc habet locum potestas Diffinitorum, & possunt suspendere Prouincialem ab officio, & loco eius Vicarium Prouinciæ instituere, & processum totius rei mittere ad capitulum generale. Hæc conclusio non aliter probatur, nisi quia tunc Prouincialis propriè est, in corregibilis adsuũ superiorem qui est Diffinitorium.

Sed quæres, numquid statim cum Diffinitores audierint coram eis in capitulo Prouinciali seden-

tibus dictam Prouincialis incorregibilitatem, potuerunt eum suspendere sine alia noua citatione? Ad hoc respondentur duo. Primum, quod in rigore iuris absque dubio poterunt Diffinitores statim sine alia citatione suspendere Prouintialem in iudicio, probatur hoc dictum quia citatio est facienda quãdo potest reus aliquam excusationem affere suę culpę cõmissę; sed quando clare constat nullã habere, nec possedare legitimam suæ culpæ excusationem, & quando hoc est notorium vt hic, non opus est alia citatione vt notat Panormitanus, *cap. peruenit. de appellat. num.* 7. Notorius enim criminosus non est audiendus in iure appellans. Secundò dico, quòd dato in rigore iuris sic posse fieri; at vero quia huiusmodi suspensione Prouincialis magnum scandalũ oritur inter sæculares & maximum detrimentum in fama, & bona reputatione apud eos resultat; & in prouincia inter fratres discordiæ, rixę, & contentiones, quod quidem est maximè habendum: Consulo Reuerendos patres Diffinitores, vt non statim sententiam præcipitent, sed cum modestia, & dolore cordis intrinsecus, patrem communem, & caput Prouinciæ monita salutis proferant, circunstantes rogantes, vt super tanta miseria ad dictum prouincialem præces effundant; mandantes Prouinciali vt in cella se contineat, ad eundem mittant grauiores patres qui eum commoneant, ad pœnitentiam prouocent, foueant per compassionem, hor-

hortentur ad satisfactionem, & si tunc Prouincialis resipuerit, gaudeant super patre, & super oue quę perierat, quoniam iuuenta est. Quid aliud prętendere debet capitulum Prouinciale, & patres qui ad hoc in vnum sunt cougregati nisi emmendam peccatorum?

Si autem (quod absit) Prouincialis propteruus extiterit, tunc sentiat virgam qui baculo noluit inniti. Fiat processus & suspendatur per patres Diffinitores ab officio prouincialatus. Et aduertendum est, quod huiusmodi suspensio debet fieri inscriptis, & exprętsare causam quare talis suspensio fertur, vt habentur *in cap. 1. de sentent. excommunic. in 6.* Alias incurrent pœnam suspensionis ibi positam. Verbi gratia, tali die, mensis, anni, &c. Tali loco, coram N. in capitulo Prouinciali, cum culpas diceret Reuerendus Pater noster Prouincialis, & super excessus eb eo commissos emmendaretur per Dissinitorium huius capituli, & ei pœnitentia in iungeretur, respondit se non facturum, super quo iterum atque iterum monitus, adhuc non acquieuit, ideo nos frater N. &c. tractato hoc negotio cum antiquioribus patribus Prouincię suspendimus dictum Prouincialem ab officio prioratus vsque ad Capitulū generale sequens. Sustituentes loco eius reuerendum Patrem N. in Vicarium generalem huius Prouinciæ, mandantes omnibus religiosis huius Prouinciæ in virtute sanctæ Obedientię, vt pro tali Vicario gene-

 rali

rali eum habeant, & ei obediant, & sub eodē prę-cepto pręcipimus dicto patri Vicario generali vt statim assumat officium & exerceat, in cuius robur nostris nominibus subscripsimus. Et clausum hunc processum cum sigillo communi Prouinciæ mittant ad Capitulum generale.

Dubium, 6.

QVÆRitur modo, à quibus manet suspensus supradictus Prouincialis? Et videtur quod est suspensus ab administratione sacramentorum, celebrationequè Missę, & officiorum diuinorum.

Probatur, quia suspensus ab officio, est etiam suspensus à beneficio, & ab omni iurisdictione, nam hæc iurisdictio competit ratione officij, & habet connexionem cum officio, vt inquit Panormit. *In capit. finali de Clerico, excommunicato, num.* 7. Et sic manet suspensus à iurisdictione spirituali; vnde nec celebrare, nec eligere, nec sacramēta conferre potest, denique manet suspensus ab omnibus quę fundantur in ordine Clericali, vt etiam tenet Syluester, *verb. suspensio* §. 5. & armilla, *verb. suspensio.* §. 6. Inquit quod suspensus ab officio tantum, non potest eligere nec eligi, nec alia quę expectant ad ordines facere, & Panormit. vbi supra nu. 2. dat horum rationem, scilicet, quia omnia ista fundantur super or-

dine

dine Ecclesiastico, laicus enim non potest ista exercere, si ergo clericus suspenditur à fundamento scilicet ordine Ecclesiastico, quod quidem fit, dum simpliciter suspenditur clericus ab officio, id est ab officio clericali; & Ecclesiastico, profecto videtur ab omni edificio suspendi quod inititur huic fundamēto; edificium hoc est, executio ordinis iurisdictionisquè spiritualis. Et sic ait Syluester vbi supra, quod remota executione fundamenti, id est, ordinis Ecclesiastici officij, remouetur & accessorium quod est iurisdictio. Itaque iuristę huius opinionis volunt dicere, quod quando ius vel homo dicunt, suspendimus talem Ecclesiasticum ab officio, nomine officij, prius & principaliter venit officium ordinis clericalis, & Ecclesiastici, cum laici non possint facere quæ sunt huius officij. Deinde dicunt, quod iurisdictio spiritualis, & Ecclesiastica quam habet clericus, fundatur super officio ordinis clericalis, & Eclesiastici, & sic de primo ad vltimum, si suspenditur ecclesiasticus ab officio ordinis, suspenditur à iurisdictione omni Ecclesiastica, & spirituali, nam ista fundantur in dicto officio Ecclesiastico.

Prima conclusio, Prouincialis per dictam suspensionem qua suspenditur per diffinitores, virtute cōstitutionis nostrę, potest exercere omnia illa quę poterat antequam eligeretur in Prouincialem. Pro huius conclusionis declaratione, & probatione, oportet notare, quod qui est excommunicatus, est sus-

suspensus ab omnibus à quibus suspenditur suspẽsus ab officio & benefficio, ordine, & alijs, *Vndecima q. 3. cap. omnis, & cap. audi, & cap. non solum,* vide Syluestrum, *verb. excommunicatio 3.§.2.* Et effectus non potest diuidi, vt scilicet, sit solum à tali actu, & in tali casu excommunicatus. Secus est in suspensione iuris, vel hominis, nam potest in toto, vel in parte quis suspendi, puta ab in gressu Ecclesię solum: vel à beneficio solum, vt docet Panormit. *in cap. cum dilectus de consuetud. num. 20.* Qua propter figenda est mentis acies in id à quo fit suspensio, & conformiter ad ea à quibus quis suspenditur, dicetur & erit suspensus secundum Syluestrum, *verb. suspensio. §.5. per totum.*

Et quia Prouincialis mandatur suspendi non ab officio solum, sed ab officio prouincialatus, ideo in hoc solum cadit suspensio, scilicet, ab administratione prouincialatus, & non ab alijs. Et hoc solum intendit constitutio in huiusmodi suspensione, tollere scilicet, Prouincialem ab administratione Prouinciæ, probatur conclusio, quia in pœnis debet fieri stricta interpretatio, *cap. is qui de sentent, excommunic. in 6.* Et argumenta in contrarium solum probant, si constitutio tantùm diceret quod Diffinitores suspẽdant Prouincialem ab officio

Secunda conclusio, Prouincialis iste suspensus habebit locum super omnes fratres, sicut alias haberet si officium suum finiret. Probatur conclusio, quia adhuc manet Prouincialis quamuis suspesus. Secũdo

quia

quia locus est dignitatis & non officij. & quod adhuc sit Prouincialis probatur *ex cap. ex tuæ, de clericis non resident. num.* 7. Vbi inquit Panormit. quod Parochus excommunicatus, parochus est, ergo à fortiori, Prouincialis suspensus Prouincialis est. Tertio probatur, quam si ex Capitulo generali vbi Missa est causa huius suspensionis, venit sententia in fauorem Prouincialis, non oportet tunc iterum eligere istum Prouincialem, ergo erit Prouincialis, licet suspensus; ac per consequens habebit omnia illa quæ sunt dignitatis, & non iurisdictionis in sua prouincia, sicut alius Prouincialis alterius prouinciæ in hanc deveniens, & sic habebit locum, & filium.

Sed dubitatur, quanto tempore durabit ista suspensio? Nam Panormitanus, *in cap. ex tuarum de sortileg. num.* 3. Inquit, quod suspensus ad tempus, tempore illo elapso potest, absque aliqua absolutione suum officium exercere; sed iste Prouincialis fuit suspẽsus ab officio prouincialatus vsque ad Capitulum generale, ergo transacto tempore & celebratione capituli, modo ibi diffiniatur causa suspensionis, modo nõ, Prouincialis erit absolutus à suspensione, poteritque exercere suum officium. ad hoc respõd. Quod vna quęque res ex fine proprio debet considerari, cum ergo finis suspensionis Prouincialis, & missionis processus causæ eius ad Capitulum generale fuerit, vt ibi examinetur, & videantur merita

proceſſus,vt iuſtititia detur alteri parti, non eſt ſatis, nec examinata & completa dici poteſt cauſa, quouſque reſponſio diffinitiua à dicto capitulo generali perueniat.

Dubium 7.

AN iſte Prouincialis ſuſpenſus habeat fidelium, & locum ſuperiorem ſuper Vicarium generalem prouinciȩ ſuſtitutum loco eius? & an maneat ſubiectus iſti Vicario generali?

Prima concluſio, Prouincialis iſte ſuſpenſus cedet Vicario generali prouinciȩ in loco & fidelium, hȩc concluſio probatur *ex diſtinct.* 2. *cap.* 8. *num.* 7. & 8. Vbi dicitur, quod licet Magiſter ordinis amotus in prȩſentia magiſtri ordinis prȩcedat ſuum Prouincialem in ſua prouincia, non tamẽ in abſentia magiſtri ordinis, quia tunc prȩcedet Prouincialis prouinciæ iſtum Magiſtrum ordinis amotum. Et in abſẽtia prioris Prouincialis prouinciæ, præcedet principalis prȩlatus conuentus. *&* *nu.* 8. ordinatur, quod Prouinciales abſoluti, nec Magiſtri in Theologia, prȩcedant loco præſidentibus locorum. Ex quo colligitur quod Vicarium iſtum generalem non debet prȩcedere Prouincialis iſte ſuſpenſus nec loco, nec indicendo fidelium, quia principali prȩlato loci omnes cedẽt loco, niſi ſit Magiſter ordinis vel Prouin-

uincialis illius prouinciæ. & ad argumentum quod potest fieri, quod iste Prouincialis suspensus, est Prouincialis in sua prouincia ergo habebit locũ.&c. Respondetur, concedendo antecedens, quia tamẽ non est prȩlatus cum iurisdictione, solum habebit quæ sunt dignitatis, & quæ alias haberet Prouincialis alienȩ prouinciæ ibi existens.

Secunda conclusio, Prouincialis iste suspensus manet subiectus Vicario generali. probatur, quia iste Prouincialis non est prȩlatus cum iurisdictione ergo est subditus, conseq; probatur, quia non est dare medium inter subditum & prȩlatum, itaque subiectio respicit superioritatem cum iurisdictione, & quia iste Prouincialis non habet superioritatem cum iurisdictione, ideo est subiectus, & quia iste Vicarius est superior in tota prouincia cum iurisdictione necessario confitendum est, omnes religiosos suȩ prouinciȩ subditos eius esse.

Ex hac conclusione sequitur, quod si opus fuerit poterit iste Vicarius generalis ponere prȩceptum Prouinciali sic suspenso, censuramque apponere, nam est verus prȩlatus, & ille subditus eius, & à fortiori poterit totum Diffinitorium imponere super Prouincialẽ suspensum, siquidem est verè subditus quo vsque decisio causȩ à capitulo veniat.

Dubium vltimum.

SV Pponamus Diffinitores errauisse in suspendendo Prouincialem, quia scilicet illum suspenderunt in casu quo alias non valebant illum suspendere quid dicendũ de his quę postea subsecuta sũt?

Prima conclusio, dato Diffinitores errauerint in suspensione Prouincialis iudicantes in corregibilitatem quę alias non erat, puta quia tam ipsi quam priores & pręlati prouincię ante capitulum Prouinciale monuerant Prouincialem super aliquibus excessibus, quorum monitioni ipse Prouincialis nõ acquieuit, & sic suspenderunt eum; tũc licet nulla fuit suspensio ista, at vero gesta per Vicarium generalem quem loco Prouincialis substituerunt, valida, & rata sunt. hæc conclusio probatur *per leg. barbarius ff. de officio prætoris*, vbi dicitur quod gesta, ratione publici officij valent, & si qui illa gessit non habuerit iurisdictionẽ. Secundo probatur per Panormit. *in cap. nihil de electione, num.* 21. Vbi ait, quod licet excommunicatus sit priuatus officio & beneficio, valebit tamen quod gessit ratione publici officij quãdiu tolleratur, quod etiam tenet Syluester *verb. excommunicatio* 3. §. 11. *Nauar. cap.* 27 *num.* 22. Et communis turba doctorum, tertio probatur ex Caietano insumma verb. absolutio, in impedimentis absolutionis, vbi inquit, quod vbi interuenit titulus, & communis error facti simul in aliquo non habente iurisdictionem, valeant gesta per eum. titulũ vocat quando quis datus est iudex a superiore, communẽ

erro-

errorem facti, quia communiter homo ille habetur pro iudice, quia nescitur illum carere iurisdictione, tunc (inquit Caietanus) omnia gesta per eum tenēt, quia concurrunt simul titulus publici officij, & communis error. Sed hæc omnia hic interuenerũt, quia titulus publici officij datus fuit illi Vicario generali in Vicarium prouinciæ per Diffinitores, & similiter communis error facti dũ communiter in prouincia habebatur pro Vicario, nesciebaturque illum carere iurisdictione ergo.

Et si ante quam decisio capituli generalis adueniret, tempus istius Prouincialis suspensi expleretur; non est dubium nisi quod valerent etiam gesta in Capitulo Prouinciali vbi alter Prouincialis electus fuit; vbi etiam Vicarius generalis præsidere debeat, quousque Prouincialis ibi eligatur. Et confirmatur, quia tunc vsque durauit eius potestas, & Prior conuentus vbi tunc capitulum celebratur nõ erat Vicarius prouinciæ quia prouincia habebat suũ Vicarium generalem, acta enim capituli Prouincialis durant vsque ad alterum capitulum prouinciale, dicitur namque in prologo, vita vnius capituli durat vsque ad sequens capitulum.

Sed quid iuris si in capitulo generali declaratur non valuisse suspensionem factam de Prouinciali?

Secunda conclusio, quando Capitulum generale declarat suspensionem qua Diffinitores suspenderunt Prouincialem, nullã fuisse, & contra ius cõsti-

tutionis nostræ, tunc ego inuenio de iure canonico debere, quod Prouincialis suspensus restituatur ad pristinum statum in quo erat quando in iuste suspensus fuit, & quod expleat tempus sui officij residui, non obstanti quod hoc tempus iam pertransijt, & quod electus fuit alter Prouincialis & confirmatus in prouincia. hæc conclusio quia in nostris constitutionibus eius probatio non inuenitur, probari debet per ea quæ in iure canonico inueniuntur in simili casu & materia, nam vt dixi supra in preęmio prologi, constitutiones nostrę debent interprętari secundum ius commune (nisi aliter sit concessū per Papam) nam omnes subijcimur, iuri Canonico *cap. 1. de constitut. & Panormit. cap. vltimo de statu monach. num. 1.* Inquit, quod religiosi puniuntur non solum per regulam suam, sed etiam per ea quæ habentur in sacris canonibus. Ex his arguitur sic, iste Prouincialis (vt suppono) iuris ordine post posito, imo cōtra ius canonicum, & nostrarum constitutionum, à iudice suo scilicet, à diffinitoribus fuit expoliatus sua Ecclesia, nempè sua prouincia, cum sua gubernatione & regimine; ergo debet eidem restitui, & reddi cum omni tempore sui officij quod deerat, probatur conseq; quia aliàs non plenè redderet ei Ecclesia sua, sed summus Pontifex mandat quod ei, scilicet taliter expoliato reddatur nō solū Ecclesia sua sed omnes redditus inde percepti, id est, omne illud quod minus habet à tempore suspensionis à prouincia.

cialatu, scilicet, duo anni qui transierunt post di-ctam suspensionem, ergo. Confirmatur, quia aliàs nō esset vera restitutio quæ consistit in æqualitate. Et in hoc quod spoliatus re sua, iterum statuatur in dicta re cum omni damno quod propter hoc passus est, vide diuum Thomam. 22. *quæst.* 62. *art.* 1.

Dicunt aliqui, quod quando ista declaratio Capi tuli generalis huc peruenisset, tunc iste prouincia-lis restituendus, deberet cedere iuri suo, & nolle iterum restitui in pristinum officium suum, quam permittere in sua prouincia hanc confusionem, vt Prouincialis verè & legitimè electus absolueretur, à suo officio, & acta gesta què capituli Prouincialis cassarentur, & annularentur, & probant, quia post ponenda est confusio vnius, confusioni totius cō-munitatis & prouinciç. Confirmatur, quia iste Pro-uincialis tenetur sic velle, sic procurare vt fiat, nam pars potius debet velle diminutionem & damnum suum, quam sui totius, ergo. Ad hoc respondetur, quod hæc non contradicunt ijs quæ dicta sunt in se-cunda conclusione. Tùm quia nos loquimur quid de iure, & iustitia iudex in hac causa facere debet: & obiectiones nihil probant contra hoc, nam si quid probant nihil aliud probant nisi quod de vrbanita-te & charitate esset faciendum in hoc casu. Tùm e-tiam quia iste Prouincialis qui fuit suspesus, est caput prouinciæ & persona publica, & vltra hoc, innocens, cuius causę maximè iuuant omnia iura.

Vltimò

Vltimò quia iste Prouincialis non potest renunciare, & cedere suo prouincialatus officio in manibus Diffinitorum capituli Prouincialis, vt dicemus infra in prologo hoc num. 8. Dubio 3.

Dubium Primum.

DE Vicario generali, ad quæ & quanta se extendit eius authoritas, & potestas?

Dicit enim constitutio nostra distinct. 2. Cap 3. statuimus & ordinamus vt mortuo vel amoto Priore Prouinciali, prior conuentualis illius loci inquo primum Capitulum fuerit celebrandum vices eius obtineat, quovsque Prior Prouincialis illius prouincię sit electus & confirmatus, & glossa ibi, vices Prouincialis in omnibus gerit. Hoc supposito dubitatur, an talis Vicarius generalis posſit absoluere vicarios sufragiū habentes, & alios instituere, priuare voce electores, & huiusmodi?

Pro parte negatiua facit nostra constitutio *distin. 2. cap. 3. lit. H.* Vbi ait textus. Instante vero prioris Prouincialis electione, Priorum conuentualium absolutionem (nisi ob causam criminis, vel grauis scandali vel ipso Priore petenti fieri totaliter prohibemus, & glossa ibi ait, declaramus & volumus, quod sicut in minente electione Priorum conuentualium non debent fieri mutationes fratrum infra

Men-

Menſem ante electionem prędictam niſi in caſibus exprępis in conſtitutionibus; ſimili modo declaramus, & volumus quod non fiant mutationes fratrū, priuationes vocum, abſolutiones Priorum à tempore notitiæ carentię Prouincialis in aliqua prouincia, vſque ad notitiam confirmationis eiuſdem niſi in caſibus in conſtitutionibus contentis, ſicut fuit declaratum in Cap. apud Venetias 1357. & apud Bruges 1369. & apud Coloniam 1301. & idem habetur diſtinct. 2. cap. 16. nu. 4. per errorem 12.

Pro huius dubij declaratione eſt notandū, quod antiquitus, tempus prohibitum ad aſsignationes fratrum faciendas, & priuationes vocum, abſolutiones què priorum erat, ſede prioratus vacante per totum illum Menſem inquo electores habent ius ad eligendum, & ratio tunc erat, quia neſciebatur determinatè tempus abſolutionis ſeu vacationis prioris. Et hoc fuit obſeruatum ab initio noſtri ordinis vſque ad annum 1504. vt patet in Gloſſa *diſtinct. 2. cap. 16. lit. c.* Poſtea autem Iulius ſecundus ſtatuit tempus durationis priorum & Prouincialium, & ſic ait Gloſſa noua in loco immediate citato. Item declaramus, quod ab anno 1504. quo per bullam Iulij Papæ ſecundi, priores tam prouinciales, quam cō uentuales facti ſunt temporales, & per totum fere ordinem hęc bulla accepta eſt, & conſequenter ſciri poteſt determinate tempus abſolutionis ſeu vacationis prioris: ideo non debent fieri nouæ mutationes,

nes, nec nouæ fratrũ aſsignationes intra Menſem dictæ abſolutionis, ſeu vacationis. Ecce ſecundum tempus prohibitum, quod eſt per totum Menſem ante vacationem prioris; quod ſecundum tempus iam per multa Capitulorum generalium acta quæ obſeruantur in praxi extenſum eſt, ad duos Menſes ante vacationem prioratus in quibus nullæ poſſunt fieri fratrum aſsignationes; maximè per Capitulum generale Romæ celebratum anno 1601. Vbi ordinatur ex mandato Summi Pontificis Clementis Octaui, ne duobus menſibus ante tempus electionis prioris vllæ fiant aſsignationes, & idem in capitulo generali vallisoleti celebrato anno 1605. titulo acceptationes.

Hoc ſuppoſito tria poſſunt hic Dubitari. Primum. An poſsit Prouincialis ſeu Vicarius generalis aſsignare fratres, & illos mittere ad conuentum in quo eſt vacans prioratus, (quod eſt primum tempus aſſignatum à conſtitutione & prohibitum) vel ab illo dicto conuentu fratres mutare. Secundùm, ſi præfati prȩlati poſſunt idem facere infra duos menſes ante vacationem prioratus, quod eſt ſecundum tẽpus prohibitum à conſtitutione & extenſum per capitula generalia. Tertium, an Vicarij generales poſſint (mortuo vel amoto Prouinciali) aſsignare fratres ab vno conuentu in alium extra illa duo tempora prohibita etiam ſi in illis conuentibus fienda ſit electio Prioris ante Prouincialis electionem.

Et in-

Et incipiendo ab hoc vltimo quod tangit solius Vicarij generalis potestatem Dico, quod potest talis Vicarius generalis facere ad libitum tales fratrum afsignationes & mutationes extra tempus prohibitum, sicut & eodem modo quo Prouincialis faceret si viuus & pręsens esset. Pro cuius dicti & conclusionis declaratione est notandum. Quod illa tria verba, scilicet mutationes fratrum. Priuationes vocum. Absolutiones priorum, debent intelligi respectiuè. Hoc est, non potest absoluere priores, nec priuare voce eos, qui sufragium habent in electione Prouincialis (prouincialatus enim est vacans) exceptis casibus in constitutione expręssis. Non potest facere afsignationes fratrum ad conuentum in quo ante Prouincialis electionē debet eligi Prior, intelligitur non posse infra illos duos menses ante prioratus vacationem vt disponunt acta Capitulorum generalium; & est in vsu. Itaque vnaquæque persona debet manere instatu inquo eam in venerit tempus electionis ad quam pertinet. Ante illos tamē duos menses potest Vicarius generalis facere mutationes fratrum sicut poterat Prouincialis. Hęc cōclusio sic intellecta probatur, *primo. ex regula iuris in 6.* Is qui succedit in ius alterius, eo iure quo ille vti debet, Regula 46. Sed Vicarius generalis succedit in ius & gubernationem prouincialis super totam prouinciam, ergo illo eodem iure quo Prouincialis vtitur, vtetur etiam Vicarius generalis. Con-

 fir-

firmatur ex dicto Panormitani *in cap. cum ad monasteriũ, de statu monach.* Sub rogatum (scilicet) debet sapere per omnia naturam subrogantis. per omnia inquit, & qui totum dicit, nihil excludit. *Cap. solitè de maiorita-te, & obedientia.* Confirmatur secundo, quia constitu-tio nostra *distinct. 2. cap. 3 iuncta Gloßa,* Inquit, Vicarius generalis vices Prouincialis in omnibus obtinebit, ergo quando licet Prouinciali mutationes facere, licebit etiam Vicario generali, exceptis casibus in constitutione exceptatis.

Secundo prob. conclusio, notando priùs, quod ad intelligendum sensum alicuius legis, semper est at-tendendum ad finem & rationem quare lex illa lata est, & non ad id quod sonant verba; quę semper de seruiunt intentioni *cap. sedulo de verborum significat.* Id est, sunt interprętanda propter intentionem, sed finis sanctæ cautelæ & prohibitionis nostrę, ne scili-cet, mutationes, priuationes & absolutiones fiant est, vt electiones nostrę maximè liberæ sint, & om-ni nota coactionis careant, *distinct. 2. capit. 16. num. 4. per errorem 12.* Ergo seruato hoc fine, vt vere serua-tur per dicta in nostra conclusione, sufficienter ser uatur lex. Itaque magis attendendum est in verbis prohibitiuis constitutionis nostrę ad sensum quo fiunt, quam ad sensum quem faciunt, cum ergo Vi-carius generalis faciat mutationes extra tempora prohibita, inquo apparet quod non est infraudem legis, nec ad augenda seu minuenda vota, sed facit

quod

quod expedit bonę gubernationi suę prouincię licebit quidem talia facere. Tertio prob. ex consuetudine, & practica quæ est optima legum interpres, & quamuis huius practicę parua notitia habeatur in his prouincijs, inquibus Prouincialis statim quod eligitur confirmatur authoritate Papę, & ita non exercet vicarij generalis potestatem; in prouincijs tamen Hispanię, quæ Prouincialis electi confirmationem a Reuerēdissimo per duos vel per tres mēses expectant, quo tempore Prouincialis electus exercet officium Vicarij generalis, sufficienter practicatur ad quæ, & quanta se extendit eius potestas, & authoritas. itaque cum verum sit quod eodem rigore prohibet constitutio nostra mutationes, absolutiones & priuationes fieri quando prouincia caret Prouinciali, & conuentus Priore, & postquam electi sunt dicti prelati, non tamen confirmati quia adhuc electio manet insuspenso, *distinct. 2. cap. 16. lit.* C. Nihil ominus tales Vicarij generales absoluunt priores in casibus constitutionis, & ad libitum faciunt mutationes fratrum vocalium extra illos tamen duos menses, ergo in hoc sensu & vt dictum est debet intelligi constitutio in contrarium allegata. Denique probatur conclusio ex textu constitutionis nostræ, *distinct. 2. cap. 16. num. 4. per errorem* 12. Vbi dicitur, districtè in iungimus prioribus prouincialibus, & quibuscunque vicarijs, quod infra Mensem ante electiones quascunque, nouas asignationes, & mutationes

atrtrum non faiant in conuentibus in quibus electiones huiuſmodi fuerint celebrandæ ; niſi pro officio lectoriæ, &c. Vbi aduertendum eſt, quod prohibet prouincialibus,& quibuſcumquè vicarijs vt infra dictum Menſem non faciāt aſsignationes. Ergo extra dictum Menſem ſicut conceditur prouincialibus illas facere & faciunt, ſimiliter conceditur vicarijs generalibus. Et hoc ſupponit ſupradictus textus. Conſequentia illa probatur excō-muni axiomate iuriſtarum, *exceptio firmat regulam in cō-trarium.* Maximè quia ſemper fauere debemus ordinarię poteſtati. Et quando de prẹiudicio illius agitur non ſufficit dubium & prẹſumptio, ſed claritas,& plena probatio. Ex Panormitano, *Capitulo cum in iure, de officio delegati, num. 2.*

Ad gloſſam allegatam in principio dubij pro argumento repondetur, quod venit corrigenda per textum ſupradictum Capituli 16. ſicut ipſe textus eā refert, & declarat. Item dato ſint leges oppoſitę,plus ęſtimatur textus quam gloſſa. Imo vero gloſſa deſtruens textum reijcitur.

Ad ſecundum dubiolum, an videlicet integrum ſit Vicario generali mutationes fratrū facere infra duos menſes ante vacationem prioratus? reſpondetur negatiuè. Niſi in caſibus in conſtitutione expreſſis. *diſtinctione ſecunda, capitulo 2. in gloſſa, litera q. in fine.* Vbi ponuntur duo caſus, ſcilicet ratione lectoriæ, vel grauis ſcandali. Et *in capitulo 16. in textu, nu. 4. per*

errorē

errorē 12. Ponit̄ terti⁹ casus, scilicet ratione proratus.

Ad primum dubiolum, an scilicet sede prioratus vacante posſit pręfatus vicarius generalis easdē mutationes facere? respondetur eodem modo, videlicet non posse nisi in casibus supradictis. Religiosos autem non habentes suffragium in electionibus, potest ad libitvm, & in quocumque tempore mutare: cum per talium mutationes neque augentur, neque minuuntur voces.

Sed adhuc est difficultas. Poterit ne Vicarius generalis intra illos duos menses ante vacationē prioratus, & intra ipsum Mensem electionis asſignare fratres,& illos mittere in conuentum inquo instat, & facienda est electio, fratres inquam qui alias habent vocem in electione Prioris? respondetur quod sic. Et tales verè & realiter manebunt asſignati in tali conuentu; non tamen habebunt vocem in electione quę instat. Hoc dictum patet in iure nostrarū constitutiouum, *distinctione* 2.*capit*.16.*num*.4.*per errorem* 12.Vbi sic dicitur.Quod si contrarium factum fuerit, huiusmodi asſignationes seu mutationes quoad priuationem vocis in conuentu dequo fiunt, & quo ad ipsam vocem in conuentu vbi fiunt asſignationes, suum non sortiantur effectum. Ergo respectu valoris dictarum asſignationum suum sortiuntur effectum. Consequentia est bona,ex communi doctrina iuristarum. Qui enim vnum negat, vel reuocat, alterum concedere vel non reuocare videtur.*Capitulo non ne*,*de*

præ-

præsumptionibus. Et ex alia regula. Quod de vno prohibetur, de alio permittitur. *Capitulo qualis, distinctione vigeßima quinta, gloßa ibi, litera* T. Vnde etiam si assignatio illa prohibeatur quoad effectum votandi, permittitur tamen quoad valorem veræ assignationis. Propter quod, religiosus qui assignatus exiuit à conuentu in quo instat electio, debet ad illum reuertere & ibi votare. Et post electionem factam & confirmatam ad conuentum vbi est assignatus iterū venire. Et ille alter qui assignatus fuit in conuentu vbi faciēda est electio, nullatenus habebit vocem in illa.

Dubitabis iterum. Prouincialis seu vicarius generalis assignauit fratrem in conuentum ante vnū annum integrum vacationis prioratus, postea tamen ante transactum Mensem obijt prior dicti cōuentus. Habebit ne talis religiosus vocem in futura electione? videtur quod non, quia non fuit assignatus ante duos menses vacationis prioris vt disponunt acta Capitulorum generalium. Ad hoc respondetur, quod prefatus religiosus habet in illa electione vocem. Primo quia ista lex fundatur in presumptione, præsumit namquè legis lator quod prelatus qui infra illud tempus prohibitum mutationes facit, tollere intendit electionis libertatem contra sacros Canones. Quod malum constitutiones nostrę prohibent & impediūt. Vt patet ex illo verbo. V*t electiones nostræ liberè fiant*. Et ex illo. I*tem declaramus, quod cum ex inductionibus & praticis in debitis libertati electionū*

nũ ordinis plurimũ de trahatur, & cinseritas status ordinis nostri multipliciter lędatur. distinctione secunda, capitulo 2. litera Q. Vnde cessante hac præsumptione vt vere & realiter in nostro casu cessat; cessat etiam lex. Vt fert commune theologorum axioma à iuris peritis receptum. Lex in præsumptione fundata non obligat in conscientia quando præsumptio est falsa, & veritas est in contrarium. *Capitulo tua, de sponsalibus.* Secundo, quia hęc prohibitio fuit facta propterea quod clare scitur dies vacationis prioris; ergo quãdo nec scitur, neque cognosci potest sicut contigit in casu dicto in speratæ mortis Prioris, cum cesset fraus & dolus, cessat etiam rigor legis. Dixi mortis subitę & in speratæ. Nam si taliter fiat, quod Priore grauissimè infirmante acceptis iam sacramẽtis, Prouincialis seu vicarius generalis faceret prędictas fratrum mutationes, illi religiosi sic assignati carebunt voce in futura electione, etenim fraudem istam & dolum vult tollere constitutio nostra & illi obuiat, annullando similes assignationes quoad effectum votandi.

Ad dubium principale, an videlicet integrum sit Vicario generali absoluere vicarios suffragium in electione habentes, in electione inquam diffinitorum & prouincialis, & alios nouos ibi instituere? Respondetur, non posse dictos vicarios absoluere nisi in casibus in constitutione exprȩssis, *distinctione secunda, capitulo 3. in textu, num. 7.* Scilicet ob causam cri-

minis vel grauis scandali, vel ipso priore petenti, & quia Vicarij domorum quæ non sunt prioratus gaudent priuilegio priorum, ideo in illis currit eadem ratio. Maximè quia cum sint vocales minuuntur vota, quod quidem à lege cauetur. Et sic concedimus textum allegatum à principio, & Glossam quo ad istam partem quo ad aliàs autem iam dictum est.

Sed maiorem difficultatem habet secunda pars dubij, An videlicet possit vicarius generalis instituere nouum vicarium in domo in qua absolutus alter fuit ratione alicuius casus ex supradictis? Videtur quod non. Quippe constitutio non loquitur de nouis crationibus, sed de absolutionibus. Omnia enim intelliguntur prohibita quæ non sunt expressè concessa, *Capitulo Pastoralis. de appellationibus.* Maximè quia Glossa nostrarum costitutionum, *distintione* 2. *Capitulo* 16. *litera* C. inquit, non debeat voces augeri neq; minui. Instituere autem nouos vicarios esset augere vota, ergo hoc est ei vetatum, & prohibitũ. Nihilominus respondetur, Vicarium generalem posse tales vicarios instituere. Nam cum vicarij domorum quæ non sunt prioratus gaudent vt diximus priuilegio priorum: modus, & ordo, qui seruatur in prioratibus, idem proportionabilitèr, & respectiuè seruatur in ijs vicarijs. Vnde sicut vacante prioratu electores habent ius ad eligendum intra vnum mẽsem, & ad petendum confirmationem electionis ab

eis

eis factæ, & vicarius generalis habet etiam Ius ad confirmandum vel cassandum dictam electionem secundum electionis merita; ita similiter vacante vicarija per mortem vel amotionem Vicarij, electores vicariorum qui sunt quatuor patres à consilio prouinciæ habent ius ad eligendum Vicarium, quem vicarius generalis per suas literas patentes instituit, & pręficit illi domui viduatæ, cũ omni authoritate secundum formam, & vsum qui in hac prouincia seruatur. Vnde sicut nullatenus dici potest augeri vota ex dolo & fraude per hoc quod in illo conuentu vacante eligatur Prior & confirmetur à superiore ne conuentus maneat à cephalus, ita similiter nequit dici augeri vota ex dolo & malitia per hoc quod patres à consilis & præfatus vicarius generalis pręficiant Vicarium illi domui vacanti, ne maneat sine proprio capite. Et hoc est concessũ nostris pręlatis à iure constitutionum nostrarum, quæ non permittunt conuentum absque suo rectore, & capite diutius manere. Et ad minus ab illis nõ prohibetur. Id autem quod nulla lege prohibetur, concessum est. *Leg. nec non, ff. ex quibus causis.* Confirmatur hoc & magis declaratur. Ius quod habent electores prioris in conuentu à iure communi & constitutione concessum est, vt prouideant conuentui & fratribus de Priore & gubernatore suo. Ergo cũ idẽ & eiusdem rationis, & in eodem periculo sint pro illo tẽpore fratres Vicariarum absque prælato; ius

quod prouidit in prioratibus non habentibus priorem vt eligatur Prior, prouidit etiam hoc in domibus quę sunt vicarijæ. Aliàs essent tunc absque remedio, quod est maximum inconueniens. Scimus enim membra non diutiùs sine capitis directione cum salute subsistere. Et pro hoc agit quod ait Panormitanus *in capitulo cum in causa, de iuramento calumniæ, num.* 8. Vbi inquit quod ius commune disponens in faborem publicum, est extendibile ex similitndine rationis cum nemini noceat, sed indulgeat. Sed hęc nostra constitutio disponens electionem prioris quocumque tempore prioratus vacauerit, est ius commune ordinis disponens in fauorem publicum eius; ergo debet extendi ad vicarijas quandocũq; vacauerint ex similitudine rationis, præsertim quia nemini nocet sed maxime indulget, ne domus illa maneat acephala absque capite.

In domibus autem non habentibus suffragium potest absque dubio vicarius generalis absoluere, & instituere Vicarios, etiam extra casus in constitutione expræssos: cum per hoc non augeantur neque minuantur voces ad electionem prouincialis, & diffinitorum.

Itaque, sicut mortuo priore vel amoto, Supprior exequitur vices eius plenarie in conuentu, quo vsque electus & confirmatus Prior pręsens in conuentu extiterit, *distinctione secunda, capitulo secundo.* Sic etiã mortuo vel amoto Prouinciali vicarius generalis

vices

vices eius in omnibus obtinebit, quo vsque prouincialis electus sit & confirmatus. Cum limitationibus tamen supradictis.

Dubium secundum.

DIFFicultas parua est. Quid iuris si forte contingat prouinciã carere nõ solum Prouinciali per eius mortem sed etiam Vicario generali, quia Prior conuentus vbi futurum capitulum erat celebrandum similiter suum officium expleuit; nec nõ in conuentu vbi proximum capitulum nuper fuit celebratum, Prior non est. Quis nam erit vicarius generalis Prouincię?

Respondetur, quod casus iste vt iacet contigit in prouincia Mexicana, anno millesimo quingentesimo, quadragesimo quinto. Super quo consultus Reuerendissimus Castelion Magister ordinis remediũ præstitit futuris temporibus perpetuo duraturũ, vbi per hęc verba inquit. Statuimus, quod si aliquãdo contingat vt mortuo vel amoto Prouinciali, cõuentus ille vbi proximum Capitulum celebrandum erat, siue ille vbi nuper est celebratum Priorem nõ habuerit, ad quem secundum nostrarum constitutionum seriem vicariatus ipse vestrę prouincię pertineret; tunc & in eo casu, antiquiores patres illius conuentus vbi est proximũ capitulum celebrandũ

 debent

debent aliquem Vicarium eligere. Sicut de Vicario conuentus Priorem vel suppriorem, vel eius Vicarium non habentis in nostris constitutionibus determinatum est. Qui vicarius ita per eos electus, vices prouincialis quousque prouincialis ipse electus, & confirmatus, & in prouincia fuerit presens, nostra authoritate in omnibus obtinebit. In authético habetur in conuentu sancti Dominici Mexici. Hoc priuilegio gaudent omnes prouinciȩ nouȩ Hispaniæ, quia tempore huius concessionis nondum erant diuissæ, & post earum diuisionem vnaquȩque mansit cum omnibus gratijs, & priuilegijs vt iam diximus, & infra clarius patebit.

Notandum est, quod si Prior Prouincialis moriatur, vel ab officio à moueatur in capitulo intermedio, electio Prouincialis pertinet ad priores conuentuales socios què eorum, ad Magistros in Theologia, & prȩdicatores generales, & ad illos qui in illa prouincia fuerunt Prouinciales. Nec oportebit conuentus socios nouos eligere pro eligendo Prouinciali. non obstanti quod non fuerunt electi pro electione, sed pro Capitulo intermedio. Ducor, quia in distinctione secunda, *Capitulo 3. numero 3.* Ait constitutio nostra. Quod quocumque casu infra illud tempus prouinciam aliquam Prouinciali carere cōtigerit, ad ipsum capitulū Prouinciale eius electio pertinebit, qua per acta capitulum Prouinciale celebretur.

Dubium

Dubium tertium.

QVÆ Nam ſint Vicarij generalis munera, & officia in electione tam Diffinitorum quam Prouincialis?

Reſpondetur quod habet vocem actiuam in electione Diffinitorum. Diffinitores enim eliguntur à Prouinciali, vel à Vicario generali prouinciȩ. *diſtinctione* 2. *Capit.* 5. Et ab illis qui fuerunt prouinciales in illa prouincia. *Diſtinct.* 2. *capitulo* 8. Ab omnibus prioribus ſocijs que eorum. à magiſtris, &c. Vt ſupra, eliguntur etiam à ſuppriore conuentus vbi capitulum Prouinciale celebratur, qui de conſtitutione eſt ſcrutator horum Diffinitorum. *Diſtinct.* 2. *capit.* 5. Ita tenet ſapientiſsimus Noreña in ſuis manu ſcriptis, quia ad quid (ait) ſedet ad banchum? & ſi dubium ſit, admittatur ab omnibus capitularibus nullo dempto ad ſecum coeligendum, vt ſupra diximus, quando de votis in certis.

Habet etiam vicarius generalis vocem paſsiuã id eſt poteſt eligi in Diffinitorem. Nam de Vicario generali prouinciȩ nihil habetur neque vnquã prohibetur eligi in Diffinitorem, cum tamen prohibeã tur tam in conſtitutionibus quam in actis capitulorũ generalium certa perſonarum genera eligi in diffinitores. Quod enim non eſt prohibitũ conceditur. Eo vel maxime quia ex eo quod vicarius generalis

eliga-

eligatur in Diffinitorem nihil absonum sequitur, quippe diffinitores à nullo confirmantur, sed ex vi constitutionis cum eliguntur, suum officium sortiũtur. D*istinctione 2. capitulo 5. & septimo.* Ergo potest eligi vicarius generalis.

Habet etiam vocem in electione prouincialis vt patet. Non tamen sedebit ad banchum, neque erit scrutator in prædicta electione vt vicarius generalis est prouinciæ, numquam enim ei tale concedũt constitutiones nostrę. Sed si forte inter priores conuentuales prius habitum nostri ordinis susce pit, tũc ratione quia est Prior & antiquior inter priores habebit banchum, & erit scrutator. D*istinctione secunda, capitulo 2.* Nihilominus tamen non erit primus scrutator nisi inter scrutatores sit omnibus habitu antiquior. Quia cum non habeat vnde sit scrutator nisi ratione antiquitatis professionis, inde est, quod ea parte qua iuuatur ad locum scrutatoris sortiendum, ex eademmet, debet habere locum in scrutando. Sed ad hoc quod sit scrutator nõ iuuatur quia est vicarius generalis sed quia est Prior conuentualis habitu antiquior, ergo iusta hoc, id est iusta suã antiquitatem habebit locum inter scrutatores.

Confirmatur hoc, quia *distinctione 2. capitulo 4.* Dicitur, quod in electione Magistri ordinis teneant banchum, non vicarius generalis totius ordinis qui tunc ibi prę est, sed tres prouinciales qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt. Ergo similiter

vica-

vicarius generalis prouinciȩ non sebebit ad banchum vt vicarius generalis est. Et pro hoc agit quod dicitur *distinctione 2. capitulo 3 num. 6.* Scilicet quod si magister ordinis dederit vicariū in aliqua prouincia habebit vocem in electione prouincialis sed non tenebit banchum.

Sed contrahoc est argumentum. Quia *in distinctione 2. capitulo vltimo* dicitur, ex priuilegio Alexandri Sexti statutum fuisse, quod vicarius generalis nostri ordinis sicut primum locum in capitulo tenet, sic in electione Magistri ordinis primam vocem habeat. Et quod cum duobus prouincialibus ad recipienda vota eligentium in bancho sedere debet. Et quod non solum dictus vicarius institutus vel instituendus per sedem Apostolicam habeat supradicta, sed quod hoc idem in quolibet Vicario generali nostri ordinis quem futuris temporibus continget institui, debent supradicta seruari, non obstantibus cōstitutionibus nostris, &c. Ecce quæ faciunt supradictam doctrinam dubiam. Maxime quia quando Reuerendissimus Caietanus fuit electus in Magistrū nostri ordinis cum esset vicarius generalis per sedem Apostolicam, in illa electione prȩfuit, iusta dictum breue Alexandri Sexti. Nihilominus respondetur per glossam nouam quam addidit Reuerendissimus Vincentius Iustinianus in dicto Capitulo vltimo distinctionis secundȩ, vbi allegato hoc priuilegio Alexandri Sexti dicitur. Declaramus hanc

constitutionē Alexandri Sexti in capitulo generali Romæ, millesſimo, quingentesſimo, trigesſimo, nono, authoritate Domini Papæ Pauli Tertij non habuiſſe locum, & ab illo tempore & deinceps in electione Magiſtri ordinis numquam fuiſſe ad miſſā neque ſeruatam, quamquam de hoc non extent autenticę Apoſtolicæ literę. Hęc ibi. Ex quo patet cōſtitutioni antiquę ſtandum eſſe in electione Magiſtri ordinis. Quæ mandat quod ſoli illi tres Prouinciales voluntatem eligentium Magiſtrum ordinis ſeorſum diſquirant & conſcribant; & non dicto priuilegio Alexandri Sexti cum non fuerit admiſſum in ordine, & authoritate Pauli Tertj non habuiſſe locum. In ſuper quia dictū priuilegium non loquebatur cum vicarijs generalibus Prouinciarum ordinis vt patet legenti priuilegium ſed cū vicarijs generalibus totius ordinis. Nam primò concedit dictam poteſtatem vicario noſtri ordinis inſtituto vel inſtituendo per ſedem Apoſtolicam, & poſtea addit. Quod hoc idem ſeruetur in quolibet Vicario noſtri ordinis generali quem futuris temporibus continget ſecundum conſtitutiones noſtras inſtitui. Vnde de vicarijs prouinciæ non loquitur vt patet ex contextu. Quippe iſti non ſunt vicarij generales noſtri ordinis, ſed prouinciarum particularium noſtri ordinis, quod dubio ſequenti magis patebit.

Ex quibus infertur quod nullo modo pertinet ad Vicarium generalem prouincię qui tunc capitulo

Pro-

Prouinciali adest, formare decretum electionis, dicendo scilicet ego frater N. vice præsentium electorum, &c. Sed hoc spectat ad primum scrutatorem. *distinct. 2. capit. 3.*

Dubium quartum.

VTRVM Vicarius generalis datus à Magistro ordinis super aliquam partem prouinciæ, videlicet super aliquos conuentus seu particularẽ nationem, habeat locum, & fidelium in illa prouincia? & videtur pars affirmatiua vera. Ex distinctione secunda, *Capitulo septimo, num.* 2. Vbi dicitur. Quilibet vicarius generalis alicuius prouincię per quẽcumque modum legitime institutus locum prouincialis teneat, fidelium dicat, &c. Sed pręfatus vicarius generalis est legitime institutus à Magistro ordinis, ergo ei competunt supra dicta, scilicet locũ habere, & fidelium dicere.

Ad dubium respondetur negatiue. Proquo notandum est, quod nomine vicarij generalis prouincię venit, vicarius generalis mortuo vel amoto Prouinciali, vel ille vicarius generalis relictus à Prouinciali loco eius quando aliàs ipse vel Magister ordinis aliquem fratrem præficiunt in Vicarium generalem totius prouincię. Quia cum iste sit vicarius generalis, & prouinciæ, per aliquem modum legi-

time institutus, scilicet à Prouinciali, vel à Magistro ordinis benè infertur quod de hoc loquitur litera. Et confirmatur, quia glossa ibi, nu. 4. *verbo, quilibet vicarius generalis*, inquit. Vicarij Magistri ordinis vel Priorum Prouincialium non generales sed particulares, siue nationum siue conuentuum, siue missi ad aliquam prouinciam ad visitandum, debent vbique locum suum tenere, nisi in capitulo dum officiunt correctionis exercuerint.

Ad argumentum respondetur, quod litera illa nõ loquitur de illo Vicario generali super partem prouinciç instituto, sed de Vicario generali prouinciç, & quod non loquatur constitutio de Vicario generali alicuius vel aliquarum partium prouinciç patet, ex eo quod statim sequitur in litera, videlicet, & posit concedere literas de beneficijs illius prouinciç durante capitulo dumtaxat. Hoc autem prçdictis vicarijs nullomodo concedi neque posse per eos fieri nullus dubitabit. Non enim dictus vicarius generalis partis prouinciç potest tunc congregare capitulum prouinciale, neque ei prçesse. In tantum enim dicitur & est vicarius generalis, in quantum datus est & institutus à Magistro generali.

Pro quo est aduertendum, quod in hoc cognoscetur an aliquis sit vicarius generalis, putà sidetur ei vniuersitas causarum in tota diçcesi, sicut datur vicarijs generalibus Archiepiscoporum & Episcoporum, quos vulgo prouisores vocamus. Quamuis

refer-

reſeruentur eis multi caſus, ſicuti de iure ſunt reſeruati niſi Epiſcopi eis peculiariter concedant. Vt habetur *in capitulo ſecundo, & tertio, de officio vicarij, in 6.* Vnde quando Prouincialis inſtituit fratrem in ſuum Vicarium cum ſua poteſtate ſuper totam prouinciam, ille talis erit legitimus vicarius generalis illius prouinciæ. Et hoc idem dicendum eſt de fratre inſtituto à Magiſtro ordinis ſuper totam prouinciam, vel ſuper aliquas prouincias: quia vicarius generalis conſideratur ex iuriſdictione generali ſibi data à quocumque prælato ſit. Et iſte habet locum & filium. Et probatur hac ratione, quia ex eo quod gloſſa conſtitutionū noſtrarū, *diſtinctione 2. capitulo ſeptimo, num. 2.* ait, Ordinatum fuiſſe in multis capitulis generalibus, quod Vicarij Magiſtri ordinis vel prouincialium non generales, non habent locum & fidelium, eſt argumentum ab exceptione (quod in iure canonico valet) quod vicarij generales locum & fidelium habent. Nam aliàs ad quid illa exceptio, videlicet; vicarij non generales ſed particulares? Ergo ſi fuerint generales habebunt locum & fideliū. Et vltra hoc expræſſe datur eis locus, & fidelium in loco ſupra citato diſtinctione ſecunda, *capitulo 7. num. 2.* Scilicet quilibet vicarius generalis alicuius prouinciæ per quemcumque modum legitime inſtitutus, locum prouincalis teneat, fideliū dicat, &c.

De claritate autem literarum & expręſsione poteſtatis quam debent habere literę patentes vicarij

generalis ſeu viſitatoris à magiſtro generali dati ſuper aliquam prouinciam, videnda ſunt quę diximus ſupra in principio prologi, Dubio quarto, Regula octaua, per errorem ſeptima.

Dubium vnicum.

QVÆ nam ſit poteſtas & iuriſdictio prioris electi & confirmati ſed non dum in ſuum cōuentum intrauit?

Concluſio, quouſque Prior pręſens extiterit in conuentu ſuo inquo fuit electus, nihil poteſt ordinare, nec adminiſtrare. Sed requiritur ad hoc quod habeat poteſtatem, vel illam exerceat, quod accipiat poſeſsionem. Et quamuis ſecundum iura hoc fiat pręſentando per procuratorem ſuas literas, vel per ſe ipſum, vt ait Panormitanus, *in capit. nihil, de electione. num,* 11. quod idem habet *in capit. noſti, eo titu. num.* 4. Quia exercitiū iuriſdictionis dependet à poſeſsione. Nam ſicut lex non obligat quouſque promulgetur ijs cum quibus loquitur, *diſtinct.* 4. *capit. in iſtis, & theologi in* 12. *quęſt.* 90. Sic nec confirmatio prælatorū ſiue ordinariorum; ſiue legatorum quouſque pręſententur ijs cum quibus loquitur non habet vim quo ad exercitiū iuriſdictionis. Aliàs enim mille in commoda ſequerentur. At in noſtro ordine prędicatorum non ſufficit quod Prior conuentualis

lis ſit electus & confirmatus, & miſſerit literas ſuę confirmationis ad conuentum, & ab eo fuerint receptę ad hoc quod adminiſtrare poſsit; ſed requiritur quod perſonaliter in conuentum intrauerit. Ait enim gloſſa conſtitutionum noſtrarum *diſtinct*.2. *cap*. 2. *num*.6. *fol*.81. Declaramus quod prior conuentualis nouiter electus, & confirmatus antequã veniat ad ſuum conuentum, non poteſt ſuppriorem à ſuo officio amouere. Quia per legem conſtitutionis vices plenariè conuentus & prioris in omnibus gerit, quovſque ipſe Prior præſens in domo extiterit. Poſtquam vero ſemel in conuentu pręſens extiterit, & poſtea à conuentu receſſerit; poterit etiam exiſtens extra conuentum ſuppriorem, vel Vicarium à patribus electum abſoluere; & alia ſuæ iuriſdictionis quo ad fratres ſui conuentus exercere. Hec gloſſa. Ergo ſi in conuentu non dum aduenerit non poterit hæc excercere.

Hinc ſequitur, quod ſi iſte Prior in itinere obuiã habuerit fratrem ſui conuentus, petentem abeo diſpenſationem alicuius caſus reſeruati, vel voti irritationem, ſeu licentiam ad eligendum confeſſorẽ, &c. Non poterit dicto fratri concedere, quia non habet iuriſdictionem quo vſque præſens in conuentu extiterit, & accepatus fuerit. In alijs verò pręlatis ordinis noſtri non requiritur iſta pręſentia perſonalis, ſed ſufficit mittere literas ſuę confirmationis, vel inſtitutionis. Sicut ſi prouincialis eſſet à

Magi-

Magistro generali confirmatus, qui prouincialis extra prouinciam tunc se reperit, tunc ostensis literis confirmationis, cessat, ille qui habebat curam prouinciæ, vt dicitur *distinct. 2. capit. 3. num. 1.* Et si datus fuerit vicarius Magistro ordinis, vel visitator sufficeret mittere literas ad Prouincialem, & abeo recipi: quia nihil de hoc habetur in constitutionibus, & debemus stare dispositioni iuris.

Poterit tamet prefatus Prior omnia facere quæ suum commodum, & personam respiciunt, vt expendere pecunias suas in res sibi necessarias, emere equum pro intinere, absolui à casibus reseruatis, & eligere confessorem, omnia hęc potest facere antequam posessionem accipiat. Quia est verus Prior, habens vbique locum & fidelium, nec habet superiorem nisi Prouincialem.

DE SVPPRIORE
ET PRÆSIDENTIBVS.

Dubium Primum.

AN Supprior sit prę̨latus, & quæ quantaque sit eius potestas super fratres?

Nota Primò quod supprior potest institui etiam si non habeat duodecim annos à professione, sic fuit declaratũ in Capitulo generali vallisolleti celebrato anno

anno 1605. qui licet dirigat electionem, non tamen habebit votum in illa. Secundo eſt notandum, quod de ſuppriore poſſumus loqui dupliciter, vel de eo, mortuo vel amoto Priore vel de eo in abſentia prioris. Supprior primo modo, eſt prælatus. Quod probatur, quia tunc eſt ordinarius, vices prioris per omnia gerens quovſque Prior ſit confirmatus, & indomo præſens. Vt dicitur *infra diſtinct.2.capit.2.num.6.* & in eodem capitulo eiuſdem diſtinct. verbo ſupprior mortuo, &c. Dicitur, declaramus quod in tali caſu poterit dictus ſupprior agere, quidquid Prior iure ordinario poteſt ſcilicet, Vicarium inſtituere, fratres ad profeſsionem recipere, confeſſorem eligere, & aliorum fratrum confeſsiones audire, & alios pro audientia confeſsionum fratrum exponere, quia cum ſit quaſi ordinarius, poteſtatemque & iuriſdictionem ordinariam habeat, poterit prędicta & quæcunque alia exequi, quæ Prior iure ordinario poteſt. Hęc omnia confirmatur ex regula iuris in 6. ſcilicet, is qui ſuccedit in ius alterius, eo iure quo ille vti debet. Et ſubrogatum debet ſapere naturam eius in cuius locum ſub rogatur. Non tamen peterit tunc ſupprior fratres præſentare Epiſcopo pro confeſsionibus ſecularium audiendis, vel pro ordinibus ſuſcipiendis, vel alia huiuſmodi facere quæ priori de iure non competunt, ſed ex commiſsione. Hęc gloſſa. Quę doctrina conſonat iuri communi Canonico, vt dicũt iuriſtæ de capitulo ſede vacãte, quod

Q non

non succedit Episcopo, nisi in his quę ad ipsum per tinent iure communi, non autem iure speciali. Ita Panormitanus *in capit. vnico, de foro competenti, num. 9. & capit. scriptum, de electione, num.*, 12. Et communiter tradunt doctores cum Innocentio, *capit. cum in cunctis, de electione num.7. Vide Sanchez* T*om.3.de matrim disp.2.pag.779.*

Supprior vero in secunda consideratione, videlicet, in absentia prioris, non est prȩlatus, neque habet curam animarum. Maxime si Prior quando à conuentu recessit, vices suas non commissit dicto suppriori. Poterit nihilominus supprior in hoc casu dispensare cum fratribus vt Ieiunij tempore possint cenare, carnibus vesci foras exire. Quia infra *distinct. 2. capit.*2. Inquit glossa. Quod in quodam Capitulo generali fuit ordinatum, quod quando priores sunt in conuentu præsentes, suppriores & vicarij non habent potestatem dispensandi Ergo à cõtrario sensu quando priores non sunt prȩsentes in domo, bene poterunt dispensare. Quod quidem cõfirmatur ex his quæ infra, *indicta distinct.2.capit.2. num.* 7. Dicuntur. Scilicet, si Priore absente, domus supriorem præsentem, vel vicarium prioris (in eius absentia) non habuerit; tres patres antequam comedant aliquem fratrem eligere teneantur, qui vices prioris obtineat, quo vsque domus ipsa Priorẽ prȩsentem habeat, vel Suppriorem, vel Vicarium prioris in eius absentia. Vt quid igitur tanta solicitudo de Vicario eligendo si forte Prior, vel Sup-

prior

prior à domo abesse cõtigerit qui vices prioris habeat, & quod statim eius potestas (veniente in domum suppriore)cessaret,nisi supprior absente priore dispensare cum fratribus, & alia quam plura facere possit?

Secundo poterit tunc Supprior corripere delinquentem vt infra, *distinct.2.capit.2.num.6.dicitur.* Quod non intelligas imponendo præceptum, seu censuras Ecclesiasticas, vel ad grauiorem culpam condemnando. Ratio est. Quia cum non sit prælatus, & hęc ad pręlati munus &officium pertineant,illa exequi minime potest.Et consequenter non poterit condẽnare fratrem ad carcerem iudicialiter, hoc namq; etiam est munus & officium pręlati:quia debet fieri in scriptis cum notario, & in confessum, vel conuictum,vt dicitur in hoc prologo,num.5.Secundò probatur, quia secundum constitutiones nostras infra, *distinct. 1. cap. 20. num.4.* Frater qui carceri legitimè & sententialiter fuerit mancipatus , non potest prædicare, nec confessiones audire , nisi per diffinitores Capituli prouincialis,&c. Hanc vero pęnam non potest supprior tunc imponere, ergo nec etiam potest illud ex quo talis pœna sequitur , scilicet , ad carcerem condemnare. Hoc dictum fundatur *in cap. licet, de officio vicarij, lib.6.* Poterit tamen tunc supprior imponere grauem culpam fratribus.Cũ enim possit corrigere delinquentes , & pœna grauis culpę non sit ardua in ordine nostro, cum facile in curratur ,

non eſt cur negetur ſuppriori poteſtas ad eius impoſitionem. Videndus eſt textus ſingularis in ſupra dicto capit. licet, in 6. Vbi dicitur, quod quando Epiſcopus inſtituit aliquem in ſuum Vicarium generalem, non ex hoc poterit inquirere, corrigere, punire exceſſus, nec aliquos priuare ſuis beneficijs. vel officijs, niſi ſpetialiter Epiſcopus ei committat. Quod practicandum venit in hac materia de ſupprioris poteſtate.

Poterit etiam ſupprior tunc facere ea quę viderit expedire ad conuentus gubernationem, abſque mutatione ſtatus eius, & quæ non ſint magni momenti. Hoc dictum probatur. Nam ſi abſentia prioris dat, vt eligatur vicarius cum poteſtate prioris, & aduentus ſupprioris in conuentum facit, vt ceſſet illa poteſtas & vicarius; clarè conſtat concedi ſuppriori per conſtitutiones id, propter quod, & ad quod eligitur talis vicarius. Quod probatur ex paritate rationis: ſed cauſa propter quam eligitur talis vicarius eſt, ne conuentus careat ſuo rectore in ſui gubernatione, ergo ſupprior abſente Priore debet habere poteſtatem ad gubernandum conuentum in cōtingentibus, & neceſſarijs. Aliàs melioris conditionis eſſet conuentus carens ſuppriore cum illo vicario, quam ſi haberet ſuum ſuppriorem. Quod non eſt dicendum, cum per aduentum eius ceſſet dictus vicarius. Attendenda in hoc eſt conſuetudo, quę eſt optima legum interpres, & magiſtra.

Vltimo

Vltimo poterit tunc præfatus supprior audire cõfessiones suorum fratrum, & aliorum eiusdem ordinis ad suum conuentum declinantium, eosque absoluere ab omnibus peccatis & censuris sedi Apostolicę non reseruatis, ac eis sacramentum Eucharistię, & extremæ vnctionis administrare, vt fuit declaratum in capitulo generali valentię celebrato, anno 1332. ab excommunicatione scilicet, suspensione & interdicto, etiam si excommunicationes sint de cena Domini. Excepto nisi essent relapsi, schismatici, hœretici, falsificantes literas Papę, vel si ad in fideles prohibita de tulissent, vel conspirassent in Romanum Pontificem. Sic enim concessit sixtus quartus generalibus, prouincialibus, prioribus conuentualibus, ac eorum vices gerentibus in suis conuentibus. Conceditur etiam ibidem vt cum omnibus supradictis possint dispẽsare in irregularitate cõtracta ex eo quod excommunicati vel suspensi, vel interdicti, diuina celebrarunt. Vel si prędictis censuris innodati, ordines susceperunt. Vidi & legi in duobus compendijs. Et si obijcias, quod prędictum priuilegium loquitur de suppriore, mortuo Priore vel amoto, vel finito eius officio, vel quando Prior à conuentu discedens, dictum suppriorem in suum Vicarium reliquisset, quia tunc potest dici supprior vicem prioris gerens, cui dictum priuilegium sixti quarti dictam potestatem concedit. Hoc tamen nõ obstanti, dicendum censeo dictum priuilegium de-

 bere

bere intelligi de suppriore absente priore àdomo, esto vicarium suum non instituerit. Ducor, quia glossa nostrarum constitutionum infra, *distinct. 2. cap. 2. textu.* 8. inquit: (loquens de potestate supprioris,) possunt suppriores absentibus prioribus, per priuilegium quod dicitur mare magnum, omnes fratres suorum conuentuum, vel ad eos declinantes ab omnibus cẽsuris à iure vel ab homine generaliter promulgatis absoluere. Ecce quomodo secundũ glossam, dictum priuilegium debet intelligi seu extendi ad suppriores, absentibus proribus. Et inquit sic declaratum fuisse in multis capitulis generalibus: & clare patet quod tunc gerit vices prioris, cum regat, & gubernet conuentum suum.

Et aduertendum est, quod per dictum priuilegiũ conceditur etiam absolutio ab excommmunicatione iudicis particularis, quia conceditur absolutio ab excommunicationibus in cena Domini quæ sunt multo maiores. Et regula iuris in 6. inquit. Cuit licet quod est plus, licet vtique quod est minus. Itẽ, quia in maiori (videlicet in casibus Papę) includitur minus, scilicet, excommunicationes & casus inferiorum. Et poterit tunc supprior absente Priore cõmittere hęc quę ei conceduntur confessoribus fratrum sui conuentus, quia potestas hæc est ordinaria. At nõ poterunt prȩfati suppriores in absentia prioris eligere sibi confessorem, quia tunc non sunt ordinarij. Notandum vltimo, quod prędicta authoritate

tate ſixti quarti poterit vti vicarius relictus à Prio re in eius abſentia. Ex quo colligitur magnam eſſe ſuppriorum authoritatem, & poteſtatem, & etiam Vicariorũ Priorũ in abſentia prioris conuentualis.

Dubium ſecundum.

PRIOR (vg.) Sancti Pauli Hiſpalenſis, ſe contulit in conuentum Sancti Pauli Cordubenſis, reliquit in vicarium conuentus ſuppriorem cum omni ſua authoritate in ſpiritualibus & temporalibus, & quod poſsit ponere pręceptum & omnia alia neceſſaria. Dubitatur modo, an per iſtam authoritatem & commiſsionem poſsit pręfatus ſupprior eligere ſibi, & dare fratribus confeſſorem aliàs à pręlato non expoſitum ſeu approbatum?

Pars negatiua ſua detur primo, tunc ſupprior nõ eſt pręlatus, nec habet curam animarum ex officio ſuo, ſed ex commiſsione prioris, ergo non poteſt prędicta exequi. Patet conſequentia, quia ſupra dicta pertinent ad officium pręlati ordinarij. Confirmatur, quia poteſtas hęc eligendi confeſſorem, & dandi illum fratribus, ſolum conceditur ſuppriori ſede prioratus vacante, & vicario electo à tribus patribus. Vt diximus ſupra, ergo. Secundo arguitur, ſupprior tunc eſt delegatus à Priore, eſto ſit eius vicarius, ſed delegatus non habet aliam poteſtatem quam

quam illi delegans conceſſerit, vt ait Sylueſter, *verb. delegatus* § 5. *& 8. & victoria in relectione de indis, fol.* 102. Ergo in caſu poſito tantum poteſt ſupprior, quã tum illa verba prioris ſonant, & non amplius. Ad hoc dubium Reſpond. aliquibus concluſionibus.

Prima concluſio. Prior conuentualis in ordine noſtro, vicarij domorum quę non ſunt prioratus, ſupprior ſede prioratus vacante,& vicarius electus à tribus patribus poſſunt, & ſibi eligere & ſuis fra tribus dare confeſſorem fratrem aliàs non expoſitũ prę uio tamen examine, ſecundum acta capituli ge neralis Venetijs celebrati, anno 1592. & in capitulo generalis Pariſijs celebrato anno 1611. confirmatur ordinatio facta in capitulo generali Romę, anno 1589. de prędicatoribus & confeſſarijs riguroſe per quinque patres de putatos examinãdis, & per vota ſecreta approbandis vel reijciendis. Volumuſquè (ait Capitulum) eamdem ordinationem inuiolabili ter obſeruari ſub pœna excommunicationis tam à prę ſidentibus conuentuum, ne quemquam aliter ad prędicandum aut confeſsiones audiendũ admittãt: quam à prędicatoribus & confeſſoribus, ne aliter di ctis officijs fungi prę ſumant. Hoc ſuppoſito, proba tur concluſio ex hoc prologo, *num.* 1. *verb. ad hæc autem.* Quia ſcilicet, ſunt prælati dati à iure conſtitutionum noſtrarum, & ſic ordinarij. Quod idem habetur in fra *diſtinct.* 2. *capit.* 2. *verb. ſupprior mortuo priore, fol.* 81. *&* 82.. *num.* 7.

Secunda

ſecunda concluſio. Supprior, vel vicarius inſtitutus à priore, etiam in abſentia prioris nec poſſunt ſibi eligere, nec ſuis fratribus dare confeſſorem alias à priore non expoſitum. Hæc concluſio vt jacet habetur in hoc prologo *num. 1. verbo ad hæc autem*. Et probatur argumentis à principio poſitis, quę hanc concluſionem probant, quam etiam tenẽt Doctores *tractatu de penitentia & optimè Magiſter Soto in 4. diſtinct. 18. queſt. 4. art. 2. quem refert Thomas Sanchez lib. 4. in præcep. de calogi, cap. 33. nu. 26.* & quãuis ipſe Sanchez dicat, quod Supprior in abſentia Prioris poteſt hęc contenta in ſecunda concluſione exercere, quia ad eum tota conuentus gubernatio ſpectat, tanquam vices Supprioris gerens. At intelligendus eſt prefatus doctor de ſuppriore in ſenſu tertię concluſionis ſequentis, quia inquit dictus pater. Tunc enim prelatorum vice funguntur, & ſic ſunt verè prælati, & poſſunt ſubditorum audire confeſsiones, & alijs audiendas committere. Sed vt iam ſępe diximus, ſupprior in abſentia Prioris non eſt prelatus, ergo ſupradicta intelligenda ſunt de ſuppriore habente authoritatem à priore, vel mortuo priore, vel a moto vt dictum eſt. Vel quando prior hoc ei concedit.

Tertia concluſio. Fallit hæc ſecunda concluſio quando Prior expræſſe vel interpretatiuè conceſsiſſet eis poteſtatem eligendi ſibi, & fratribus dare cõfeſſorem alias non expoſitum. Quod patet ex hoc prologo *fol. 11. & infra diſtinct. 2. cap. 2. fol. 80.* tunc

enim absque dubio possent prefati Supprior, & vicarius prioris & sibi eligere, & fratribus dere confessorem alias non expositum. Quando Prior expresse hanc potestatem concesserit, clarè constat prædictos suppriorem, & vicarium hoc posse efficere, quia Prior est ordinarius prelatus, & ordinarius potest suam ordinariam authoritatem committere, vt vt patet infra *distinct. 2. cap. 2.* Quando verò interpretatiuè, idem etiam dicẽdum venit. Ad paria namque Iudicantur voluntas expressa & voluntas interpretatiua: Nam sicut theologi pro eodem reputant velle aliquid formaliter, & virtualiter, & velle aliquid directè & in directè vt patet *1.2. quest. 6. & quæst. 71. articulo 5. ad secundum, & quæst. 76. artic. vltimo. & quæst. 77. artic. 6. & Caietanus 2. 2. quæst. 64. artic. 8.* Ita similitèr Iuristę pro eodem interprætantur & iudicant, velle aliquid in terpretatiuè, & velle aliquid expressevtrũque enim est velle.

Voluntas interpretatiua vocatur; quando ex vi verborum, & ex abundantia concessionis colligitur probabiliter sic voluisse, vel velle debuisse ille, qui aliquid concedit, vel committit. *Argumentum ex cap. preterea, & ex cap. suspitionis de officio delegati.* Vbi habetur quod quando quis committit aliquid faciẽdum con sequenter & interpræ tatiuè concedit omne ilud sine quo illud fieri, & in executione poni non potest. His constitutis sit.

Quarta Conclusio responsiua ad dubium. Supprior

in ca

in caſudubij poteſt, & ſibi eligere, & fratribus dare confeſſorem alias à priore non expoſitum. Hæc cõcluſio probatur *ex cap. quid. agendum , de procurator. lib. 6.* vbi dicitur, quod conceſſo vno articulo de his quæ ſpeciale mandatum requirunt, ſubſecuta Clauſula generali, ſcilicet, & omnia alia neceſſaria ; tunc veniunt caſus alterius qualitatis qui non ſunt expreſsi. Vt notat Panormitanus *in capitulo Sedes Apoſtolica, de reſcriptis.* Quia textus indiſtintè loquitur, & cõprehendit omnes caſus. Quod idem tenet Ioannes Andreas *in cap. tua, de officio Vicarij, & Sylueſter verb. confeſſor, trrtio, §. 2.* ſed ſic eſt, quod prior quando à conuentu diceſsit, conceſsit ſuppriori articulum particularem in commiſsione, indulgendo illi poteſtatem ponendi præceptum fratribus, cum clauſula generali, ſcilicet & omnia alia neceſſaria ad bonum regimem conuentus. Ergo conceſsit etiam quod poſsit ſibi eligere, & fratribus dare confeſſorem. Patet conſequẽtia, quia alias non ſufficienter prouidiſſet Prior de neceſſarijs fratribus ſui conuentus. Quod probatur quia ſępe expedire cõtingit hoc conſcientijs fratrũ, & eorum ſpirituali conſolationi, ergo no eſt iudicãdum Priorem non voluiſſe concedere Suppriori & ſibi eligere & fratribus con feſſorem dare. Cõfirmatur, ex Panormitano *cap. cum ſemper. de officio delegati, num.* 12. vbi inquit, quod quando ſumus in dubio de hac intentione, prę ſumendum eſt quod voluit valere ſuam commiſsionem omni modo quo poteſt. Pro

quo allegat capitulum Abbate, de verborum signi-ficatione, vbi habetur, quod quando est dubium de aliqua concessione, tunc facienda est interpretatio vt potius actus valeat, quam pereat, vide Couarruuias *tomo primo variar. resollut. lib. 2. capitulo 5. pagina. 256. in principio.* Vltimo probatur conclusio, *ex cap. preterea, & capitulo suspicionis, de officio delegati.* Ex quibus probatur voluntatem interpretatiuam haberi, & elici ex tam ampla commissione ab eo data suppriori. Illā namquè commissionem ac potestatem dedit illi, ac si expressè dixisset. Quando quidem per multos dies seu menses vado, & tàm lōgum iter prosequor, quapropter ad gubernationem istius conuentus sit necessarium prouidere de contingētibus & necessarijs inter Religiosos: id circo instituo te Suppriorem in Vicarium istius conuentus, cum authoritate in spiritualibus & temporalibus; & quod possis ponere preceptum, & alia necessaria facere ad conuentus regimen. Et non est dubium nisi quod hæc fuit voluntas interpretatiua dicti Prioris, quia ad hoc tenebatur. Ad argumenta patet ex conclusionibus.

Sed an Prior conuentualis possit tollere Suppriorem institutum à Prouinciali, vel à Magistro ordinis, vel à Summo Pontifice? Respondetur ex Panormitano *in cap. ad nostram, de confirmat. vtili nu. 7. & 8.* quod si Papa contulit ei dictum officium expresse, vt quo ad vixerit debeat possidere, tūc sine causa non potest remoueri per suum superiorem. Si autem insti-

tuit

tuit eum ſimpliciter, tunc poteſt remoueri ſicut ſi Papa non inſtituiſſet. Ratio eſt, quia non videtur voluiſſe alterare naturam beneficij, & indubio debemus ſic tenere tanquam congruens bono obediētiæ *Vide clemētinam quia Regulares, de ſupplēdis negligent, prælatorū.*

Dubium Tertium.

CONTINGIT Quod Prior conuentus volens à conuentu diſcedere, commendat alicui patri conuentum per hęc verba, *Pater, cuſtodias obſecro hunc conuentum.* Vel *ego do tibi vices meas.* Dubitatur modo, an ille pater ſit Vicarius prioris?

Concluſio eſt affirmatiua. Et probatur, quia verba deſeruiunt intentioni. *Cap. ſedulo de verbor. ſignificatione & cap. in his, eo titu.* & ſic per quæcunque verba Prior declaret ſuam intentionem eſſe inſtituere Vicarium ſui conuentus, ille erit verus Vicarius. Inſtitutio enim Vicarij non habet determinatam formam ſicut Sacramenta. & ſic dicta verba habent eficaciam ab intentione Prioris. Vt in ſimili dicunt Iuriſtæ de abſolutione ab excommunicatione quæ non conſiſtit in determinatis verbis: ſed quibuſuis verbis abſoluere valentibus, ſuam intentionem exprimat: & ita per quęcunque verba proferat id quod ſignificat verbum abſolutionis ab excommunicatione, abſolutus manet. Ita Syluester *verb. abſolutio tertio.* Proba-

tur secundò conclusio. Nam sicut Prior potest instituere Supprioem per quęcunque verba exprimentia Iurisditionem commissionis; ita similiter per supradicta, nimirum Pater, custodias hunc conuentum. Vel do tibi vices meas, sufficienter exprimitur commissio iurisditionis, & intētionem Prioris esse Velle committere illi patri suam super conuentum iurisdictionem, & ita interpętādum est, & tenendum illum patrem sic signatum, Vicarium Prioris manere, & cum illa potestate quam habet Supprior vt dictum est supra. Videndus est Panormitanus, *in cap. Venerabili, de potestate dęlegati nu.* 11. *& Glossa verbo vices suas* vbi inquit, quod delegans vices suas, similiter omnia commisit quæ ipse poterat super illo negocio.

Et confirmatur, quia nullo modo credendum est quod Prior vellit suum conuentum absque rectore manere. Et dictus Panormitanus *in cap. licet, de officio Ordinvrij nu. 6. & cap. cum semper, de officio delegati nu. 7.* ait quod quando sumus in dubio de hac intentione, tunc pręsumendum est, quod voluit actum valere omni modo quo potest; quia faciēda est interprętatio eo modo vt res plus valeat, *cap. Abbate, de verborū significatione.* illi autem pręsidentes qui à Prouinciali in conuentibus apponuntur, per mortem Priorum aut propter longam eorum absentiam: tempore quo eorum durat officium, videntur esse verè, & propriè pręlati. Hanc conclusionem tenet Bobadilla *in suo Manuali, seu enchiridione manu scripto,* cui assentit frater

Ludo-

Ludouicus Miranda *in Manuali prelatorum*, *tom.* 2. *quest.* 20. *artic.* 1. *conclus.* 2. vide ibi.

Dubium Quartum.

AN Vicarius electus à tribus patribus, sit prelatus ordinarius? Conclusio est afirmatiua, que probatur ex constitutione nostra infra *distinct.* 2. *cap.* 2. *nu.* 7. vbi dicitur, si vero mortuo priore, ve amoto, vel absente, domus suppriorem presentem, vel Vicarium prioris (in eius absentia) non habuerit. Tres patres illius conuentus presentes & vocem in electionibus habentes, qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, aliquem fratrem de conuentu illo in domo præsentem ante quam comedant & bibant eligere teneantur; renunciatione qualibet non obstanti, qui vices prioris obtinebit &c. ex his oriuntur tres dificultates.

Prima dificultas est. quid iuris si minus antiqui eligunt talem vicarium? Videtur quod teneat electio. Valeret namque electio prioris si aliquis scrutatorum esset minus antiquus in ordine, vt colligitur ex Syluestro, *verb electio secundo*, §. 10. *part.* 2. vbi ex Panormitano inquit, quod dato dicatur in capit. quia proper, de electione, quod si ad electionem canonicã assumãtur tres de collegio fide digni in scrutatores: si tamen isti tres, absque eo quod eligantur

ban-

banchnm accipiant alijs videntibus, & tacentibus, non ex hoc anullatur electio, & ratio est, quia cũ agitur de re meritoria, & concupiscibili, tacentes habentur pro consentientibus. Sicut in simili notat glossa *in cap. sicut, de electione.* ergo similiter, si frater minor tribus patribus in ordine coeligat cũ alijs duobus, tertio vidente, & tacente, valebit electio. Conclusio est, quod non valet electio, eligit enim qui non habet vocem in illa, solum enim conceditur authoritas eligendi istum Vicarium antiquiori. Ad argumentum respondetur, non valere consequentiam, quia in primo casu illi nõ electi in scrutatores banchum assumentes, verè habẽt potestatem ad eligẽdum; in electione autem istius Vicarij ille qui est minor in ordine non habet votum, nec authoritatẽ ad eligendum, & sic nullo Iure fulsitur eius electio.

Secũda dificultas est, an Pręsentatus in theologia minus antiquus in ordine sit pręferendus in hac electione, fratri in ordine antiquiori? Respondetur negatiuè, & ratio est, quia litera non dicit quod fratres qui primum locum tenẽt, vel priori proximiores sunt in sedendo, eligant huiusmodi Vicarium, sed fratres qui primitùs habitum nostri ordinis susceperunt: quod non verificatur in pręsentato necque in Magistro. Hoc dixerim, nisi cosuetudo aliud habeat, quę sicut tribuit iurisditionem non habenti, *cap. dilecti, de arbitris*, sic poterit in hoc declarare qui dicãtur electores huius Vicarij, & aliorum pręlatorũ.

Tertia

Tertia difficultas est, quid si electus à patribus non vult acceptare? Respondetur, quod modo acceptet, modo non ipsi incumbit cura & Gubernatio conuentus per hanc constitutionem, quæ inquit renuntiatione qualibet non obstanti vices Prioris obtineat.

Notandum est, quod in hac electione potest aliquis se iuuare voto suo. Ait enim Panormitanus *in cap. Cumana de electione, & cap. per nostras, de Iure patronatus num. finali*, quod quando proceditur per viam scrutinij Clandestini, Vox electi non computatur innumero vocum, quia cum ipse ignoret vota aliorum, si daret sibi votum tanquam ambitiosus esset repellendus. Sed vbi palàm fieret electio & ex singularibus consensibus, idest, votis in aliquem directis resultat electio; ita quod est necessè quod fiat & formetur decretum electionis per vnum nomine omnium, tũc electus à media parte Capituli consentiendo electioni de se factę auget numerum, & perficit electionẽ, & computatur talis consensus pro voto de se facto. (Verbi gratia) iste Vicarius qui eligitur à tribus patribus, eligitur palàm inter se. Pone quod eligendus esset à quatuor patribus, medietas huius Collegij sunt duo vota, iam habet medietatem: si ipse consentiat electioni de se factę, tunc iste esset Vicarius, quia per suum cõsensum auctus est numerus ex duobus in tres: Et sic à maiori parte Collegij eligitᷣ. Nec est ambitiosus (ait Panormitanus) quia videt se vo-

cari à fratribus. Et Ioannes Andreas *in dicto capitulo per nostras, de iure Patronatus* inquit. Cum quis non possit eligere quin sciat se ab alijs electum, consentiẽdo electioni dese factę à parte æquali capituli, non videtur ambitiosus, nec oriri à se, cum sit prius vocatus à deo, & socijs, ideo meritò cõsentiendo auget numerum, hęc ille.

REDDIT ITERVM
LITERA PROLOGI.

Pręlati in suo conuentu potestatem habent dispensandi. &c.

SVPP Onendum est tanquam notissimũ fundamentũ pręlatos non posse in legibus dispẽsare sine iusta causa id postulante. Nam si summo Pontificinon licet Ecclesiæ leges omninò derogare absq; rationabilicausa, ergo nec prælatis in legibus sine causa, nec Papę in eis ita passim dispensare. Probatur hoc, nam idem effectus sequitur ex tali dispensatione qui ex legis derogatione. Quia si passim cũ omnibus petentibus, dispensatur, iam nullus esset legis effectus & frustra lex esset lata. Nam quid prodest prohibuisse bigamos à Sacerdotio, si omnes qui volunt per dispensationem promouentur & habiles

fiunt

principalis, & subſtantialis in ordine noſtro ſicut ſtudium literarum, & predicatio: tum propter ra-tioné ſupradictá, nimirum, quia in alijs diſpenſatur ne hoc impediatur; tum etiam quia vt dicitur in litera prologi. Ordo noſter ſpecialiter ad prædica-tionem & animarum ſalutem abinitio noſcitur eſſe inſtitutus. Sic vt ab officio prædicandi ſortiatur *in*-ter alias religiones vocari ordo predicatorum. Qua propter ſi prelati obligantur ſub pœna peccati mor-talisne patiantur fratres paſsim frangere ſilentium carnibus veſci, lineis ad carnes vti, &c. Quod con-ſurgit ex obligatione qua bonũ religionis progræſ-ſum procurare tenentur, quiaex dicta permiſsione non mediocre detrimentum patitur: multo fortius obligantur ad dandum operam vt vigeat in ordine ſtudium literarum officium predicationis, & audi-entia confeſsionũ. &c. Sicut enim in ordine ſancti Ioannis militũ tenẽtur prelati procurare vt fratres ordinis vacẽt rei militari contra infideles ſic prelati ordinis fratrũ prædicatorũ tenentur procurarevt in ordine habeantur viri predicatores, ſacre theologiæ lectores, & qui animabus proximorum vtiles eſſe poſsint, quia hic eſt principalis finis quare ordo inſtitutus eſt; quod quidem fruſtrari nefas eſt.

An autem hoc præceptum vacandi literis pre-dicandiquè obliget omnes fratres noſtre dominica-ne familie? dico quod obligat omnes ſed non ſingu-los. hoc eſt, ſufficit quod hoc munus ſufficienter

per

per multos cōpleatur. Sicut solet dici de Matrimonio, & de ordinibus initiandis, vide Syluestrum *verb. horę. §. 9. partic 6.* sed pro maiori declaratione huius supradictę doctrinę ponuntur aliqua dubia.

Dubium Primum.

AN Prelatus compellere posit religiosum subditū ad recipiendā dispensationē in ieiunijs & in carnibus comedendis & alijs similibus?

Pars negatiua probatur, tùm quia prelatus non potest minuere votum subditi, tū etiamquia subditus nō tenetur prelato obedire nisi in his quæ sunt secundum regulam, Imo neque in his quę sunt supra regulam quę explicite, aut implicite nō reducuntur ad obseruantiam regularem. Vt ait Caietanus *22. quęst. 140. art. 5 ad 3.*

Secundò, quia vt probat Suarez *tomo secundo de religione lib 6. cap. 1.* dispensatio est beneficium quodin inuitum non confertur. Ergo.

Conclusio, Prelatus in suo conuentu potest compellere religiosum tam subditum quam extraneum ad recipiendam dispensationem in supradictis ex iusta & rationabili causa. Pręcipuè quando non vti illa dispensatione esset peccatum. Probatur hoc, quia mandato Superioris tenetur subditus obedire. Secundo quia vt ait Aragon, *22. quæst 89. art. 9. Suarez*

tom. 2.

tom. 2. de religione lib. 6. cap. 1. ad finem. Sayro in claui regia. lib. 5. cap. 8. num. 6. Quos refert & sequitur Sanchez *lib. 4. in precep. decalogi capit. 24. num. 15. & 16.* Irritatio voti potest fieri à prelato inuito vouenti. Quia cum pendeat à dominatiua prælati potestate, exerceri potest velit, nolit inferior; neque enim hic potest illi preiudicare. Et quamuis Aragon, & Suarez ibi, negant hoc de dispensatione, & probat Aragon, quia est actus iuris dictionis spiritualis. At hec ratio est inefficax, quia absolutio ab excommunicatione est actus iurisdictionis spiritualis, & tamen confertur inuito, vt dicitur in materia de excommunicatione. Ergo similiter, velit nolit subditus potest compelli à prelato ad recipiendam dispensationẽ in supradictis. Non enim potest subditus preiudicare potestati prelati ad dispensandum.

Et si contra hoc arguas, quod in hoc casu precipit prelatus contra regulam aliquid fieri. Respondetur; quod prelatus tunc dispensat in illa. Vnde non minuit votum subditi, quia ex iusta causa dispensat. Pro quo agit dictum Diui Bernardi, *lib. de dispensatione & precepto.* Vbi inquit. Votum meum non augeat, aut minuat prælatus sine necessitate, quibus verbis insinuat, quod quando necessitas ad est, potest illud augere, atque minuere prælatus, ac præcipere aliquid quod aliàs sit, aut esse videatur contra regulam; nam præcipiendo dispensat, aut saltẽ dispensare videtur, cum possit. Et non debet reli-

giosus statim quando prelatus ei vti dispensatione præcipit, iudicare illum non habere causam iustam & rationabilem, quia forte hoc facit causa eum humiliandi; vel alia causa quam ipse nescit; & ideo in dubio debet obedire vt culpã euadat. Subditi enim non est facta prelati discutere, sed presumendum est semper pro prelato dum subdito non cõstat deffectus cause. Vide 23. *q.* 1. *capit. quid culpatur,* & *ibi gloßã.*

Si tamen prælatus dispensat in aliquo quod sine transgresione precepti nequit fieri, quid iuris in hoc? dico quod si subditus videt iustam adesse causam ad dispensandum, præsumere potest prælatum in eo casu dispensare. Siquidem non debet presumere ipsum contra animam suam aliquid precipere. Vt patet *leg.* 2. *ff. de iurisd. omnium iudicum: Angelus verb. dispensatio.* §. 2. At si subditus clarè videt nullam adesse causam ad dispensandum; tenetur prelatum aduertere preceptum ipsi impositum esse contra regulam, & minimè executioni mandari posse, nisi iusta interueniente causa dispenset. Ad primum argumentum patet ex dictis. Ad secundum respondetur. Quod & si regulariter dispensatio sit beneficium & fauor eius cũ quo dispensatur, at quandoquè id poscenti bono communi potest non in eius beneficium concedi, sed in beneficiũ boni communis religionisquè, & obedientie.

Dubium Secundum.

AN

AN concurrente causa rationabili in subdito ad vescendum carnibus, vel lineis vtendum, teneatur prelatus tunc dispensare?

Probatur quod non, Primo, quia dispensatio est mera gratia superioris siquidem subditus habet regulam ad quam obligatur, & potest prelatus se gratiosum ostendere cui voluerit si adest causa. Secundo probatur ex capitulo *Si Gratiosè, de rescriptis.* Quod alicui gratiose conceditur non debet ab alijs trahi in exemplum, ergo.

Quidam affirmant quod semper, quando adest dispensandi causa tenetur prelatus dispēsare. Cuius sententię authores & rationes refert Sanchez *lib. 3. de matrimon. disputatione* 10. *num.* 2. *& numero* 7. Quorum rationes soluit. In libro autem quarto circa pręcepta de Calogi, *capit.* 46. *num.* 8. Verius existimat, nō semper quando adest iusta causa dispensandi, teneri prelatum dispensare; sed quandoque esse tunc debitam, quandoque autem gratiam, & probat, quia sicut potest prelatus existenti causa commutationis voti petitę à subdito, eam quandoque concedere, & eam quandoque negare, velpropter maiorem disciplinę rigorem, vel in pœnam, vel ob alias causas; ita id potest in dispensatione contingere.

Conclusio, dispensatio in casu posito, ex iustitia est debita fieri per prelatos. Probatur conclusio ex Syluestro, *verb. dispensatio*, §. 1. Vbi ait, quod existente causa in subdito peccat prælatus non dispensando

cum illo. Secundo probatur, quia cum potestas prelatorum ad dispensandum, sit in subditorum bonū, & ex officio teneantur consulere corporali & spiritiuali eorū saluti; tenebuntur vtique dispensare, quoties dispensatio ad eos fines est necessaria. Tertio probatur ex Panormitano *in capit. Pastoralis, de appellat. num.* 17. Vbi inquit, quod cogi debet prelatus seu iudex per superiorem ad dispensandum, si subest causa legitima. Idem habetur *in capit. cum constitueretur, & capit. Domino Sancto, & capit. Concilium, de obseruatione Ieiunij*, quod scilicet, dispensatio quando que est debita quod fiat per prelatos. Addunt tamen aliqui, quod subditi non habent ius ad petendum nisi forte de precatiuè. Tamen videtur oppositum dicendum. Nam si subditus potest adire superiorem (secundum Panormitanū vbi supra) qui compellet ad dispensandum, & tunc dispensatio est debita fieri ex iustitia; quare subditus ipse non habebit ius ad petendum?

Grauis est nihilominus, controuertia inter doctores an si prelatus nolit dispensare, posit ab illo appellari. Sanchez vbi supra *disputat*, 10. *a numero* 14. *vsque ad* 19. refert sex dicendi modos. *Et a numero* 20. *vsque ad* 24. hac distinctione vtitur, illam authoribus, & rationibus probans. Quando ius ex aliqua causa pręcipit dispensationem, appellatio ab eius denegatione gaudet effectu suspensiuo, & deuolutiuo. Quia ille cum quo est dispensandum, habet actionē

exprę-

ex præcepto legis. Quando non est exprẹssum aliquod legis prẹceptum, & talis causa ad est, vt teneatur prẹlatus dispensare, appellatio ab illius denegatione habet solum effectum de volutiuum, quia cum nullo iure exprẹsso prẹcipiatur tunc dispensatio, caret subditus actione. At quia potest implorare officium superioris vt sibi medeatur, de voluetur ea causa ad superiorem; qui similiter tenebitur dispensare, aut cogere prẹlatum inferiorem vt dispenset. Hẹc ille. Demùm quando dispensatio non est debita, sed gratuita, appellari non potest, sed potest officium superioris implorari, vt ex misericordia dispenset. Nomine appellationis, intellige additum seu recursum ad superiorem. Reducenda est in memoriam doctrina Caietani *22. quæst 147. art. 4.* Nimirum, quod non debent prẹlati relinquere conscientijs subditorum petentium dispensationẽ, imo potius debent eis compati, & benignè dispensando à suis scrupulis liberare.

Sed quæres, poterit ne præualere consuetudo in nostro ordine de carnibus vescendo, & lineis ad carnes vtendo, ita vt ad hoc nulla requiratur prælati dispensatio? Respondetur negatiuè. Pro quo nota quod consuetudo introducitur saltem tacitè & interpretatiuè consensu legis latoris. Et in supradictis non sufficit consensus generalium & prouincialium cum ipsi met sint subditi, & regulę subiecti, saltem ex debito morali. Sed requirit̃ tacitus consensus Papę,

 aut

aut protectoris religionum. Et huius taciti & interpretatiui consensus vix possumus habere aliquam moralem certitudinem, cum Summus Pontifex harum relaxationum aliquam notitiam non habeat. Imo in contrarium est pręsumptio, siquidem sæpe sępius per suas constitutiones intendat religiones reformare. De aliquarum tamen obseruantiarum mitigatione sunt certi Summi Pontifices, Et sic non est cur scrupulis agitentur religiosi videntes consuetudine tolerata, obseruationes accidentarias non eo rigore executioni mandari quo in nostra regula mandantur. Vnde quando Summus Pontifex constitutiones rigorosas expedit quibus religiosos reformare intendit, has respectu aliquarum obseruationum regularium expedit, non autem omnium: cum sciant tam difficile esse religiones in totum reformare sicut est difficile mare magnum & spaciosum per angustũ fluuium compellere intrare, pro vt refer Doctissimus Nauarrus *in capit. nullam, 18. q. 1. num. 36.* Illustrissimum Cardinalem Caietanum rescripsisse cuidam Prouinciali nostri ordinis prędicatorũ. Non tamen ex hoc inferant nostri ordinis professores quod absolute possunt camisijs vti, &c: Nam hęc cõsuetudo si in aliquibus viget est, quia ad id propter occultas necessitates à suis prelatis habent facultatem. Et sępe in nostris Capitulis generalibus & prouincialibus fiunt ordinationes ea expręsse prohibẽtes; quę prohibitiones consuetudinem interrũpunt.

Ex

Ex ipsis namquè ordinationibus à prçlatis factis, colligitur voluntas exprçssa prçlatorum, quod scilicet, volunt omnes quascumque consuetudines (quç potius corruptelæ dici debent) eneruare, vt viribus carentes minime posint regulari obseruantiç prçiudicare.

Dubium Tertium.

DVBITatur qualiter detur potestas ad dispensandum prçlatis inferioribus in ordine nostro & qualiter eis dispensatio prohibeatur?

Notandum est, aliter dari potestatem ad dispensandum nostris prçlatis inferioribus, & aliter prçlatis secularibus super his quæ sunt deiure canonico. Ait enim Panormitanus *Cap. in quibusdam, de purgat. canonica, num.* 5. Quod vbicumque in iure permittitur dispensatio, & non reseruatur specificè Papç, videtur potestas dispensandi indulta Episcopo. Quod tenet Glossa *ibi. verb. Episcopus dispensare.* At vero Abbas, & alij prçlati inferiores non dispensant nisi in causis eis specificè permissis. Quia vt ait Panormitanus Episcopus semper potest dispensare nisi ei prohibeatur expræsè à iure, *argumentum ex cap. nuper, de sentēt. excommunic.* Alij vero prælati inferiores è contra: nā eo quod in quibusdam casibus permittitur dispensare, videtur quod in alijs prohibentur.

Pro prælatis autē nostri ordinis regula si generalis

ralis, quod possunt dispensare super constitutionibus cum suis fratribus in omnibus in quibus non prohibentur dispensare. Nã in hoc prologo inquit glossa, quod possunt dispensare in ieiunijs vigilijs, & abstinentijs. Et addit. Et in alijs, quę non sunt sibi exprę{s}sè prohibita, vel etiam quando dispensatio reseruatur alijs prelatis. *Argumentum ex capit. nuper, supradicto de sentent. excommunic.* Vel quando in constitutionibus vel in actis capitulorum generalium imponitur eisdem pœna si tale quid fecerint. prohiberi exprę{s}sè dicitur, quando clarè & exprę{s}sè continetur talis prohibitio in constitutionibus, vel in actis capitulorum generalium, vt in supradictis & similibus. Quando autem prohibitio deducitur per argumentationẽ ex constitutionibus, vel ex actis capitulorũ generalium, & non clarè & explicitè illud constitutio prohibet; non dicetur exprę{s}sè prohiberi dictis prælatis, & sic poterunt dispensare. Sed vt omnia ista clariora fiant, ad particulares prohibitiones descendere, necessarium duxi.

In distinctione prima, capit. 12. num. 1. Prohibetur prioribus conuentualibus, & alijs prælatis cõsimilis potestatis, etiam vicarijs prouincialibus loqui in mẽsa, & absoluere à pœna quę debetur propter fractionem silentij in mensa. Quia ab hac soli prouinciales absoluunt. Magister tamen generalis Castelion concessit fratribus prouincię Sancti Iacobi de Mexico in hunc modũ. Concedimus pro vestra recreatione

quod

quod cum contingerit vos ex charitate extra refectorium comedere, quilibet prelatus, seu in ordine antiquior qui tunc prefuerit, posſit ſi ſibi videatur expedire in ſilentio diſpenſare. Super quo eſt aduertendum, quod debet interuenire cauſa rationabilis. Non enim prolibito ſignificat, *ſi tibi videatur expedire, ad vele tuum & ſimiles*: important enim arbitriũ iuſtum. Ita diuus Antoninus, *capit. cum de tua. de corpore vitiat. notab.* 3.

In eadem diſtinct. *capit.* 18. *num.* 3. prohibetur prędictis prælatis diſpenſare cũ exiſtenti in pœna grauioris culpæ quia hoc pertinet ad Magiſtrum generalem, vel ad diffinitores capituli generalis, vel prouincialis. Pro quo nota quod ibi gloſſa, *verb. ante plenariam ſatisfactionem*, *ait* declaratum fuiſſe in capitulo generali apud Tholoſam, anno 1328. quod ſi ille qui eſt in grauiori culpa, ſit ad iudicatus ad faciendam illam pęnitentiam vſque ad vnum menſem, vel ad alium terminum, & pęnitentiam ſibi iniunctam facit, vel prælatus qui poteſt talem pęnitentiam remittere, vel relaxare; remittit vel relaxat: tunc ille qui eſt in grauiori culpa dicitur plenè ſatisfeciſſe. Hæc ibi, & quamuis etiam inquit, declaratum fuiſſe, vltra plenariam ſatisfactionem, habilitationem requiri Magiſtri ordinis, vel diffinitorij Capituli generalis vel prouincialis ad hoc vti poſsit gratijs quibus fuit priuatus per dictam pęnitentiam. At in additionibus quas appoſuit Reuerendi-

uerendissimus Magister ordinis frater Vincentius Iustinianus inquit, quod in constitutionem redactũ fuit Romæ 1518. scilicet. *Quod copulatiua mutaretur indis iunctiuam*, & dicatur. *Vel donec per Magistrum ordinis, &c.* Ac propterea ille qui est in grauiori culpa cũ primum satisfecerit potest illis officijs quibus priuatus fuerat fungi, & voce actiua & passiua, absque noua restitutione Magistri ordinis, &c. Expectanda, nisi in sententia priuationis esset expræssum quod illis non fungatur donec fuerit restitutus.

Et hęc doctrina est conformis adea quæ iuristæ determinant de pœnis iuris positiui. Si enim quis est suspensus ab officio, vel interdictus ab ingressu Ecclesię per annum, expleto anno non indiget absollutione à suspensione. Ita tenet Panormit. *capit. ex tuarum, de sortilegis.* Syluester *verb suspensio, in fine*; & quod ille talis potest in gredi Ecclesiam, & vti officio suo. Limitatur, hoc dictũ in capitulo vltimo distinctionis primę nostrarum constitutionum, nu. 4. quando scilicet grauior culpa fuit illata quia apostatauit, vel si aliquis de lapsu carnis manifeste conuictus fuerit, quia tunc requiritur restitutio vt dicitur ibi. Secus si grauior culpa illata fuit ex alia parte, tunc enim habent locum supra dicta.

In eadem distinct. 1. *capit.* 13. *num.* 3. prohibetur ne recipiant ad probationem vel professionem fratrẽ clericum nisi assensu maioris partis capituli. Et notandum est, quod si contrariũ facerent nihil valeret

neque

neque professio. Syluest. *verb. religio tertio, §. 18. Armilla §. 11.* Capitulum seu collegium quod est congregatio plurium pręcipuè ecclesiasticarum personarum, consistit in maiori parte ipsorum qui sunt de collegio, vel de Capitulo. Vt notat Panormitanus *in cap. postulasti, de conceß. prębend.* Prouincialis autem solus benè potest recipere ad habitum clericalem, ibi.

In eadem distinct. 1. *capit. vltimo num. 4.* prohibetur dictis prælatis & Prouinciali dispensare in pœnis priuatiuis quę debentur fratri apostatæ ratione apostasiæ & aliorũ quę habentur in dicto Capitulo.

In distinctione secunda prohibentur hæc quę sequuntur *in capit. 1. num. 5.* prohibetur dictis pręlatis ne in domibus constructis faciant aliquam constructionem vel ędificationem notabilem in fabrica sub pęna absolutionis ab officio, sic quod per trienium nec ibi, nec alibi præsit. Nota primo, quod hac pœna non compræhenditur vicarius prouincialis: quia constitutio solum loquitur cum Priore conuentus. Secundo, quod etiam si Prior habeat licentiã à Prouinciali requiritur consilium, & assensus patrum. Tertio, quod non habet locum in reedificatione alicuius parietis, vel partis conuentus minantis ruinam, quia hęc non est constructio seu ędificatio notabilis.

In eadem distinct. 2 *capit. 2, num. 6.* prohibetur prioribus conuentualibus ne instituant suppriorem nisi vt ibi habetur, scilicet de consilio patrum discre-

torum,& isti sunt illi qui fuerũt priores in illo conuentu sicut fuit declaratum in capitulo generali valllisoleti celebrato auno 1605. lectores, vicarij nationum, vel qui in aliquo studio generali sententias legerinr, vel qui actualiter sunt suppriores, vel qui per Magistrum ordinis, vel Priorē Prouincialē instituti fuerint. Super quo notat noster sapientissimus noreña in suis manu scriptis, quod illud quod glossa inquit, quod Prior de consilio patrum instituat supriorem, & quod aliàs non valet factum. Correctũ fuit in textu nouo constitutionum, vbi solum mandatur, quod dictum suppriorem instituat de consiliō patrum, & nō de assensu patrũ & ita Magister Soto *in relectiane de tegendo secret. fol.93.* Ait, quod Prior non tenetur stare consilio discretorum, & quamuis teneatur consulere patres super huiusmod institutione supprioris, nō tamen tenetur stare illorum consilio & electioni. Quoniam si teneretur stare illorum cōsilio & electioni nō posset non confirmare. Syluester *verbo religio tertio* §. 3. Debet tamen sequi id quod rationabilius consulitur. Si vero ius, vel commissio mandat, vt de consilio & consensu tale quid faciat, tenetur Prior & consilium petere, & assensum maioris partis congregationis sequi. Alias actus non valeret, quia non seruatur forma, Syluester *verb. lex.* § 28. & citat plures doctores *Armilla* § 9. in institutione autem suppriores, prior solum consiliũ debet petere discretorum sui conuentus.

In eo-

In eodem Capitulo. *num. 6*. prohibetur prioribus conuentualibus nouiter electis & confirmatis, ne amoueant suppriores quo vsque ipsi in conuētu prę-sentes extiterint. Sed an posſit talis Prior vicariū sui conuentus instituere antequam ibi pręsens extiterit (ostensis tamen & receptis literis suæ confirmationis.) Respondetur quod sic quia non prohibetur illi nisi absoluere suppriorū. At iste vicarius nihil poterit in suppriorem. Supprior enim vices prioris gerit plenariè, neque obstat quod pręlatus non habet exercitium suæ iurisdictionis antequam receperit posesſionem, quoniam iam ostendit literas suæ institutionis, & fuit receptus per procuratorem. Dubito autem an iste vicarius habeat aliquam authoritatem in spiritualibus. Vide dubium vnicum supra.

In eadem distinct. *2. capit. 2. num. 8*. prohibetur cuicumque præsidenti ordinis, ne alicui extra obediētiam ordinis existenti, curam committant super fratres vel conuentus ordinis quomodocumque, &c. quia vt ibi ait glossa, renunciaretur priuilegio exēptionis ordinis, renunciare autem priuilegio ordini nostro concesso nulli licet absque assensu capituli generalis, sine cuius assensu nihil valet renunciatio. Et *in capit. 6. eiusdem distinct. num. 2*. prohibetur sub pœna grauioris culpæ cuicumque fratri, conuentui, vel prouinciæ. Renuntiare dicitur, refutatio eius quod mihi conuenit siue iure communi siue specia-

 li,

li, vt notat Syluester *verb. renunciatio.* neque oportet quod fiat per instrumentum publicum, secundum Panormitanum *in capit. quod ad consultationem de sentent, & re iudicata, num.* 9. Et renuntiare priuilegio dicitur, si conuentus, vel Prouincialis facit pactum cum clericis super aliquo quod opponitur priuilegio ordinis, scilicet super quartam funeralem, vel quod nō audiant fratres confessiones suorum subditorum sine eius licentia, cum alias sint expositi, &c. Nihilominus possunt prædicti prælati cōmittere personis Ecclesiasticis vt fratres vagos & apostatas possint capere vt ad dictos prelatos remittant puniendos. Hoc enim non est committere iurisdictionem, quia ipsę personæ Ecclesiasticæ hoc possunt à iure: vt patet *in concilio Tridentino sessione* 25, *capit.* 4. & secundum iura antiqua potest iudex secularis apprehendere clericum infragranti delicto ad suū pręlatum remittendum, vt notat Nauarrus *in capit.* 27. *num.* 83. & Panormit. *in cap. vt famę, de sententia excommunic. num.* 6. quod etiam de delicto iam commisso potest clericus capi per iudicem secularem, vt deferatur suo prælato, quod quidem expedit rei publicæ ne delicta maneant impunita. Qua propter si hoc solum committerent priores, vel vicarij, nihil aliud quam quod est de iure fecerent, neque hoc prohibetur per nostras constitutiones; sed quod non cōmitatur dictis personis Ecclesiasticis iudices esse fratrū. In eadē distinctione secunda *capit.* 2. *num.* 9. prohibetur

tur

tur sic. Fratres vero nostros tàm in Episcupatu precisè titulari, vel alias infra episcopatum con stitutos, & beneficiatos, vel exemptos ab ordine, exceptis Magistro sacri Palatij & penitētiarijs per petuis Domini Papę, qui sequuntur Romanam curiam, eorumque socijs, nolumus in nostris conuē tibus vltra triduum retineri absque licentia prouin cialis, cum consensu (adminus) duarum partiū con uentus obtenta. Alioquin suspensionem à suis officijs incurrant præsidentes ipso facto contra facientes. Obseruandum tamen est primò, quod licet contrarium faciant, non ideo sunt subiecti dictę pœnæ, vsque dum veniat declaratio prælati in particulari. Secundò est notandum quod Vicarius Prouincialis non ligatur hac constitutione, quia nō est præsidens conuentus, & pœnę debent restringi. Vide *cap., statutum, de electione, in 6. & capit. licet canon.* Caueat tamen Vicarius Prouincialis ne sit etiā Prior.

In capitulo 7. prohibetur Priori conuentuali ne ducat secum plures fratres ad capitulū generale vel Prouinciale sine causa legitima.

In capitulo 12. *num.* 1. prohibetur præsidentibus conuentuum, ne permittant fratres prædicare populo etiam in villulis, aut audire confessiones extraneorum, nisi sicut & quando illic statuitur. Pius Papa Quintus declarat capitulum quartum sessionis vigesimæ quartę Cōcilij Tridentini, & inquit, quod non comprehendat fratres mendicantes. Sed

quod

quod si fuerunt de putati ad prædicationis officium à suis prouincialibus, possint licitè absque vllo impedimento, vel Episcopi contradictione (nisi Episcopus prędicauerit)prędicare insuis Ecclesijs quando eis placuerit. Hæc summus Pontifex, & notandum, quod si extra suas ecclesias prædicare velint, vltra dispositionem huius nostræ constitutionis, requiritur licentia & benedictio Episcopi. Pœnę quæ debetur fratribus prædicantibus absque licentia, est pœna carceris, *distinct. 2. capit. 12. num. 1.* Etiam si prędicent in villulis. Quod notent prædicatores indorum quorũ populi adminus sunt villulæ. Et vltra hoc peccant mortaliter contra statutũ *in capit. excommunicamus, de hęretic. §. quia vero*, vbi dicitur quod excommunicentur, & sic facta informatione & accepta confessione eius qui prædicauit sine licentia, poterit in eum ferri sententia excommunicationis. Et prælati permittentes taliter prædicare absoluant̃ à suis officijs pręcipit nostra constitutio.

In eadem distinct. 2. *capit, num.7.* prohibetur sub pręcepto provincialibus, & prioribus conuentualibus ac eorum vicarijs, nedent alicui fratri licentiam acceptandi aliquam dignitatem extra ordinem infra episcopalem dignitatem. Ad acceptandũ tamen episcopatum potest Prouincialis fratri suo licentiam indulgere ; non tamen poterit præcepto illum ad acceptandum compellere . Quia ad Prouincialem nõ pertinet prouidere talibus Ecclesijs,

sed

sed ad Papam. Item quia obedientia habet limites, & prælatus in hoc casu mandat supra regulam, cōpellit enim ad perfectiorem statum. Notandū est, quod Prouincialis concedens fratri nostri ordinis licentiam ad exercendum officium administrationis alicuius Episcopatus, vel vicariatus generalis Episcopi, non incurrit neque ipse, neque frater licentiatus in pœnam huius constitutionis: quia iste non eligitur neque postulatur ad dignitatem proprie & in rigore, est enim dignitas accesoria non per se subsistens, sed per Episcopum, neque est dignitas intrinsecè hærens officio, vide Sanchez *lib. 2. de matrimon disputat* 40 *num.* 12. Item quia per huiusmodi licentiam non eximitur religiosus ab ordine, quod intendit constitutio obuiare.

In eadē distinct. *2. cap. 14. num. vltimo*, prohibetur cuilibet prelato ordinis ne promoueat fratrem ad subdiaconatum nisi sciat Grammaticam. An autē veniat prouincialis nomine prelati in hac cōstitutione, dubium mihi est, quia tamen de iure canonico sufficientia in talibus ministris requiritur, & constitutio in hac prohibitione adiuuat ius canonicum, Credo ligari Prouincialem. Ac per consequens nō posse via ordinaria dispensare: secus per viā priuilegiorum. Magistrum autem ordinis existimo nō ligari propter excellentem eius dignitatem, & etiā quia nunquam per constitutiones neq; per acta capitulorum generalium talis pœna contra eum inuenitur.

nitur. Hæc dicta ſint quo ad priores ſuppriores & vicarios ſede prioratus vacante.

Prouincialibus ac eorum vicarijs prohibetur diſpenſare in multis. Pro quo eſt ad memoriam reducendum id quod à principio huius dubij diximus, ſcilicet quod vbicumque eis imponitur pœna per conſtitutiones vel per acta capitulorum generaliũ ſi quid tale fecerint per talem pœnæ impoſitionem fit eiſdẽ expræſſa prohibitio quod non diſpenſent: ſatis enim tunc conſtat de voluntate ſuperioris. Secundò quia vbi in ſacris canonibus nõ permittitur, Epiſcopis diſpenſatio, non poſſunt diſpenſare, canones namque non licet relaxare niſi vbi conceditur. 25.*q.*2.*capit. amputato*. Vide Syluestrum, *verb. diſpenſatio*, § 9. Vbi addit quod quãdo ius concedit diſpenſationem, licet expræſſè non indulgeat quia tunc Epiſcopus poteſt, *argumentum ex capit. nuper. de ſentent. excommunc.* Quod etiam tenet Innocent. *in capit. dilectus de tempor. ordinand.* Et ratio eſt (ait Syluester) quia fruſtratoriè & ineptè intelligeretur de Papa qui ſemper poteſt indulgere. Quod etiam tenet gloſſa *in cap. Poſtulaſti, de Cleric. excommunic.* Quæ omnia veniunt applicanda ad Prouincialem, qui locum Epiſcopi in ſua prouincia habet. Et nomine Canonis, veniunt ſtatuta inferiorũ quę debent interprętari ſecundũ ius commune. *Capit. ex literis, de conſtitut. & capit. cum dilectus, de conſuetudine.* Et ita quando conditor Canonis non reſeruat ſibi abſolutionem à cenſuris, videtur alijs

con-

concedere. Ideo hanc interpretationem debẽt pati ſtatura inferiorum Papa Vnde ab excommunicatio ne in curſa ex fractione regulę poteſt ſuperior immediatus abſoluere religioſum *argumentum ex dicto cap. nuper.* niſi cõſuetudo reſeruaret abſolutionẽ Magiſtro ordinis vel alteri prȩlato. Hæc ſũt memorię tra denda quippe quæ fundamtẽa ex quibus ſoluentur quã plura dubia circa poteſtatẽ prælatorũ ordinis.

Secundò eſt notandum, quod non ſolum quando exprȩſſe prohibetur prouincialibus eorumque vicarijs diſpenſare in conſtitutionibus, vel actis capitulorum generalium non poſſunt diſpenſare: ſed etiam quando alijs prȩlatis ſuperioribus reſeruatur diſpenſatio, vt ſupradictum eſt. Quod quidem ex ſupradicto *capit. nuper, de ſententia excommunic.* poteſt probari. Ideo vt cognoſcatur poteſtas prouincialiũ, & aliorum prȩlatorum inferiorum neceſſarium eſt ſcire quę reſeruatur alijs ſuperioribus.

In diſtinct. ſecunda *capit. 9. num. 6.* Reſeruatur capitulo generali, & negatur magiſtro ordinis tollere vel immutare ſtatutum generale ordinis, vel cõſuetudinẽ diù obtendã, & cõmuniter approbatã in ordine, niſi per tria capitula fuerit approbatũ. Et ratio eſt, quia talis cõſuetudo habet vim cõſtitutionis, & pro lege accipit̃. Vt habet̃ *in capit. conſuetudo, diſtin. 1.* Et punit̃ tranſgreſſor eius ſicut trãſgreſſor legis cõmunis. *1. q. 7. cap. Si quis.* Et ita ſolus ille qui poteſt tollere conſtitutionem & legem, poterit etiam tollere con-

ſuetudinem generalem. Nec obſtat quod infine actorum capitulorum generalium & prouincialium dicitur. Concedimus totam noſtram authoritatem Reuerend. Magiſtro generali, vel Prouinciali, quia hoc non extenditur niſi ad hoc quod ex cauſa rationabili poſsint mutare aliqua eorum quę ſtatuuntur indictis capitulis. Vel forte ponuntur ad maiorem explicationem, ſiquidem iam hoc conceſſum erat Prouinciali, *in capitulo nono, diſtinct.* 2. *num,* 6. Itaque pro indubitato habendũ eſt, quod non conceditur poteſtas quam aliàs habet capitulum prouinciale, ait enim gloſſa *indicto capit.* 9. *fol.* 100. Declaratum fuiſſe in capitulo generali Romæ, quod per iſta verba non poteſt Prouincialis abſoluere fratrem exiſtentẽ in grauiori culpa à qua poſſet diffinitorium, etiam ſi in verbis poneretur quod prouincialis poſsit facere omnia quę ipſum diffinitorium poteſt. Conceditur igitur ei poſſe diſpenſare ſuper his quę in actis ſtatuta ſunt & ordinata vt dictum eſt.

In diſtinct 2. *capit.* 13. *num.* 3. reſeruat̃ Magiſtro ordinis vt nullus frater abſq; eius licentia vadat ad curiã: quę non niſi Romana intelligitur, ratio eſt, quia aliæ curię ſemper exprę́ſſantur, vel imperatoris, vel talis regis. Et acta capitulorum generalium quę ibi allegat gloſſa non obſeruantur in praxi. Ad curias namque regum videmus fratres accedere cum ſola licentia ſuorum prę́latorum. Et conſtitutio ipſa inquit, quod ſi frater habet in curia aliquod negotiũ,

mitta-

mittatur nuntius ad fratres quę sunt ibi, & per eos tractetur, ergo si non causa negotij frater vadit ad Curiam, sed ad invisendos parentes, vel fratres, nō prohibetur. Alia multa reseruant̃ Magistro ordinis, & capitulo generali, sed quia pro illis non se obtulit aliquid notandum, id circo ea reliqui

DE POTESTATE

DISPENSANDI IN SPIRITVALIBVS.

MATEria hęc latissima est; de qua videndus est, Emmanuel *in suis qq. Regular, Maxime tomo 1. quęst. 21. & 22.* Vbi eruditè loquitur. & *Armilla, verb, absolutio, & verb. absoluere.* Ego autem tantummodo aliqua notabilia & magis necessaria in medium producam iusta exigentiam verbi prologi nostri.

Possunt Magister ordinis, Prior prouincialis, & conuentualis, ac eorum vices gerentes in conuentibus suis dispensare cum fratribus sibi commissis & cum alijs fratribus sui ordinis ad eos vndecumque declinantibus; si irregularitatem antequam ordinem intrauerint, vel postquam intrauerūt incurrerunt, ex eo quod excommunicati, vel suspensi, vel interdicti celebrauerunt; aut in locis interdictis diuina celebrauere. Vel si sic ligati ordines susceperunt. Et hoc eodem priuilegio gaudent pręfati pręlati; potestque cum illis dispensari per confessores

ordinis.Hoc concessit Sixtus quartus.

Supprior sede prioratus vacante,vel absente priore, & vicarius electus à tribus patribus gaudent hoc priuilegio, quia gerunt vices prioris in conuentu suo.Et etiam vicarij domorum quę non sunt prioratus.

An vero possint Prouinciales dispensare cū fratribus alterius prouinciæ, Prior conuentualis cum fratre alterius conuentus eiusdem tamen ordinis super irregularitate contracta ratione homicidij casualis:nō clare constat. Imo meo videri pars negans tenenda est. Quia concessiones quę super hoc inueniuntur,dicunt,cū fratribus subditis suis Ad est tamen remedium, quia Sixtus Papa Quartus concessit fratribus minoribus & alijs mendicātibus,vt quilibet eorum possit semel in vita & in morte eligere confessorem ordinis sui, qui audita eius confessione absoluat eos ab omnibus censuris,& dispenset super omnibus irregularitatibus,(homicidio voluntario, membrique mutilatione exceptis)& ita poterit talis frater hospes eligere confessorē prę-latum, vel alium idonenm confessorem ordinis, & petere vt secum dispenset in irregularitate homicidij casualis. Quod vocatur quando quis non ex proposito occidit,vel fuit causa mortis, vel accelerationis eius.Vide Caietanum, *verb. homicidum, & verb. irregularitas*, de dispensatione vero super homicidio voluntario sit sequens dubium.

Dubium

Dubium Primum.

AN Prælati posſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in homicidio voluntario omnino occulto? Sed ante huius dubij ſolutioné oportet aliud prius ſoluere, ſcilicet. An homicidium occultum inducat irregularitatem ipſo facto?

Pars negatiua probatur primo, ex quadam decretali expreſſa in qua Alexander Tertius ait. Verũ tamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoueri voluerit, eum non debet aliqua ratione prohibere. quę verba ponderanda ſunt nam loquitur decretalis de delicto degradatione digno. Secũdo arguitur, quia iura Pontificia ſtatuentia pœnam irregularitatis homicidis, minime eos homicidas complectuntur qui omnino ſunt occulti & quorum homicidium probari non poteſt aliter quam ex occiſoris confeſſione, Eccleſia enim non iudicat de occultis ergo.

Notandum eſt quod homicidium occultum dupliciter poteſt conſiderari, primo modo, illud eſt homicidium occultum quod nulla ratione probari vel ſciri poteſt niſi ex propria occiſoris confeſsione. Secundo modo homicidium dicitur occultum, quod quamuis non ſit de ductum ad forum contentioſum poteſt tamen de duci & probari. De hoc ſecundo non eſt dubium irregularitatem inducere. De primo autem eſt dubium pręſens.

Caſtro

Castro 2. *lib. de lege pœnali capit. vltimo* (quem refert Couarruuias 2. *par. de homicidio* § 4. *num.* 4.) tenet nullã irregularitatem incurri per tale homicidium omnino occultum, ac per consequens tenet nulla in eo casu opus esse Episcopi dispensatione. Et adducit ad hoc probandum, textum adductum in primo argumento, *ex capit. ex tenore, de tempor. ordinandorum.* quam opinionẽ reputat probabilem Emmanuel Rod. *tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 4. *artic.* 11. & propterea non est (inquit) inconscientia damnandus qui eam sequitur. Nihilominus sit.

Conclusio, per homicidium omnino occultum incurritur irregularitas. Hęc conclusio probatur ex omnibus iuris Canonici locis quibus hæc irregularitas fuit in ducta, etenim propter homicidij actum inducta fuit absq; distinctione an is occultus vel publicus sit. Et ex alia parte plane constat (teste Couarruuia loco citato) posse humana Pontificia cõstitutione induci irregularitatem in pœnã criminis exterioris etiam occultissimi, ergo. Nec video (ait Couarr. supra) in hoc quicquam grauiter vrgere vt contrarium defendi possit. Secundo probatur conclusio, quia irregularitatis pęna propter homicidiũ non solum infligitur ob delictum sed etiam propter indecentiam & defectum significationis; sed vt ait Diuus Thomas 22. *quæst.* 40. *artic.* 2. omnes Clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, inquo sub Sacramento repræsentatur Christus. Ergo Clericus

ricus vel secularis homicida quantumcumque occultus, est irregularis. Qui enim sanguinem fundit non potest in altari repręsentare agnum immaculatum, quod nimirum est necessarium cuilibet ordinato. Atquè adeo, quamuis in homicidio occulto concederemus cum Castro non incurri irregularitatem ratione delicti, contrahitur tamen ob defectum significationis: & ratione indecentiæ. Sicut necessario dicendum est de bigamo qui matrimoniū contraxit cū corrupta ab alio, quamuis quod fuerit corrupta sit omnino occultum.

Ad argumenta Respondetur, ad primum dico, quod sunt aliqua crimina grauia quidem, & ideò digna depositione ab ordinis ministerio, eaque perpetua quæ tamen siue occulta sint siue publica non efficiunt eorum authorem irregularem, puta adulterium; falsi crimen, simonia in beneficio acquirendo commissa, per iurium. Vt notatur *in capit. tuę, de pœnis. cap. at si clerici, de iudic. §. vltimo.* Et in his quidem criminibus intelligitur textus allegatus in argumēto, scilicet, non esse quemdam prohibendum à ministerio suscepti ordinis, nec ad alios promotione si criminen occultum sit. Id est, non dum in iudiciū deductum per probationem, nec notorium aut publicum alioquin. Et idem Couarruuias loco citato censet, hanc doctrinam tenere etiam si hæc crimina non essent omnino occulta sed possent duobus, vel tribus testibus probari. Modo notoria non sint nec

in iudicio probata. Et allegat textum *in capit. vlt. de tempor. ordinand.* Alia vero crimina ſunt, quæ ipſo iure impediunt ordinis ſuſcepti executionem, & ad maiores promotionem. Vt homicidium, ſimonia in ordine commiſſa, & his ſimilia, in his profecto criminibus & ſi omnino occulta ſint nec poſsint teſtibus probari, contrahitur irregularitas iure Pontificio. Hoc patet *ex capit. vltimo de tempor. ordinand.* Vbi apparet, homicidium poſt per actam pęnitentiam adhuc impedire ſuſcepti ordinis miniſterium, & ad maiores promotionem, etiam ſi nec notorium ſit nec in iudicio probatum. Sub hoc autem humicidio, & illud continetur quod eſt omnino occultũ modo exterius ſit. Igitur & hoc impedit ſacri ordinis ſuſceptionẽ, & executionem eiuſdẽ. Eadem opinio conſtat, *in capit. niſi cum pridem, de renunciatione. §. perſonæ.* Ad ſecundum reſpondetur ex dictis in probatione primæ concluſionis: poſſe ſcilicet, ſummum Pontificem in iungere pęnam irregularitatis cõtra perpetrantes crimẽ exterius quantumuis occultiſsimum; quia tale crimen per ſe eſt publicum. Sicut ſolet dici de hęretico qui in ſecreto loco profert hæreſim exterius.

His ſuppoſitis Ad Dubiũ principale Reſpondetur, quod pręlatus regularis poteſt diſpenſare cum ſuo ſubdito qui cum eſſet ſecularis, vel dum eſſet Monachus fuit homicida omnino occultus. Hęc concluſio probatur, Nam prædicta irregularitas (ſecundũ ſententiam quam ſequitur Couarruuias *p. 2. de homi-*

cidio § 4. *num.* 4. Cum multis authoribus quos refert, & sequitur) non est Papę reseruata sed Episcopo, ergo sicut Episcopus potest dispensare cũ suis subditis, ita etiam prę latus regularis cum suis, cum habeat authoritatem quasi Episcopalem. Immo vero hæc doctrina maiori ratione currit quando agitur de dispensando cũ aliquo religioso, cui vt tollatur materia vagandi multa in iure permittuntur quæ minimè secularibus conceduntur. Emman. *tom.* 1. *quęst. reg. quęst.* 24. *art.* 11. Asserit, hanc opinionẽ solido niti fundamento, quamuis *in summa* sequutus fuerit oppositam.

Dubium Secundum

AN Prę latus posſit dispensare cum suo subdito per aliquod priuilegiũ in irregularitate contracta ratione homicidij voluntarij occulti? In dubio pręcedenti vidimus quod stando in iure cõmuni potest prælatus dispẽsare cum suo subdito super dicto homicidio voluntario occulto, modo quęritur, an habeamus super hoc aliquod priuilegium?

Pro quo notandum est, quod Martinus Papa V. concesſit Priori sancti Benedicti vallisolleti vt in foro conscientię posſit absoluere monachos ab omni excommunicatione etiam si talis esset, quam ipse summus Pontifex reseruare sibi consueuit, & cum eis super omni irregularitate etiam in illis casibus

in quibus Papa sibi inuicem reseruat (in morte scilicet, & in membrorũ truncatione, & enormi sanguinis effusione) valeat dispensare: dum tamen aliquod horum trium non sit notorium, & hoc propter scandalum.

Simile Priuilegium concessit Iulius secundus nostro ordini prędicatorum, vt refertur in compendio Societatis Iesu, *verb. dispensatio* §. 1. Et in Compendio Diui Hieronymi Hispanię, fol. 83. §. 24. Concessiones istæ amplissimæ sunt, & nullam excommunicationem excipiunt sed absolute concedunt potestatem absoluendi ab omni excommunicatione sibi reseruata, quia cum dicunt ab omni, nullam excipiũt. Quod probatur *ex capit. solite, de maioritate & obedi.* scilicet, qui totum dicit, nihil excludit. Itẽ quia hæc priuilegia sunt in præiudicium Solius Papæ concedentis, ergo amplissime sunt interpretanda, *Capit. cum ex in iuncto, de hæretic, num 5.*

Eodem priuilegio possunt vti ipsi prælati, potest enim confessor ab ipsis electus ex eorum commissione cum ipsis dispensare in omnibus in quibus ipsi prælati possunt cum subditis. Ita Emmanuelsa, *in summa, verb. confessor, num. 16. versic confessor Episcopi, & verb. religio, num. 47. versic prælati in religione. Enrriquez lib. 6. de pœnit. cap. 4. num. 3. & lib. 7. de indulgentijs, cap. 28. num. 1. in comment. lit.* H. & addit Suarez de cẽsuris, *Disputat, 41. section. 2. num. 5.* dicens, id decreuisse congregationem cardinalium; idem esse dicendum de casibus occultis

con-

concesßis Episcopo in Concilio Trident. *seß.24.cap. 6.de reformat.* si enim Episcopus in eos incidat potest absolutione, & dispensatione sui confessarij ad id abeo electi, vti. Et illa iurisdictio subditi dispensandi cum prelato, sicut & absoluendi, ab ipso prelato emanat: vel à Pontifice qui *capit. finali, de penit. & remiß.* concesßit prelatis exemptis posse eligere confessores. Et quamuis ibi textus de sola Sacramentali cōfesßione mentionem faciat: at mens eius fuit his prælatis prospicere in omnibus per illum confessarium, quę possunt ipsi in subditos exercere, & ita loquentes de Episcopo fatentur Palud. *in 4. dist. 38. quæst. 4. arti. num. 41. Diuus Antonin, 3 par. titu. 17. capit. 2. §. 2. Angelus verb. confeß. 3. num. 7. Syluester. verb. confessor, 1. q. 9.* Manuel *sa, & Enrriquez in locis citatis, thom. Sanchez, tom. 3. de matrimonio, disputat, 3. nmm3.*

Circa hanc Martini Quinti concesßionem ait collector priuilegiorum in compendio mendicantium secunda imprę ßione, *titu absolutio ordinaria quo ad fratres* §.40. Quod licet primo facta fuerit soli Priori seu Abbati sancti Benedicti vallisolleti, postea tamen extensa fuit & communicata omnibus prioribus, vel Abbatibus aliorum monasteriorum. Et ait hanc concesßionē ipsum vidisse sub sigillo authentico in prędicto conuentu vallisolleti, & inde fideliter extraxisse. Hæc dispensatio intelligitur de quocunque homicidio voluntario, vel casuali directo, vel in directo, dummodo iudicialiter nō posßit probari. Ita

Corduba *in addition. ad dictum compendium*, §. 24. Aduertendum tamen, quod hoc priuilegium non se extendit ad dispensandũ cum bigamo, quia bigamia est grauior cęteris irregularitatibus ad dispẽsandũ, vt aduertit author compendij priuilegiorum.

Vltimo notandum est, quod Concilium Trident. *in sess.14 capit. . de reformat.* non concedit Episcopis facultatem ad dispensandum in irregularitate procedente ex datione potus venenosi quo creatura animata abortitur, cum hoc sit plusquam homicidium voluntarium; est enim homicidium calificatũ. Vnde si aliquis huiusmodi potum dederit quo fętus animatus de facto perijt non potest Episcopus in eius irregularitate dispensare. Neque Priores & Prouinciales ordinum mendicantium possunt cum suis subditis in hoc dispensare virtute breuis Martini Quinti, nec Iulij secundi supra positi. Ista enim priuilegia concedunt facultatem ad dispensandum in homicidio voluntario occulto, (vt dictum est) & qui habet facultatem ad dispensandum in homicidio voluntario, non habet potestatem ad dispensandum in homicidio calificato; cuiusmodi est occcidere cum veneno creaturam animatam, tollendo ipsi vitam tẽporalem, & vitam eternam quam in Christo regenerata poterat adipisci, prout in simili notat Nauarrus *lib. 5. consil. titu. de homicidio, consil.*

Dubium Tertium.

AN

AN Supprior conuentus mortuo Priore vel amto posſit hoc Martini quinti priuilegio gaudere & diſpenſare in dicto homicidio voluntario occulto? videtur quod non, quia tale priuilegium conceditur Priori, & non Suppriori. Priori tamen non ſuccedit Supprior ſede prioratus vacante in his quæ habet iure ſpeciali & ex priuilegio. Sicut de capit. ſede vacante dicitur quod non ſuccedit Epiſcopo, niſi in his quę ad ipſum pertinet iure communi, nō autem iure particulari. Vt notat Panormitanus *in capit. vnico, de foro competen. num. 9. & capit. ſcriptum. de electione, num.* 12.

Concluſio, Supprior poteſt vti ſupradicto priuilegio, & abſoluere ſuos ſubditos in ſede prioratus vacante à dicto homicidio voluntario occulto, & cum illis diſpenſare. Probatur primò, quia hoc priuilegium non conceditur dignitati vel officio, ſed in fauorem animarum. Secundo, quia hoc priuilegium non conceditur Abbati, ſed priori Sancti Benedicti, quare ergo non eſt extendum ad ſuppriorem ſede vacante, cum beneficia principum recipiant extenſionem de vno caſu ad alium ſimilem?

Sed pro maiori huius dicti intelligentia, Nota quod licet quando interprætamur priuilegium propriè ſumptum videlicet, quod eſt contra Ius cōmune vel contra tertium: tunc ſtrictè debeamus interpętari, vt ſcilicet, minus derogetur Iuri communi vel tertio quam poſsibile ſit; quia omnis receſſus à

iure

Iure commune eſt odioſus. Vt habetur *in capit. 1. & ſecundo de filijs preſbiterorum in 6.* At quando priuilegium fuit conceſſum in fauorem animarum, & ex pia causa & honeſta, quia tunc etſi ſit contra ius cõmune, vel tertium debet nihilominus latiſsimè interpretari. Vt eſt textus notabilis iuncta gloſſa Panorm. *in cap. tua nobis, de verborum ſignificat.* Hoc autem priuilegium nec eſt contra ius commune, nec contra tertium, ſed eſt beneficium principis: per quod tantum modo derogatur authoritati ſolius concedentis & in fauorem animarum, nec eſt electa induſtria perſonę Prioris ſancti Benedicti. Ergo hoc priuilegium recipit latiſsimam extenſionem. Nec cõtra iſtam notabilem conceſsionem valet quidquam quod aliqui dicunt affirmantes non eſſe in vſu. Nam ad hoc reſpondet Pater Emmanuel. T*om. 1. qq. reg. queſt.* 32. *art.* 12. dicens vnde ipſis conſtat non eſſe in vſu? debent ne Prouinciales & prelati ſupradicti vti hac conceſsione in plateis, aut in monaſteriorum clauſtris, ſcientibus omnibus & videntibus? minimè quidèm, cum tantum cõcedatur pro caſibus occultis. Et hac facultate (teſte patre Alphonſo de la Veracruz in ſuo compendio manuſcripro) vſi ſunt in his partibus fratres noſtri pręedicatores in primo capitulo Prouiciali celebrato Huatemalę, anno milleſsimo quingenteſsimo quinquageſsimotertio.

Ait priuilegium, quod quando eſt notorium homicidium non debet fieri diſpẽſatio. Et hoc propter

ſcan-

ſcandalũ. Ex quo ſequitur quod ſi alibi nihil ſcitur. poteſt fieri diſpenſatio, quia ibi nõ eſt ſcandalum.

Circa hoc eſt aliqualis controuertia inter doctores. Quidam dicunt occultum delictum dici, quãdo ita occultum eſt vt in iudiciũ defferri nequeat. Ita *Angles floribus, 1. p. vbi de confeßione, quæſt. 4. art. 5. diffic. 6. Gutierr. canonic, l. 1. cap. 3. num. 27. Emmanuel in addit. ad bullam § 6. num. 69.* Quare dicunt Gutier. & Emmanuel, talia dici occulta, eo quod nullus interfuit teſtis, & ſola delinquentis confeſsione manifeſtari poſſunt Eccleſiæ. At Verius eſt, quod multis citatis ait Sãchez, *lib. 8. de matrimonio, diſput. 34. num. 55. & 56.* nempè, accipi delictum occultum, vt diſtinguitur contra publicũ, & ita & ſi ab aliquibus ſciatur, & probari poſsit, dici occultũ: ac tunc tãtũ occultũ nõ eſſe, quãdo in ratione delicti eſt publicũ: vt pote quod in maiori parte viciniẹ, collegij, vel monaſterij, vel parochiæ cognoſcitur. Dũmodo ſaltẽ decẽ perſonẹ inuẽiantur in ea vicinia, parochia, collegio, vel monaſterio.

Quod ſi delictum ſit alicubi publicũ, ibi vero vbi abſolutio petitur, eſt occultum, Suarez *tom. 4. in 3. par. diſp. 30. ſection, 2. num.* 2. Ait non dici occultum, ac pro inde facultatem diſpenſandi non extendi ad hoc delictum. ducitur, quia quod alicubi publicum eſt, ſimpliciter eſt publicum, & non occultũ: eo vel maximè, quod moraliter ac regulariter loquendo, quod in aliquo loco publicum eſt facile ad alia loca deffertur. At Sanchez *lib. 2. in præcep. de calogi. cap. 11. nu.*

2. Probabile credit (quod scit viros doctissimos Salmanticę consultos sensisse, quos reffert & sequitur Auila de censuris, *par. 2. cap. 7. disput. 1. dubio* 11. *conclusione* 3. Si delictum in loco ita distanti publicum sit, vt nō sit spes fore, vt ad alium defferatur, dici occultum in eo loco in quo absolutio, aut dispensatio petitur. Ac pro inde subijci facultati potētis dispensare quia (vt benè aiunt Durandus *in* 4. *dist.* 18. *quęst.* 5. *in fine, & ibi Pauld, quæst,* 6. *art.* 1. *num.* 5. Non ex hoc quodaliquis sit publicus excōmunicatus in vno loco, censeri debet publicus in alio. Deinde, quia communis sententia docet non teneri restituere manifestantem publicū alicuius delictū: at vero quando in aliquo loco publicum est, non censeri publicum in alio ita distanti ad quē non est spes fore, vt facile fama perueniat. Quod sufficienter declarat præfatū priuilegiū Martini Quinti dicens, quod non fiat dispensatio quando humicidium est notorium, & hoc propter scandalum, ergo vbi non est scandalū quia ibi delictum occultum est, quāuis alicubi sit publicum, potest dispensari. Quid autem sit delictum esse de ductum ad forum exterius, *vide Sanchez vbi supra, nu.* 21.

Pro complemento supra dictorū circa potestatē dispendi nostris pręlatis concessam, aduertendum est valde, quod priuilegia concessa religionibus, vt earum pręlati generales & prouinciales possint dispensare in omnibus irregularitatibus, excipiendo tres, nempe, homicidium voluntarium, bigamiam,

& mu-

Corduba, *ſummaquæſt.8.in fine*, quãdo hęreſis eſt occulta. Atque idem dicerent virtute Iubilęi ſimilem clauſulam continentis. At vero tanquam certiſsimum tenendum cenſeo oppoſitum, quia conceſsio generalis abſoluendi ab excommunicatione, & caſibus cenę, non compræhenditeam, cuius abſolutionem veriſimili coniectura delegans non commiſiſſet. Quod probatur ex regula iuris in 6. *in genreali conceſsione &c. regula* 82. at hæreſis abſolutio adeo reſeruata eſt, vt veriſimiliter eam Pontifex non conceſiſſet. Pręterea de hoc eſt motus proprius Gregori XIII quem ad verbum affert Emmanuel *addit ad bullam §.9.nu.66.* & ideo ita docent Couarr. *cap. Alma mater, 1.par. §.11. nu. 15. Gutierr. queſt. canon. lib. 1. cap. 13. nu. 26. Henrriquez lib. 8. de pœnit. cap. num. 2.* & multi alij quos reffert Sanchez, *lib. 2. in præcep. cap 12. num. 10.*

In memoriam reuocandum eſt, non ſolum hęreſis excõmunicationem reſeruari Pontifici, ſed ipſũ etiam peccatum: adeò vt abſolutio ab hæreſi quantumuis bonafide impenſa ſit irrita, & quo ad cenſuram & quo ad peccatum; ſi abeo impendatur qui poteſtate abſoluendi à cenſura illi anexa caret; at verò ſublata excommunicatione per potentem abſoluere ceſſat quoque peccati reſeruatio, & ſimilitèr ſi quis per ignorantiam cenſuræ eam non incurreret.

Dubium Quintum.

AN

AN Prælati possint nouitios absoluere, & cum illis dispensare, & an nouitij gaudeant priuilegijs professorum?

Aliqui dicunt prælatos religionum non posse cũ nouitijs dispensare, sed hoc ad proprium Episcopũ pertinere. Ducuntur primo, quia prelati non habẽt in eos simpliciter Iurisdictionem Episcopalem, sed tantum regimen pro tali tempore. Secundo quia si ordinibus initiandi essent, nequiret prelatus literas dimissorias eis concedere, cum tamen ea concessio sit quoque actus Iurisditionis spiritualis, Tertio, quia ob id non fruuntur religionis priuilegijs, quia non perfectè sunt subditi, vt tradit Emmanuel *tomo 3. qq. regulat. quæst. 51. artic. vltimo* idque probatur *ex cap. Religioso, de sententia excommunicationis in 6* vbi iure speciali indultum est nouitijs in Reuerentiã habitus quem gestant. vt ipsorum percussores sint excommunicati, Ergo ex eo colligitur ius commune in contrarium. Argumento *ex l. ius singulare, & l. quod vero, ff. de legibus.*

Oppositum tamen, videlicet prelatum posse cum nouitijs in eorum votis dispensare, illosque absoluere, est tenendum. Quia prælatus habet in nouitios iurisditionem spiritualem Ecclesiasticam, vt benè tradit Nauarr. *summa. latin. cap. 12. num. 64* & ideo est exemptus nouitius, dũ in religione perseuerat à iurisdictioni Episcopi, nec potest de delicto nouitij, aut alijs eius causis cognoscere, nisi nouitius se illi subdat,

dat, sed totum hoc pertinet ad prælatũ religionis.

Potest Prior absoluere nouitios ab omni censura, à qua per priuilegia potest absoluere professos. Ducor, quia secundum hostiensem, & Innocencium *in cap. Monachi, de sentent. excommunic. & Syluestrum verb. absolutio quinto*, §. 9. Potest Prior nouitium absoluere à percutione clerici non enormi, in casu quo potest absoluere professum: quia iste nouitius est persona Ecclesiastica, & gaudet priuilegio Canonis, *si quis suadente diabolo*. Et consequenter gaudet priuilegio dicti capituli, *ne Monachi vagentur*. Quod in nouitio est tanto periculosius quanto ille est infirmior, & minus expertus, ergo. Et hoc (ait Syluester vbi supra) est rationabilius quam oppositum. Itaque ex hac sententia Syluestri, hostiensis, & Innocẽtij facile probatur nostra conclusio, nam si priuilegium *dicti capit. Monachi*, concessum prælatis regularibus vt possint absoluere professos à percutione clerici nõ enormi, extenditur ad nouitios quia currit in eis eadẽ ratio quę in professis: quare ergo & nos non extẽdemus similiter alia priuilegia cõcessa eisdem prælatis in suos subditos professos, ad nouitios? Vnde quamuis priuilegia non debeant extendi ex identitate rationis sicut ius commune, vt ait Panormitanus *in capit. canonica, de sentent, excommunic.* Et similiter, esto priuilegium non debere extendi ad alias res, seu personas in eo non expressas, licet in non expressis sit eadem ratio. At secus dicendum est, in iure

iure communi,vt tenet idem Panormitanus *in capi. ſane, de priuilegijs,num.1.& 3. & in capit.ſane,de celebratione miſſar.*Inquit,quod priuilegium extenditur adcaſum non expręſſum,quando exmente priuilegiantis po teſt ille caſus compręhendi:ſicut conſtat de exten- ſione per Papam in dicto capit.*Monachi de excommuni.* Pro hoc etiam facit doctrina Panormit. *in cap.cum in cauſa, de iuramento columniæ num.*8.Vbi inquit.Quod licet verum ſit quod priuilegium non debet extendi ad alias perſonas in eo non expræſſas dato in non ex- pręſsis inueniatur eadem ratio(vt iam diximus ex capit , ſanè de priuilegijs) at hoc non procedit de priuilegio in corpore iuris incluſo.Ibi enim ex vo- lutate concedentis conſtat, velle extendi. Vltimo probatur primum dictum ex eodem Panormit. *cap. Eccleſiæ de immunitate Eccleſiæ,num.*4.Vbi ait,quod priui- legium Eccleſię ſimpliciter collatũ, extenditur ad Eccleſias non conſecratas, proxime tamen conſe- crandas, ergo cũ nouitius de proximo ſit conſecrã dus per profeſsionẽ, gaudere debet priuilegio pro- feſſorum quod ſcilicet, poſsit abſolui & diſpenſari per prælatũ ſuũ ſicut & profeſſus. Huic doctrinæ fa- uet Molina *tom. 1.de iuſtitia, diſputat.*139.*colu.*3. *Enrriquez lib.7.de indulgentijs,cap.*22.*num.*7.Emmanuel *tom.*1. *qq. regul. quęſt.*25.*artic.*8.*& in ſumma,tom.*2.*cap.*89.*num.vltimo.* Et hanc ſententiam videtur etiam tenere Leonardus, *lib.*2. *de iuſtitia, cap.*40.*dub.*13 *num.* 107. Vbi & ſidicat prẹlatos non poſſe,&limitat,niſi habeant in omnes domeſti-

cos

cos authoritatem quasi Episcopalē, vt fere omnes prȩlati exempti habent. Ex dictis manent solutȩ rationes contrariæ prȩter secundam. Ad quam Respō detur quod quamuis prȩlatus religionis valeat cū nouitio dispensare, non tamen poterit ei literas dimissorias ad ordines cōcedere, sicut potest pofessis sed eas dare erit proprij Episcopi. Ratio est, quia plus requritur ad potestatem concedendi literas dimissorias ad ordines, quam ad dispensandum. Itē, quia expedit bonȩ nouitiorū educationi, ne vagari cogantur vt prælatus religionis possit cum eis dispensare. Quod secus se habet respectu literarum dimissoriarum ad ordines, cum expediat tunc eos nō initiari. Immo prȩceptum sit iusta communem sententiam, ita Sanchez *lib. 4. in prȩcep. cap. 39. num. 21.*

Prior conuentualis potest absoluere fratres suos professos (ex concessione Iulij secundi, ab omni sententia excommunicationis, etiam si talis esset quā Papa sibi reseruare consueuit. In qua concessione cōceditur absolutio excōmunicationū in cena Domini per regulam Panormitani *in cap. cum ex iniuncto, de hæreticis num. 5.* Nimirum, quod priuilegium concessū ab eo cuius iuri detrahitur per ipsum, est latissimè interprȩtandum in ipsius prȩiudicium, hanc concessionem Iulij Papȩ secundi, quam etiam concesserūt Clemens quartus, & Sixtus quartus, vt constat ex cōpendio priuilegiorum *verb. absolutio ordinaria quoad fratres, concessione nona* : extendit author dicti compendij

ad nouitios, *verb. nouitius, conceßione, 9.* Et idem Iulius secundus ad petitionem Reuerendissimi Caietani cōcessit dictis prioribus, vt possint absoluere fratres siue prius quam intrauerint, siue post, ab omni censura interdicti, suspensionis, vel excommunicationis etiam in cena Domini, nisi fuissent hęretici, relapsi, schismatici, falsificatores literarum Papæ, vel si ad infideles prohibita detulissent, vel in Romanū Pontificem conspirassent.

Absolui potest nouitius à casibus reseruatis intra ordinem absque pręlati licentia, Ducor quia nouitij antequam professionē emittant non sunt verè religiosi, ergo non possunt ligari vt alij religiosi quo adhoc per prælatos sicut neque ad alia statuta, vt deducitur *ex capit. religioso, de sentent excommunic. lib. 6.* Et tenēt communiter doctores. Et si arguas, quod benè stat, quod nouitij non sint proprie & irreuocabiliter religiosi, & quod etiam quo adhoc teneantur astricti sub iurisdictione pręlatorū. Vt seculares qui habent proCurato prælatum religiosorum, licet enim ipsi non sint astricti vt religiosi, subduntur tamen tali pręlato. Adhoc respondetur, concedendo quod nō subduntur seculares illi sicut sui subditi religiosi, sed sicut diœcesani. Et similiter quod nouitij subduntur pręlatis non vt religiosi professi, sed vt nouitij qui tenentur ad religionis asperitates supportandas, non sub pœna peccati mortalis si in eis defficiant, sed sub pœna expulsionis à religione. Vnde possunt

præ

prælati expellere à religione nouitium quem cognouerunt inobedientem & in secreto eligentem confessorem prçter nominatum ad nouitiorum cõfessiones audiendas,itaq; nouitij non sunt ligati lege coactiua sub mortalis peccati pęna ad obseruantias regulares,sed tantũ sunt ad illas obligati sub pęna eiectionis à religione si eas nõ seruauerint, aut ad aliã pœnã temporalẽ à Magistro nouitiorum imponendam iusta regulam&constitutiones.Vltimo probatur,ex eo quod cõmuniter dicunt doctores, quod videlicet, nouitij quantum ad fauores computãtur inter religiosos,quantum ad odia vero,minimè.At non posse absolui à reseruatis nisi à prçlatis ordinis, aut habentibus eorum potestatẽ quid odiosum est, & ideo ad nouitios minime exendendun. Ita Emmanuel,loco supra citato, Magister Petrus Ledesma *in summa Sacrament,pag.566,* Molina *tom.* I. *de iustitia. disputat* 139. Sanchez *lib.* 4. *in prçcep. capit.*39.*num.* 17. *&* *sequentibus.*

Circa supradicta notandum est cum Syluestro, *verb.religio quinto.§.6.* Quod nouitius nõ tenetur ad prçcepta regulę & constitutionum, nisi sicut alij Christiani.debet tamen induci vt seruet ad probandum & consuescendum,sed aliquid indulgendum est ne retrocedat,*35.q.3.cap.quod scripsi.* Dices, ergo melioris conditionis est nouitius, quam quando erat in sęculo vel quando profitebitur religionem cum modo ad nullam legem nisi diuinam vel Ecclesiæ teneatur,

 tur,

tur, respondetur, negando sequelam, sed est fragilioris conditionis, cuius fragilitati compatiens Ecclesia à multis parcit ei, ne oneri regularis obseruãtię succumbat, & ab arrepto proposito retrocedat:

Aduertit iterum Syluester, quod nouitius delinquens non potest puniri ad perpetuum carcerem si delictum hoc merebatur in professo. Ducitur, quia iam impediretur exire, cuius contrarium prohibetur: vt videlicet, nullomodo posit impediri quin redeat ad sęculum, & hoc si velit, & nõ aliter. Vide Emmanuel. *tom. 1. qq. regul. quęst. 21. ar 11.*

Dubium Sextum.

AN Integrum sit prælatis nouitiorũ vota irrita? Probabile est posse priorẽ irritare omnia nouitij vota quę eũ onerare, vel impedire possunt ad experiẽdas ordinis austeritates. Ducor, quia annus probationis adhoc ei asignatur, *capit. nõ solũ, de regular. in 6. & cap. ad Apostolicam.* Ergo dabitur etiam pręlato (sub cuius disciplina hunc annum explet,) potestas ad tollenda illa omnia quę plenam libertatem nouitij impediunt, quæ quidem solent esse, & sunt vota particularia quibus oneratur, vt nõ impeditus nonitius probet religionis disciplinam. Immo mole tantorum onerum, religionis videlicet & voti, fatigabitur & retrocedat. Hac enim ratione dicimus ce-

ssare

ſtare vota nouitij ante habitus ſuſceptionẽ emiſſa, quippe tempore nouitiatus non tenetur illa imple re. Ita victoria *22. quæſt. 189. Suarez tom. 2. de religione, lib. 6. cap. 11. num. 8.* & hac eadem ratione abſolutus eſt no uitius à legibus ciuilibus & ſynodalibus, vt ab om- nibus enudatus, expeditius probare per dictum an- num queat auſteritates ordinis, qui enim ei conce- dit vt poſsit per annum ſub iugo regularis obſer- uantiæ agere & in illis exercitijs ſe probare: cõcede re apparet abſolutionem ab illis, quæ ei impedimẽ to eſſe poſſunt ad experiendas diſciplinas ordinis & eius rigores. Reuiuiſcerent tamen vota irritata ſi nouitius retrocedat, *Argumentum ex Syluestro, verb. ab ſolutio. 5. § 9.* quando abſoluitur nouitius ab excõmu- nicatione. Quia incluſa eſt conditio, ſi perſeuerauе- rit. Secus ſi abſoluatur nouitius virtute priuilegio rum quę habemus circa omnes alios fideles: quia non conditionaliter ſed abſolute datur poteſtas.

At, verius dicendum cenſeo, prælatos nullo iure potiri irritandi vota nouitiorum, quod probatur, quia cum nouitij nondum ſint religioſi effecti, volũ- tas eorum non pendet à prælati voluntate, nec in illam dominium habet. Ita docet Ludouicus Lopez. *1. par. inſtruct. conſcientię, cap. 48. Nauarr. ſumma lati. cap. 12. nu. 65. Leonardus leſ. lib. 2. de iuſtitia, cap. 40. num. 7. Emmanuel, tom. 2. qq reg. quęſt. 25. artic. 8. & tom. 2. ſummę, cap. 89. num. vltimo Ilamas in methodo curationis, 3. par. cap. 4. §. 42. Suarez tomo. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. capit. 7. num. 11.* Tamen ſi noui-

tius

tius apponeret conditionem in voto, si prælatus approbauerit uotum, vel consenserit, poterit prælatus irritare per substractionem conditionis appositę, vt docet *Suarez ibi, & Sanchez lib. 4. in pręcep, decal. cap. 24. nu. 36.* inquit, id esse generale in votis cuiuscunque apponentis similem conditionem.

Difficultas tamen est, an vota nouitiorum ita maneant, suspensa tempore nouitiatus, vt pro tunc minime obligent? Aliqui affirmant tam de votis realibus, quàm personalibus. Ita videtur sentire Couarr. *de pactis, 1. par. §. 3. nu. 4.*

At dicendum censeo, sola vota personalia impedientia executionem exercitiorum nouitiatus posse prælatum suspendere; qualia sunt, quæ vel opera religionis, vel ordinem impediunt, vel nimium aggrauant religionis onus. Ratio est, quia cum nouitius subsit pręlati curę pro tunc gubernandus, vt ipse posit religionis experientiam capere, & religio ipsius, rationi consonum est eum omni iurisdictione necessaria ad hunc finem potiri: vt posit moderari opera quæ onerosam possunt reddere religionem, & sic oneri succumbens nouitius illã deserat, aut saltem difficilior erit perseuerantia. Quæ ratio cũ non militet in alijs votis, quę nec obstãt religionis exercitijs, nec illam aggrauant, non est cur pręlatus possit illa suspendere. Vt si votum sit seruandi pręscripta in regula, aut seruandi pręcepta dei, aut Ecclesię. Ita docent Sanchez *lib. 4. cap. 33. nu. 32.* Leonardus *lib. 2. de*

iusti

tia,cap .40.dub.10.num. 77. *Suarez tract.de voto lib.6.cap.7.nu. 12.& cap.11.num.8.*

Id tamen monuerim, posse aliquando cõtingere, vt & si votum per se & ex sua natura, non impediat religionis exercitia, nec illã aggrauet; per accidens tamen id efficiat, poterit prelatus similiter suspendere. Verbi gratia, promisit nouitius seruare silentium regula mandatum, aut interesse sacro, authoris canonicis vt prescribit regula, quamuis ex se hæc vota non aggrauent religionem, nec impediant eius exercitia, at possent in de tot scrupuli in nouitio oriri, vt fere inneptus esset religionis exercitijs, aut multo grauiora redderent:& tũc posset prælatus suspẽdere. Militat enim hic ratio superius tradita.

Ex alio etiam capite poterit suspendi votum nouitij, nempe prælato occupanti illum tempore quo votum personale impleturus erat, aut ex iusta causa interdicenti materiam promissam, quia prelatus quouis tempore nouitiũ occupare potest, & vt permaneat, oportet ipsum obedire. Quare tunc temporis illud votum cẽsebitur suspensum, vt pote quod obseruari commode nequit cum obseruantia regulari. Nec tenebitur tunc nouitius licentiam petere implendi, nec manifestare votum, quia ad neutrum se explicitè aut implicitè obligauit. Sicut & propter hanc rationem idem censet Sanchez de votis professorum. *lib.4.in præcep capit.25 nu.26.* Nec Credo peccare prælatũ, qui conscius voti personalis cõpatibi-

lis cum obseruantijs regularibus, tunc nouitiũ iusta de causa occuparet, materiam vè prohiberet. Quia illa vota personalia non àrctant ipsũ prælatũ, quo minus nouitium omni tempore occupare queat.
Et id ipsum quod diximus de prælato respectu nouitiorum, credo etiam verum de Magistro nouitiorum, poterit enim similiter suspendere vota quę diximus posse prælatum suspendere, quia ipsi specialiter & immediate incumbit regimen nouitiorum. per hæc manent solutę rationes primę opiniones.

CIRCA infirmos habent prælati potestatem aliquid relaxandi vel dispensandi in horarũ recitatione. Pro quo est notandum, quod ęgritudo corporis, aut talis est, vt hominem impediat ne absque graui salutis suę detrimento, aut sine nimio dolore, aut vexatione corporis possit pensum horarũ persoluere. Hæc excusatio communis est alijs pręceptis humanis; vt de Missa, & de Ieiunio constat. habetq; in hoc præcepto eamdem rationẽ. Et ita in hoc cõueniũ doctores, sumiturq; *ex capit. clericus victũ, dist. 91. & ex capit. ad audientiam. de cleric. non resident.* quia vero non omnis corporis imbecilitas, aut defectus integræ valetudinis sufficiẽs est ad hanc excusationẽ, ideo in modo ferendi iudiciũ de quantitate vel qualitate morbi sufficientis ad hanc excusationem, solet esse non nulla difficultas. Breuiter tamen dico. quod ęgritudo vel ita leuis est, vt nõ impediat alias ordi-

ordinarias actiones capitis, vel linguæ, neque per illas notabiliter augeatur; tunc non poteſt dici moralis neque rationabilis impotentia: huiuſmodi eſſe ſolet moderatus dolor ſtomachi, vel alterius partis & ſimilia. Quando vero ęgritudo eſt grauis, tunc nõ eſt dubium de excuſatione etiam abſq; iudicio medici, quia de re ipſa ſatis conſtat. Nam iudicium medici tãtum deſiderari poteſt propter certitudinem; quando autẽ res eſt dubia, ait Nauarrus, *in Manuali capit. 25. num. 100. & de Oratione, capit. 11. nu. 3.* Ex communi ſententia, conſulendum eſſe medicum, & illius iudicio ſtandũ. Non quia ipſe poſsit tollere, vel minuere obligationem, nullam enim iuriſdictionẽ habet, ſed quia ratione officij, & peritię in arte hoc iudicium ad illum ſpectat, neque habent homines aliã regulam qua poſsint in ſimili dubio gubernari. Neque lex humana obligat ad ſummam diligentiam adhibendam, & ideo ſatis eſt, vnum conſulere medicum, qui bona fide pius, & probus iudicetur in ſua arte. Conſulendum eſſe prælatũ aiunt aliqui & eius aſſenſum poſtulandum. Quod indicat Magiſter Soto *lib. 10. de iuſtitia, quæſt. 5. artic. 3.* verum tamen ſi medicus non manet dubius, ſed iudicium profert de excuſatione, cõſenſus prælati neceſſarius non eſt. quia nõ propter certitudinẽ, nam prælatus non poteſt illã augere, & licet poſſet, non tenetur quis omnem quęrere. Nec etiam eſt neceſſarius actus pręlati propter iuriſdictionem, quia nulla relaxatio neceſſaria

eſt vbi de cauſa excuſante conſtat: At vero ſi medicus etiam dubius eſſet, tunc conferre poteſt cõſenſus prælati & ita tunc requiri & ſufficere affirmant Graffis *lib. 2. capit. 53. num. 2. & Azor, lib. 10. cap. 4.* quibus aſſentit Suarez, *tom. 2. de religione. cap. 27. num. 20.* Quod neceſſarium tunc eſt, non propter ſolum iudicium ſeu certitudinem, ſed propter vſum iuriſdictionis; videtur enim poſſe ſaltem in caſu dubij aliquid cõdonare per modum diſpenſationis ſeu relaxationis atq; hoc maximè locum habet in religioſis, quia & facile poſſunt adire ſuum prælatum, & per priuilegia habent circa hoc maiorem aliquam poteſtatẽ; ideoquè in ſimili dubio nullomodo debent ſine conſenſu prelati excuſari.

Dubium Septimum.

AN Prelati poſsint ſecum directe, verè ac proprie diſpenſare, verbi gratia, in votis, irregularibus, preceptis Eccleſiæ, atque in ceteris omnibus, quoties id poſſunt cum ſubditis?

Pars negatiua ſuadetur his argumẽtis. Primò, idẽ ſuper ſemetipſum iuriſdictionem exercere nequit. *leg. ille a quo, verſ. tempeſtibum ff. ad treb. & leg. penultima, ff. de recept. arbit.* Quod docet Diuus Thomas, *in 4. diſtinct. 20. queſt. 1. art. 5. quæſtiuncula 4. ad 1.* Sed diſpenſare cum aliquo eſt erga eum iuriſdictionem exercere, nã diſpenſa-

pensatio propria est actus iurisdictionis,ergo prælatus non potest secum dispensare.

Confirmatur,quia dispensatio est actus superioris in inferiorem & subditum, atque adeo dispensatio non subditis minimè prodest, ergo.

Secundo arguitur, eiusdem est ligare & soluere, *distinct.21.capit.inferior,&cap.cũ inferior.de maiorit.&obediẽtia.* Sed nemo potest se ipsum ligare vt patet etiam de summo Principe,quem suis legibus quoad vim coactiuam non ligari docent omnes,ergo nec poterit se ipsum abobligatione legis absoluere secum dispensando.

Tertiò arguitur, *ex capit. finali,de institut.* Vbi dicit̃, eum qui beneficium conferre potest,non posse se ipsum instituere. Et redditur ratio his verbis. Cũ inter dantem & accipientem debeat, esse distinctio personalis. Sed dispensans est beneficium dispensationis impartiens, is vero,cum quo dispensatur est tale beneficium recipiens, ergo.

Quartò arguitur,quia cum dispensatio sit in lege superioris, nequeunt prçlati eam potestatem secũ dispensandi habere,nisi ex prçsumpta superioris cõmissione sed ratio dictat eam comissionem nõ prçsumi cum nõ expediat eos ea potestate in semetipsos vti, siquidem per confessorem possunt sibi ipsis consulere,committendo illis suam authoritatem vt cum eis dispensent, ergo.

Et confirmatur,quia ideo potest superior in voto

subditi dispẽsare, quia ea voluntas qua se obligauit erat subdita superiori, sed voluntas prelati sibi ipsi non est subdita, ergo non potest secum dispensare.

Hanc partẽ sequuntur doctores citati à Thoma Sanchez *tom.3.de matrimonio, disputat, 3. num.5.* idem tenent Colector priuilegiorum mendicantium, *verb. accedere ad monasteria monialium, quæst. vltima, & ibi Corduba in additionibus. Emmanuel, tom.1.qq. regul. quæst.45. artic. vltimo.* Limitãt tamen hoc Paludanus *in 4. distinct. 38. quæst 4. artic. 4. cõclus.4. nu. 41.* Corduba promximè allegatus. Nisi periculum ex mora adeundi superiorem immineret.

Prima conclusio. Nullus prelatus potest vti iurisdictione inse ipsum, se cogendo, vel sacramẽtaliter absoluendo. probatur conclusio, quia iure naturæ videtur repugnare quod aliquis se ipsum puniat aut cogat exercendo in se ipsum iurisdictionem punitiuam, seu coactiuam, neque se ipsum sacramentaliter absoluat: absolutio enim iure diuino postulat distinctionem personalem inter absoluentem & absolutũ. Secundo probatur, ex, Diuo Thoma *in 4. distinct. 20, quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 4. ad. 3.* & ibi Durandus *quæst. 4. num.10.* qui asserunt, actum qui ad instar sententiæ exercetur vt excommunicare, non posse ab aliquo erga seipsum exerceri. Itaq; actus iurisdictionis qui vim coactiuã exercet, necessario petit circa aliquem alium exerceri. Idem & eodem modo dicendum est de actu collationis dignitatis & beneficij, hoc dictũ probatur ex Panormitano *in. cap. finali,*

de in-

de institut. inquit eum ad quem dignitatũ collatio expectat, non posse se ipsum instituere, & reddit rationem, quia inter dantẽ & accipientem debet esse distinctio personalis, & vt euitetur iniquũ ambitionis exemplum in prelatis, quod amplius constat *ex cap. per nostras de iure patronatus.* Vbi decernitur, nullum se ad dignitates presentare posse: & redditur ratio his verbis, nullus se ingerere debet Ecclesiasticæ prælationis officijs.

Secunda conclusio, quicunque prelati, & eorum absentium vices gerentes possunt secum dispensare in omnibus his, inquibus cum suis subditis dispensare possunt. Hanc cõclusionẽ tenent Diuus Thomas, *22. quæst. 185. artic. 8. turrecrem. cap. de monachis 16. q. 1. Diuus Antoninus, 3. par. titu. 20. cap. 2. §. 7. Armilla verb. Monachus, nu. 9. Molina, tom. 1. de iustitia, tract. 2. disputat, 247. Emmanuel sa, verb. religiosus, num. 4. Emmanuel Rodrig. super Bullam, §. 8. dubio sexto. nu. 11. & in secundo tomo summæ, cap. 30. nu. 4.* Et probatur aliquibus rationibus. Prima ratio est, dispensatio quamuis sit actus iurisdictionis, non tamen est talis, qui vim coactiuam exerceat, ita vt sit necessarium eum circa aliquẽ alium exerceri, sed est actus iurisdictionis voluntariæ, sed in iurisdictione voluntaria potest quis plurium vices sustinere ergo, minorem probat Panormitanus *in cap. ex literis. num. 11.* & constat ex *leg. si consul, ff. de Adoption.* vbi si filius familias preses sit, potest semetipsum emancipare, vel in adoptionem traddere. Secundo probatur minor *ex l.*

vnica

vnica ff. de offic. consulis, vbiconsul apud semetipsum potest manumittere seruum suum: atque ita repręsentat personam domini ac personam consulis, quare concludit dictus Panormitanus *in dicto capit. ex literis. num.* 12. posse quempiam vices duorum sustinere nisi specialiter sibi interdicatur. Secundo probatur Conclusio, quia in rebus physicis & naturalibus, idē met secundū diuersas rationes potest esse agēs & patēs respectu sui ipsius. Potētia enimvisiua quatenus exercet actum visionis, agit, & quatenus est subiectū illius met actus, patitur. Idem inuenitur in moralibus, quia sacerdos ministrās sibi est conferēs: quatenus vero recipit, dicitur recipiens. Atqueetiam in iure canonico inuenimus eandē personam secūdumdiuersas rationes diuersa munera obire, & esse subditū & superiorē respectu sui ipsius, vt patet *excap. quod sicut, de electione, §. super eo*, vbi repręhendit Archiepiscopus qui nondum recepto palio ordines contulit : quod non tanquam simplex Episcopus, cum talis non esset, sed tanquam Archiepiscopus cui interdictum est pontificali exercitio ante pallium receptum, id fecerit, atque ideo immunis culpę foret si antea Episcopus esset. Vbi Glossa *Verb. tanquam*, inde infert quędam facere quempiam tanquam alium. & allegat *capit. si Ecclesia 22. q. 4.* quod est desumptum ex Diuo Augustino Epistola quinquagesima ad Bonifacium, vbi dicitur. Regem inseruire Ecclesię quatenus homo est, viuendo scilicet fideliter, quatenus

autem

autem rex est, iustas leges indicendo. Et *cap. à collatione, de appellat. lib. 6.* cum appellatio distinctionem personarum inter iudicem à quo, & iudicem ad quem requirat, & quod fiat à iudice inferiori ad superiorem, decernitur, à collatione facta per Episcopum cum capitulo, posse appellari ad ipsum Episcopum si ibi vt canonicus interfuerit; secus si vt Episcopus. Et Baldus *l. eos nu. 2. cap. de appellationibus*, inquit appellatione facta ab Episcopo ad Archiepiscopum, si Episcopus mox creetur Archiepiscopus illius diœcesis ad quem appellatum est, posse eum cognoscere de illa appellatione instar noui hominis. Ergo sicut Episcopus quatenus Canonicus subditur sibimet, quatenus Episcopo, & quatenus Episcopus subditur sibimet quatenus Archiepiscopo postea facto: similiter dicendum venit, quod prælatus vt inferior, & dispesatus, subditur sibi met vt superiori dispẽsanti. Tertio probatur, nam si bene res perpendatur, nihil refert an prȩlatus vniuersalitèr dispensans cum cõmunitate, posit ea dispensatione frui, an seorsum cum singulis dispẽsans, secum quoque ipsemet dispenset; in vtroque enim casu idem erga se ipsum iurisdictionem exercet, & vice superioris, & subditi fungitur; superioris quidem quatenus dispensat, subditi vero quatenus secum dispensat. Cuius signum est, nullum ex ea communitate, qui subditus non sit posit ea dispensatione frui. Vnde multi ex doctoribus supra adductis, vt defendant posse præ-

latos consequi indulgentias ab ipsis concessas, coguntur dicere actum huiusmodi iurisdictionis non requirere veram personarum distinctioné, ergo etiã iurisdictio dispensandi non petit necessariò realem personarum distinctionem.

Sed obijcies, fortè illa generalis dispensatio non prodest dispensanti ex vi voluntatis, & potestatis eius, sed ex potestatate & voluntate superioris quoties illum habet. Sicut quando Princeps legem condit, ligatur illa quo ad vim directiuam non ex sua voluntate sed ex iure naturali ac diuino. Ad hanc obiectionem Respondetur, quod illa voluntas superioris dispensandi cum prçlato dispensanti non constat ex aliquo iure diuino aut Pontificio, sicut in simili quod adducitur reperitur ius naturale dictãs Rationi esse consonum Principem qui caput est, conformari debere cum mẽbris in moribus qui ex eius voluntate ac potestate pendent. At verò in nostro casu non est principium naturale hoc dictans in dispensatione. Colligitur ergo apertè id proficisci ex voluntate, & iurisdictione prçlati ad dispensandum secum: ac proinde non repugnare exercitium huius iurisdictionis insemetipsum. Quarto probatur conclusio, nihil est quod ita requirat personarum distinctionem sicut actus iustitię cum de eius ratione sit esse ad alterum, sed datur iustitia eiusdem personę ad semetipsam diuersis rationibus consideratam, ergo potest dari dispensatio eiusdem personæ super se ipsam

se ipsam diuersis rationibus consideratam. Minor constat in Chirsto Domino, qui vt Deus homo satisfecit de rigore iustitię, & quatenus vna erat ex personis diuinis sibi satisfecit. Et confirmatur, quia debitor in certorum, derigore iustitię soluit, si sibi quatenus pauper est, debitum assumat, atque adeo vt debitor satisfecit de iustitia, & vt pauper, est cui fit satisfactio. Hanc conclusionem sic probatam sustinent multi Doctores quos allegat Sanchez *tomo. 3. de matrimonio disputatione tertia, num. sexto.*

Ad argumenta respondetur. Ad primum, quod in ijs casibus & similibus, specialiter loquendum est Gratia fraudum vitandarum, & etiam quando ius ecclesiasticum petit distinctionem personarum inter dantem & accipientem, non generaliter id decidit, sed in casu speciali collationis benefficiorum, ad vitandum pernitiosum prelati exemplum. Attamen inmultis iurisdictionis volūtarię actibus potest quispiam vt dictum est, in rem suam authoritatem prestare, vt in emancipationem, & serui manumissionē.

Ad confirmationem patet ex dictis supra, iurisdictionem scilicet hanc volūtariam posse ab aliquo insemetipsum exerceri, & satis esse, si eadem persona respectu sui ipsius sit superior, & inferior secundum diuersas rationes.

Ad secundum respondetur, distinguēdo illud axioma, nempe, *eiusdem est ligare & soluere.* Est enim verum in hoc sensu. Vt nemo posit vniuersaliter le-

gem soluere, nisi qui illa ligare potest. At vero intellectum illud axioma in quolibet casu speciali, non est vniuersalitèr verum; sed ipsemet qui facultate dispensandi cum communitate gaudet, quamuis se ipsum nequeat lege ligare, potest tamen secum dispensare, sicut videmus Episcopum qui lege ieiunij generali non ligat, posse in illa lege in casu speciali dispēsare licet nō possit illā vniuersaliter soluere.

Ad tertium argumentum, iam diximus illam decisionem non esse generalem, sed restringi ad beneficiorum collationes. At quartum respōdetur, quod quamuis prȩlati possint illam iurisdictionem per confessorem exercere erga seipsos, expedientius tamen est vt ea facultate gaudeant ordinaria vt secum possint sicut cum subditis dispensare ad tollendos scrupulos, & ne peioris sint conditionis quā subditi.

Ad confirmationem, iam dictum manet, eumdem vt hominem sibi vt superiori posse subijci, & id satis esse probauimus.

Dificultas adhuc est, an sicut hi prȩlati possunt vota subditorum irritare. possint quoque sua, vel saltem suis cōfessarijs committere vt illa irritent? Videtur pars affirmatiua inde suaderi. Quia prȩlati possūt dispensare secū in omnibus illis, in quibus possunt cū subditis, vt supra dictum est. Cū tamen dispensare sit actus iurisdictionis, quam nemo potest exercere in seipsum vt volunt multi. At omnino negandum est, posse hos prȩlatos propria vota irri-

tare,

tare, quę à ſubditis emiſſa, irritare poſſent, aut confeſſario ſuo committere, vt illa irritent. Ratio eſt clara, quia ratione dominij abſoluti, in voluntatem ſubditorum, aut circa materiam promiſſam, ineſt ijs votis conditio tacita, ſi prę lati hi conſenſerint, aut non contradixerint, & ideo irritationi prælatorum ſubdũtur. At ipſa prælatorum vota nullam habent tacitam conditionem à ſua voluntate pendentem, ſed à voluntate ſuperiorum, ſi forte ipſi alicui poteſtati dominatiuę ſubduntur. Ergo non poſſunt ſua vota irritare, aut alijs irritanda committere. Sicut Dominus poteſt irritare cõtractum de re ſua initum ab alio dependenter à ſua voluntate, ratione conditionis in illo imbibitæ, proprios tamen contractus reſcindere nequit. Nec alijs reſcindẽdos cõmittere. Nec eſt ſimile de poteſtate diſpẽſandi, quia ea non competit ratione alicuius cõditionis in votis aut in alijs inferiorum actibus incluſę. Et quamuis diſpenſatio ſit actus iuriſdictionis, cum ea non ſit contentioſa, ſed voluntaria, poteſt in ſe ipſum exerceri, vt iam diximus.

Dubium octauum.

ANPOTESTas, & iuriſdictio quam prælati ordinis habẽt per Apoſtolica indulta, ſit ordinaria vel delegata?

Inhoc

In hoc dubio sub distinctione loquendum est, aut enim hæc potestas datur prælatis super religiosos sibi subditos, aut super alias personas non sibi subditas, hoc supposito sit.

Prima conclusio, si potestas hęc cōcedatur prę latis primo modo, videlicet, super personas sibi subditas, est ordinaria. Hęc conclusio probatur. Iurisdictio emanās ex commissione perpetua facta à Papa, vel à principe, vel à communitate non recognoscē te superiorem, est ordinaria, sic tenet glossa, *in cap. finali, de officio ordinarij. & Baldus in leg. vnica ff. de officio consulis.* Vbi inquit, quod si commissio est perpetua facit ordinarium cui committitur, si vero temporalis est delegata. Sed dicta Potestas nostris pręlatis concessa ad dispensandum, & absoluendum est perpetua vt patet intuentibus, quod sūmi Pontifices quā pluries declarauerunt, & à summo Christi vicario indulta, ergo facit pręlatos quibus commissa est, ordinarios, maximè quia hęc potestas conceditur officio, & dignitati prælatorum. Vide capitulum *Si gratiose de rescriptis, in 6.* ex quibus sequitur, quod possunt priores prouinciales & conuentuales hāc facultatem committere suis fratribus, vt dispensent & absoluant alios sibi etiam subditos, pro hoc agit quod notat Panormitanus *in cap. finali, de officio ordinarij* Vbi inquit quod potestas absoluendi ab excommunicatione, est delegabilis per habentem ordinariā potestam.

Secun-

Secunda conclusio, quando potestas datur prę la tis secundomodo, videlicet, super personas nō sibi subditas, non est ordinaria, ac per consequens non potest delegari; nisi in ea concedatur. Hęc conclusio probatur, quia nō conceditur dicta potestas officio, non enim est super subditos. Et sic est quoddam arbitrium & non ad instar iurisdictionis ordinarię cō missum, vt notat Nauarrus *capit.* 27. *num.* 42. Exquo sequitur non esse integrum pręlatis talem potesta tem comittere quia sibi non competit iure ordinario. Vt notat Panormitanus, *in supra dicto capitulo finali de officio ordinarij.* Dixi in conclusione, nisi in ea concedatur, quod patet in potestate concessa à Clemente septimo prouincialibus audiendi confessiones om nium secularium, & eos absoluendi à casibus Papæ reseruatis & quod hanc potestatem possint commit tere. Ponit summus Pontifex hanc clausulam. Quia dicta potestas non datur respectu suorum subditorum, si enim respectu illorum daretur, non esset necessaria, quippe ordinaria. & notandum est, quod quando in priuilegijs dicitur, quod fratres possint plenariè absolui à peccatis, quamuis nulla mentio fiat de absolutione à cēsuris, nihilominus debet in telligi, nam virtualiter illud concedit Pontifex. ducor, quia nullus potest à peccatis absolui, nisi prius ab excommunicatione absoluatur. Quod probatur *ex capit. preterea, & capit. suspitionis, de offic. delegati.* Vbi dicitur, quod cum committitur aliquid expediendum,

reliqua

reliqua omnia ſine quibus illud expediri nequit videntur conceſſa.

Poteſtas quæ datur per ſummum Pontificem Piū Quintum vt fratres indiarum poſsint adminiſtrare ſacramenta indis in populis ſibi aſsignatis, habita tamē licentia à ſuis prelatis in capitulo Prouinciali, partim eſt ordinaria, & partim delegata. Ordinaria quia à Papa conceditur, & dignitati & officio, id eſt prelatis, & reſpectu ſuorum ſubditorum, ſcilicet, fratrum. eſt delegata, quia non poteſt committi niſi in capitulo Prouinciali, vel congregatione quæ habet locum & vim capituli prouincialis, itaquè limitatur poteſtas hec, quod fiat in capitulo Prouinciali eius commiſsio, & ſic niſi ibi committatur, vel obtineatur, nihil valebit, quia cum nō ſeruetur forma reſcripti, ruit quidquid ſic edificetur, vt notat Syluester *abſolutio3. notab.* 2.

Dubium Nonum.

AN Prædicta authoritas quam Prior Pruincialis & cōuentualis habent per Apoſtolica priuilegia, & quam commiſſerunt alicui, vel aliquibus religioſis, duret poſt mortem dictorum prelatorum vel poſt eorum amotionem?

Pars negatiua ſuadetur, quia præfati prælati amplius nihil poſſunt, finito enim eorū officio nō habēt

Papalem

Palem authoritatem, ergo neque religiosi quibus eam commiserunt.

Conclusio. Gratia concessa authoritatæ Papæ durat mortuo eam concedente, vel à suo officio amoto. Ita Syluester *verbo, gratia §. 2. partic.* 7. & Panormitanus *in cap. cum ad hoc de clericis non residentibus. num.* 9. inquit. quod indulgentia semel concessa non expirat post mortē concedētis. Aliqui extant textus, qui superficie tenus contra hanc conclusionem loquuntur, sed omnium illorum facilis est solutio. Quod videlicet intelligi debent, quando gratia vel facultas versatur circa pænalia, quia tunc tales gratiæ debent restringi. At verò, quando gratia, vel licentia est fauorabilis debet ampliari per regulam, *Odia sunt restringenda, fauores ampliandi, & beneficium Principis debet latissimè interpretari.* Vide Glossam *in regula decet.* Cum ergo potestas commissa à Priore, vel à Prouinciali suis fratribus ad dispensandum, absoluendumquè, facta sit authoritate Papæ, & in fauorem animarum, sequitur, quod mortuo priore, seu Prouinciali, vel vicario generali vel à suis officijs amotis & absolutis, non expirat potestas quam suis fratribus comiserunt.

Sed contra, iurisdictio vicarij Episcopi cum sit ordinaria expirat morte Episcopi, ex eo quod ab eo est participata Ergo à fortiori iurisditio cōfessorum cum sint quasi vicarij Episcopi cessat morte concedentis. Respondetur, Episcopum & eius vicarium cōstituere vnum & idem tribunal, & ita cum morte

Episcopi cessat potestas vicarij, non sic in casu nostro, vt diximus.

Philipus Francus super capit. *si gratiosè, de rescriptis, in 6.* tenet, quod si gratia, & cōcessio fiat simpliciter & non ad beneplacitum concedentis, non expirat mortuo concedente, quia gratia est perpetua. *Capit. si super gratia. & capit. finali, de officio delegati.* Immo addit, quod gratiæ cōcessæ hac forma. *donec duxerim aliter prouidendum. Vel donec intrem in Italiam.* Si moritur concedēs antequam Italiā intret, non expirant tales gratiæ. & idem intelligas si dicat, *quousque aliter prouideatur,* talis gratia perpetua est, vide pro hac materia Nauarrum *capit. finali de simonia. num. 13.*

Gratia absolute facta & concessa, si est gratia facta non expirat morte concedentis vt dictum est, etiam re integra: si vero sit gratia faciēda, perit morte concedentis re integra; secus re incepta. Hoc patet *ex capit. si cui nulla, de prebendis in 6.* ex quo sequitur licentiam datam sacerdoti audiendi confessionem pœnitentis determinati, & in illius fauorem expirare morte concedentis re integra. Hoc est. Quo ad confessionem nondum ante mortem inceptam. Quia cū ista gratia sit in istius pœnitentis fauorem concessa, & nondum perfecta, sed per cōfessorem exequenda, non habet rationem gratiæ factę, sed faciendæ, quæ morte concedentis re integra expirat. Vide Sāchez *tom. 3. de matrimonio lib. 8. disputat. 28. num. 49.*

DVBI-

Dubium decimum.

AN AB Solutio seu dispẽsatio à prælato per priuilegium impensa sit valida, prælato tale priuilegium ignoranti? Verbi gratia. Magister generalis, Prouincialis, & Priores nostri ordinis habent, quam plurima priuilegia ad dispẽsandum & absoluendum à tali excommunicatione, vel suspensione: Prælatus aliquis absoluit vel dispensat ignorando tale priuilegiũ sine quo absoluere nec dispẽsare poterat. Dubitatᷣ an valeat talis absolutio seu dispẽsatio?

Conclusio, quando ex coniecturis constat, quod quis voluit quod actus quẽ facit valeat omni modo quo potest: tũc verè absoluit & dispensat. Quia vt inquit Panormitanus *cap. super, de officio delegati, nu. 12. & capit. licet. de officio ordinarij nu. 6.* Si non valet quod ago, vt ago, valeat vt valere potest. *Cap. vnico, de sponsal. in 6* Si autem ex coniecturis non constat, quod quis voluit quod actus quem facit valeret omnimodo quo potest, sed potius sumus in dubio de hoc, tunc pręsumendum est quod voluit actum valere omnimodo quo potest. Ratio est, quia facienda est interpretatio eomodo vt res potius valeat. Vt dicitur *in capit. Abbate, de verborum significatione.* Itaque in vtroque casu valet absolutio prelati, & comissio quam subdito suo commisit. videlicet. Ego te in confessorem secularium instituo, & concedo tibi omne quod

de iure communi,vel per priuilegia poſſum, valet commiſsio, etiam ſi prælatus ignoret quid committit. Ratio vtriuſque eſt, quia ille prelatus poterat & abſoluere, & committere,& ex coniecturis conſſtat quod volebat quia intentio, & mens ſua erat quod actus abſolutionis fieret, eomodo quo prodeſſe poſsit animabus proximorum. Ergo valuit. Secundo,quia validitas actus nō dependet à notitia poteſtatis, ſed ab ipſa poteſtate,ſciencia enim vel ignorātia ſolum habet accuſare,vel excuſare à peccato, non tamen validare, vel in validare actum.

Tertio, quia ſacerdos in articulo mortis poteſt abſoluere ab excōmunicatione, ſupponamus quod abſoluit ignorando tale priuilegium : non ne verè abſoluit in firmum? abſoluit quidem.Ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Ex his collige,quod quando prælati in viſitationibus & capitulis ſuos ſubditos abſoluunt à cēſuris, vel cùm eis diſpēſant ſuper irregularitate, quamuis præfati prælati ignorent priuilegium quo talia beneficia ſuis ſubditis impartiuntur ſubditi manent abſoluti, & legitimè habilitati ſi forte aliqua cenſura prꝫmebantur. Et ſimiliter ſubditi manent abſoluti ab excommunicatione, & diſpenſati ab irregularitate quamuis ipſi quando abſoluebantur irretitos ſe ignorabant talibus pꝫnis & cenſuris, & licet poſtea deprǽhendāt ſe excommunicatos vel irregulares fuiſſe ante abſolutionem ſuprađictam, non

tenentur amplius quærere absoluti onem vel dispẽ
sationem: sed tantummodo confiteri peccatũ suum
Nauarrus, *capit.26,num.13.Syluester verb.confeßio,1.* §. 4.
supradicta omnia possunt confirmari ex doctrina:
qua doctores respondent ad illud dubium an scili-
cet, qui ex ignorantia adimplet pręceptum, satis-
faciat? affirmantes quod adimplet, & probãt, quia
interpretatiuè vult ille facere id ad quod tenetur.
Et hæc opinio procedit maximè in religiosis, qui-
bus licet ignorantibus multa priuilegia concedun-
tur, conceduntur tamen ad petitionem procuratorũ
generalium, qui nomine totius ordinis ad hęc, & ad
alia suarum religionum negotia in Romana
curia assistunt.

LITERA PRO-
logi. num 3.

VT Igitur vnitati, & paci totius ordinis proui-
deamus, volumus & declaramus, quod regula
nostra & constitutiones nostrę non obligent nos ad
culpam nisi propter pręceptum, vel contemptum.

Nota, propter pręceptum à regula vel à prælato
impositum: quia contra votum obedientiæ, & sic
peccatum mortale. Vel propter contemptum, quia
contemptus contrariatur professioni qua quis se

obligauit ad vitam regularem:&est peccatum mortale. Quia religiosi tenentur tendere in perfectionē sub vinculo peccati mortalis, contemptus autem contrariatur huic tentioni. Item, tendit formaliter &directè contra legis,ac legis latoris superioritatē. Sic explicant Diuus Thomas 22.*quæst.*186.*artic.*9.*ad* 3. *&ibi Caietanus,&in summa verb.contemptus.Valentia,*12.*disput.* 7.*quæst.*4.*punct.*6.*Leonardus lib.*2.*de iustitia.cap.*7.*dub.*1. *nu.* 2.*&capit.*41.*dub.*9.*nu.*76 *Vasquez* 12.*quest.*96.*art.*4. *disputat.* 178. *capit.*4.*num.*37.Sed de hoc latius infra.

Constitutio hęc nostra plures doctores tam theologos quam iuristas torquet, & ab illis celum vsq; commendatur dicentes, trāgressionem legis humanæ esse peccatum mortale, vel veniale pro qualitate materiæ. Ita Magister Soto *lib.* 5. *de iustitia & iure. quæst.* 6. *artic.* 4. *& alij.*

Contra hos authores facile ostenditur, nimirum esse legem aliquam quę solum obligat transgressores ad pœnam statutam, non ad culpam, & quidē tales posse ferri leges non video quare Magister Soto,& alij suę sententię negare possint.Nam si ex voluntate legis latoris pēdet pręcipere,aut simpliciter ordinare, poterit quidem ita legem ferre vt nihil præcipiat,sed ordinet tantum,& constituat quid agendum sit,Tunc procul dubio,ex sententia Magistri Soto & omnium non obligabit ad culpam, obligatio namque ad culpam, ex præcepto solum nascitur, &quoties adest rationabilis causa, recte potest

test pœna absq; præcepto constitui,id quod ipsemet Magister Soto fatetur, vt patet in regula nostra quę ex intentione Patriarchę nostri sanctissimi Dominici, & nostrorum Patrum taliter statuentium non obligat conscientias ad culpam vt manifestum est,& affirmat noster angelicus Doctor 22.*quæst.*186.*artic.*9 & tamen aliquando per legem & regulam imponitur transgręssoribus pœna, aliquãdo arbitrio prę lati quod idem est, nam quod arbitrio prelati postea infligitur non minus poterat à regula ipsa constitui.Nequevero huiusmodi pęna propter culpam presumptam infligitur,sed propter ipsam simplicē transgresionem regulę, quia ita expedit bono cōmunitatis,nam quamtumuis constet de veritate;& nullam aliam esse culpam innotescat,nihilominus iuste transgressor punietur,

In iure etiam regum grauis pœna statuitur cōtra effractores carcerum,qui tamen ea lege non obligã tur in conscientia nisi ad pęnam. Vt late probat Vasquez, *in materia de legibus, disputat,*174.*capit* 2,in ciuitatibus etiam & oppidis, plures ordinationes sunt circa siluarum & pascuorum custodiam, quæ solum ad pęnam obligant.Habemus igitur ex his omnibus pęnam non esse indicium culpę sufficiens, saltem cum legis lator pœnã apponens explicauit se nolle pręcipere sub obligatione culpæ. Ergo si ex verbis legis colligi nō potest ratio & vis præcepti sed simplicis regulę & constitutionis circa subditos,dicen-

dum

dum reſtat, regulam ſeu legem illam nõ obligare ad culpam, ſed ſolum ad pœnam. Eo vel maximè quia in particularibus legibus particulariter loqui oportet. Tota autem ratio huius noſtrę legis particularis obligantis non ad culpam ſed ad pęnam eſt, quia tali modo placuit obligari. Ita Caietanus, 22. *quæſt.* 186. *artic.* 9. Vide Miranda in Manuali pręlatorum *tom* 2. *quæſt.* 25. *artic.* 18.

Notandũ eſt primo pro maiori intellectu textus, quod huiuſmodi transgreſsiones noſtrarum conſtitutionum non ſunt culpæ ex genere ſuo. Itaque ſenſus legis obligantis ad pęnam & non ad culpam eſt, quia ſtatuit actum illum eſſe extra genus culpę nõ qualitercumque ſed ex genere ſuo. Hoc eſt, non ex parte operantis, ſed ſecundum ſuam naturam. At poteſt ingredi genus culpæ ex parte operantis actum qui ſecundum ſe extra genus culpæ à lege poſitus eſt. Vt quando omiſsioni actus adiungitur negligẽtia vt cauſa illius omiſsionis, nõ euaditur culpa. vel ex libidine & cupiditate vt ſunt cauſa actus. Vt infra magis elucidabitur.

Secundo notandum eſt, propoſitum frangendi regulam & conſtitutiones quotquot ſe obtulerint, ſola què præcepta ſeruandi eſſe mortale, quamuis cõtemptus deſit, non quidem id cõtingit ratione obiecti præciſe ſumpti: omnes enim illæ tranſgreſsiones in vnum collectę, non habent in ſe & formaliter aliquam culpam; Sed quia illius propoſiti obiectũ in

ſe con-

se continet apertissimum peccandi mortaliter periculum. Et culpa hæc aduersatur charitati & tentioni ad perfectionem ad quam religiosus tenetur. Vt in simili casu ait Thomas Sanchez *lib 1. in pręcepta de calogi, capit. 5 nu. 4.* Similiter est peccatum mortale transgressio regulę, quando in illa trasgressione veluti cõstituitur vltimus finis. Quod de peccato veniali dici solet, quod in hoc casu trãsit in mortale, Vt ait, D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. artic. 5.* Ad hoc autẽ non satis est, frangentem regulam ferri nimis intẽse in obiectũ: sed tunc id euenit quãdo eo affectu illã trãsgreditur, vt non dubitet ad id committendum, transgredi pręceptũ sub mortali obligãs. Sic D. Thomas. 22 *quæst. 132. artic. 3. in corpore, & in 2. sent. distinct. 24. quęst. 3 artic. 6. toledo lib. 3. summ, cap. 2. num. 3. Vasquez 12. quæst. 88. artic. 3. notab. 1. & art. 4. disputat. 145. capit. 2.* Hoc tamen sanomodo intelligendum est: non enim frangenti regulam & constitutiones imputatur id peccatũ fractionis præcepti quod committeret, vel ad committendum est habitu paratus, nisi quatenus modo virtute illud admittit per pręsentem amoris appręciationem? Sed circa veritatem literę prologi sunt aliqua dubia.

Dubium Primum.

AN Verum sit quod constitutiones nostrę & regula

gula ad pœnam tantummodo nos obligent?

Pars negatiua ſuadetur primo. Videtur enim abſolute implicare quod ſit obligatio inproprijs actibus ad pœnam,& nullo modo adculpā,cum pęna ſoli culpæ debeatur, & pęna ſupponat culpam,ſtando in ipſa rerum natura.

Secundo arguitur,litera prologi inquit. Regula noſtra & conſtitutiones noſtrę non obligant nos ad culpam, niſi propter præceptum, vel contemptum. Ergo ſaltē tranſgreſsio eorum quæ continentur in regula Beati Auguſtini/eſt peccatum mortale. Probatur conſequentia, quia omnia in illa regula contenta cadunt ſub pręcepto. In principio enim illius dicitur. Hæc igitur ſunt quæ vt obſeruetis prœcipimus. Ergo.

Tertio arguitur, quia in noſtris conſtitutionibus *diſtinct.1.in varijs capitulis*,contrarium exprimitur,dum pluriès dicitur,leuis culpa eſt, grauis culpa eſt. Et tamen ibi eſt ſermo de huiuſmodi obſeruātijs, ergo regula noſtra obligat nos ad culpam.

Pro huius dubij ſolutione,nota ex Magiſtro Soto *lib.1.de iuſtitia quæſt.6.artic.5.* Quod pœnæ adquas tenetur tranſgreſſor noſtrarum conſtitutionum,nō ſunt pœnæ propriè & legitimè: ſed ſunt quaſi conuentiones & pacta inter nos,quia religioſi taliter volunt ſe voto aſtringere,vt ſi hæc, aut illa fecerint talia patiantur. Sicut quando quis ſe aſtringit vt quoties iuramento fuerit abuſus, tantum perdat. Videatur

D.Tho-

D.Thomas.1.2.*quæst.96.art.4.&2.2.quæst.186.artic.9, castro lib.1.de lege pęnali, cap.8.*Emmanuel, Rodrig.*tom.1.qq.reg.quæst.11.artic.8.*

Per hæc respondetur ad primum argumentum, videlicet, quod pęna non sumitur in litera propęna propriè dicta quę respicitculpam, & illam supponit: sed propęnalitate. Aflictiones namque & pęnitentię. A pręlatis vel à constitutionibus iniunctę quæ non pro culpa infliguntur licet non sint propriè pœnę; sunt tamen pęnalitates quædam, communi nomine, pęnę vocantur, quia consistunt in pati, & priuatione boni aliqualiter debiti. Et sunt contra naturalem voluntatem Hęc doctrina ietani, 2. 2. *quest.* 186. *artic.* 9. Secundo respondetur ex doctrina supra allata, nempe, esse legem, que solum obligat transgressores ad pęnam statutam, ad culpam. Vide ibi. Vide etiam Vasquez *vbi supra*, & Couarruuiam *par. 2. relectionis*, §. *quinto. num.* 1. & 2. Et in memoriam reuoca axioma illud commune, scilicet. *& si sine causa non poßit infligi pęna, potest tamen sine culpa.*

Ad secundum respondetur, quod sicut in sacra Scriptura quædam sunt quæ habent modum & intentionem pręcepti vt illud Ioan. 15. *Hoc est pręceptum meum vt diligatis inuicem.* Quædam quę rationem præcepti habent in intentione, sed non inmodo; vt illud Exodi cap.20.*non furtum facies.* Ita sunt quędam quæ habent modum pręcepti sed non intentionem. vt

illud Mathęi capit. 6. *pręcepit eis ne cui dicerent*, Quia per hoc non obligabat Redemptor noster ad mortale, si prędicassent eius diuina opera & miracula. Ita dicendum censeo de regula Beati Augustini, quod scilicet illud verbum *præcipimus*, quamuis habeat modum pręcepti, nō tamen habet pręcepti intentionē seruanda enim est forma ponendi præceptum, vt infra dicemus.

Ad tertium respōdetur quod vt dicit infra *distinct.* 1. *cap.* 16. ante hāc constitutionem, transgreſsio regulę obligabat ad peccatū veniale siue esset ex negligentia vel in aduertētia, vel obliuione, vel ex fragilitate, vel ex alia causa: Et cum in regula & cōstitutionibus nostris tot, & tam minima sint ordinata & mādata vt à viris perfectiſsimis vix obseruari valeant; cōtinuo sui professores scrupulis agitabātur, & ob hoc sedandum in secundo capitulo generaliſsimo anno 1237. statutum est, quod regula & constitutiones nostræ non obligarent nos ad culpam sed ad pœnam, ideo per accidens permanserunt illa nomina grauis, & leuis culpæ.

Sed pro huius dubij complemento notandū est, ex Diuo Thoma, 22. *quæst.* 186 *artic.* 9. Quod dato nos fratres prædicatores non peccare agentes contra nostras constitutiones; possumus nihilominus peccare venialiter vel mortaliter infractione earum ex negligentia, libidine vel contemptu. Sicut enim non peccat quis non recitando officium Beatę Virginis

si alias

ſi alias non tenetur, vel non audiendo Miſſam die laboris,ſi tamẽ officium Beatę Virginis recitat,vel Miſſam audit,debet illud debitè facere.Ita ſimiliter. licet frater non teneatur modo ad carnibus nõ veſcendum, ſi tamen veſcitur debet cum cauſa illis veſci,aliàs indebite facit & tollit actui debitam circũſtantiam.Et ſimiliter eſtò dictus frater nõ peccet nõ eundo ad chorum,ſi tamen vadit non debet tepide & ſegniter ire , eodem etiam modo , ſi non eundo chorum non peccat, non tamen debet omittere ire ex negligentia, ex quo enim facit aliquid committendo vel omittendo,tenetur facere ſine vlla mala circunſtãtia alias peccat. Vide Caietanũ vbi ſupra.

Ex quo ſequitur quod quando religioſus frangit ſilentium non ex contemptu,vel negligentia : ſed quia talis fractio non eſt peccatũ nec veniale quia ſic dicunt conſtitutiones,nõ peccat,hoc dictum patet, quia neque ex genere actus, nec ex parte operãtis.Nam nõ ex negligentia, neq; ex otioſitate illud fecit. Sicut qui non tenetur alias officiũ Beatę Marię recitare,dicit,nolo illud recitare, nõ peccat,poterit nihilominus eſſe iſta fractio ſilentij peccatum veniale,puta ſi non habet bonum finẽ,vel ſi habet malam circunſtantiam in tempore,& loco,& ſi coram prælato cuius animus exaſperatur. Vnde credo vix poſſe frangi ſilentium vel conſtitutionem noſtram abſque peccato ſaltem veniali.

Dubium Secundum.

AN Patres noſtri ordinis prędicatorũ ferre potuerunt ſtatutũ vel conſtitutionem in illo ſecundo capitulogeneraliſsimo,ne videlicet, obligaret nos ad culpam?

Pars negatiua ſuadetur,quia illa regulaerat antea àſummo Pontifice confirmata,ergo nullus inferior potuit eam mutare. Conſequentia patet, quia tunc Papa per ſuam confirmationem facit illam regulam ſicut & aliud quodcunque ſtatutum,ſuam diſpoſitionem,& ordinationem.Noſtra enim facimns quibus noſtram authoritatem impartimur. *Capit.ſi Apoſtolicę. depræbendis. lib.6. ergo.* Syllueſter *verb.religio tertio* § 1. cõcedit hoc potuiſſe prędictos patres de his quæ ſũt de eorum coſtitutionibus;non tamen de his quę cõtinentur in regula beati Auguſtini, ſuper quam(inquit) non habent authoritatem quia eſt à Summo Pontifice approbata. Et Ioannes Andreas à Sylueſtro relatus inquit, quod regulę approbatę per ſedẽ Apoſtolicam,ab inferioribus minimè mutari queũt. *Capit. cum acceſsiſſent, de conſtitutionibus.* Et ita concludit Syllueſter quod omnis tranſgreſsio eorum quæ ſunt in dicta regula citra pręcepta eſt dictis fratribus peccatum veniale. Emmanuel Rodrig.T*omo* 1. *ſuarum regularium queſtionum , quæſt.*68. *artc.* 5. Ait, quod in legibus& ſtatutis ſactis ab vniuerſitate, confirmatis tamen authoritate Apoſtolica,poteſt ipſa vuiuerſitas

ab

ab huiuſmodi ſtatutis propria authoritate recedere. Vt ſtatutum factũ per Papam de certo numero canonicorum, de quo *in capit. cum acceſsiſſent, de conſtitutionibus*, à quo potuerũt canonici recedere. Et ad illud vulgare, ſcilicet, noſtra facimus quibus noſtram authoritatem impartimur. Reſpondet. Illam regulam locũ habere quo ad firmitatem. Vt ſcilicet actus à Principe confirmatus perinde firmius cenſeatur, ac ſi per ipſum Principem eſſet geſtus. Non autem inde ſequitur (inquit) quod amittat ſuam naturam primordialem; & quod confirmatio tanquam quid acceſſorium naturam eius ſequitur.

Ad dubium reſpondetur, quod abſque dubio (Vt dictum eſt) regula & conſtitutiones noſtræ non obligant nos ad culpam ſed ad pœnam vt cautum eſt in ſecundo capitulo generaliſsimo citato, quantumcumque oppoſitum videlicet, quod obligarent nos ad culpam fuiſſet à principio ordinis confirmatum à ſummo Pontifice. Probatur, quia hæc noſtra conſtitutio non obligans niſi ad ſolam pœnam, fuit approbata per ſedem Apoſtolicam, non obſtantibus quibuscunque in contrarium facientibus, vt habet̃ in mari magno. & Gloſſa noſtrarum conſtitutionum *deſtint. 1. capit.* 15. ait, quod noſtrę conſtitutiones fuerunt approbatæ poſtea per Alexandrum quartum, Clementem quartum, Nicholaum quartum, Bonifacium, 8. Benedictum, 11. Ioannem, 22. Gregorium 9. Martinum 5. Eugenium 4. Sixtum, 4.

Pro-

Pro principali parte huius dubij eſt Notandum ex Panormitano *capit. cum acceſsiſſẽt, de cõſtitut. nu. 2.* quod quando ſtatutum confirmatum à ſummo Pontifice concernit bonum publicum principaliter, ita quod nonmerè ipſos ſtatuentes concernat, tunc verum eſt quod probatur in argumento à principio facto, quia Papa, per talem confirmationem facit illud ſtatutum ſuam ordinationem, & ſolus ipſepoteſt illud mutare. Cui addo, quia eo ipſo quod Princeps legem edit ſpecialem circa communitatem inferiorum, facit ſe rectorem eiuſdem communitatis ad effectum conſeruandi bonum per illam legem prętenſum, & ſolus ipſe poteſt remittere & non inferiores. Huic doctrinæ fauet præfatus Pater Emmanuel *tom. 1. queſt. 10. artic. 4.* & allegat Bartolum *l. omnes. populi, ff. de iuſtitia & iure.*

Quando verò ſtatutum confirmatum à Papa concernit principaliter fauorem ipſorum ſtatuentium, tunc abſque dubio eſt integrum ipſis ſtatuẽtibus ab illo ſtatuto recedere, & illi renunciare non obtenta licẽtia à ſuperiore. Quod tenet Bartolus, & alij magni IurisConſulti. Confirmatio enim tunc habet vim cuiuſdam priuilegij cui poſſunt ſtatuentes renunciare. *capit. cum illorum, de præbendis.* & hoc voluit dicere prędictus Pater Emmanuel, in loco ſupra citato; & patet in exemplo per eum adducto. Nam ſtatutũ de certo numero canonicorum licet confirmatum à Papa, quia tamen bonum & commodum proprium

ipſo

ipsorum canonicorum cõcedebat potuerunt abipso recedere. Iusta supra dicta.

Et quia cõfirmatio regulæ Beati Augustini principaliter facta est in fauorem eorum quisibi eam elegerunt, ideo eius confirmatio non ligat manus eorum vt in aliquibus mutare non posint. Neque talis fuit intetio Beati Patris nostri Dominici, & aliorum Sãctorum Patrum quando dictæ regulæ & constitutionum ab honorio Papa confirmationem petierunt. Et quidquid de hoc sit, approbatio quæ postea facta est dictę regulę & constitutionis per tot Romanos Pontifices vim & robur cõtulit, vt non obstãti dicta cõfirmatione regulę, constitutiones nostræ & regula nostra non obligarent nos ad culpam, sed ad solam pœnam; quia sic statuit summus Põtifex quãdo illam confirmauit. Vide Miranda in suo Manuali prelatorum, tom.2. quest. 29. artc.8.

Dubium Tertium

EXDICTIS Constat Regulam nostram & constitutiones nostras non obligare nos ad culpam sed ad pœnam in eis contentam. Dubitatur modo an non adimplere illam sit peccatum saltèm veniale? Magister Bandellus locis in proœmio citatis tenet esse peccatum. Absque ratione.

Conclusio etiam si dicta pęna à constitutionbius

 taxe-

taxetur & postea applicetur à prælato, non peccat religiosus non adimplendo illam: & oppositum cõtrariatur vniuersalitati huius nostrę legis & statuti. Hęc conclusio probatur. Quia cõstitutio nostra à sũmo Pontifice approbata vniuersaliter dicit. Volumus quod regula nostra & cõstitutiones nostræ non obligent nos ad culpam. Ergo sicut non peccat religiosus frangendo silentium, ita non peccat omittendo pœnam taxatam & impositam, probatur consequentia, quia cum ista lex sit vniuersalis, & non particularis, si trasgressio in operando non esset sicuti non est culpa, & omisio pœnitentię esset culpa. Iam particularis esset lex ista; & tantummodo respectu agendorum, & consequenter cum religiosi nõ alitèr teneãtur ad huiusmodi pænitentias nisi vigore statutorum suorum, sequeretur quod statuta nostra obligarent ad culpam absque cõtemptu & pręcepto. Sic Caietanus & Victoria 2.2. *q.* 186. *artc.* 9.

Contra conclusionem argumentatur Castro *lib.* 2 *de potestate, capit.* 8. si frater omittit subire pænam in statuto taxatam repræhenditur à pręlato, & alia insuper grauior pœna illi à prælato imponitur. Ergo supponitur in tali ommissione commississe aliquam culpam. patet consequentia, nam ęquum non est vt quis sine culpa sua vel aliena repręhendatur & pœnam insuper sustineat. Ad hoc argumentum respõdetur, quod cum religiosi sint in statu perfectionis in quo solemni voto se in omnibus obseruantijs regula

gularibus obedire prelatis obstrinxerunt; non mirū si ab ipsis prælatis corrigātur nulla culpa etiam veniali occurēte; vt ita mortificati corpore, spritu viuāt.

Dubium Quartum

AN Prelati habeant facultatem ferendi aliquas leges præter eas, quę in prima nostri ordinis institutione conditæ sunt: An solum eas quę ex illis prioribus deriuantur?

Conclusio. Non potest Prior prouincialis vel conuentualis præcipere aliud religioso quam in regula sua professus est. Hęc conclusio est Gersonis, *lectione 4. de vita spirituali, quæ est in Alphabeto 62. in litera R.* ratio conclusionis est, quia obligatio voti obedientię intelligenda est, vt liget solum subditos secundum regulam. Qui enim vouit regulam alicuius religionis solum vouit obedire prælatis secundum regulę præscriptum, siue id expręsserit in professione siue non expræsserit; semper enim ita intelligitur. Sicut docet Diuus Thomas 2.2. *quest.* 104. *art.* 5. *ad* 3. *&* *quest.* 186. *artic.* 9.

Hanc sententiam Gersonis tradidit expræsse Diuus Thomas *quodlibeto decimo artic.* 10. *&* Syluester *verb. religio.* 6. *quest.* 6. *Angelus verb. religiosus num.* 30. in quam sententiam allegat Syuester Panormitanum *in capit. literas, de restitutione spoliatorum. Et in capit. ex literis. de sponsalibus*

salibus, quam conclusionem sic intelligunt. Vt superior in aliqua religione non posit obligare ad aliquam obseruantiam quę aliquo modo non pertineat ad regulam. Pertinere autem ad regulam dicitur quod quanuis in ea non sit expræssum, saltem in vniuersum continetur in ea; vel ad eam obseruandam accommodatum est.

Hanc eamdem sententiam veram & indubitatam esse fatentur *Syluester*, & *Angelus*, & probant hac ratione. Quia votum obedientiæ ratione cuius religiosus se subiecit Abbati, vel superiori solum est de regula constituta & tradita, & iusta rationem voti, iurisdictio & potestas commissa est prelatis, & superioribus, vt præceptis suis & pœnis impositis cogere possint religiosum ad obseruantiam eius quod sua voluntate suscepit. Cum ergo religiosus non susceperit nouam aliam regulā, non potest prælatus alio modo præcipere, nec religiosus tenetur obedire.

Hoc idem docet & prosequitur Diuus Bernardus, libro de præcepto & dispensatione capit. 8. quare si regula exse & ex primęua sui institutione non obligauit ad culpam sed tantum ad pœnam sicut est regula nostra, non est integrū prælato obligare in vniuersum & ingenerali ad obseruentiam illius sub aliqua culpa. Nisi (vt infra dicemus dubio sequenti) religiosi nimisdeffecissent inaliqua peculiari obseruantia. Vide infra de uoto obedientiæ dubio tertio. Inparticulari tamen post aliquem religiosum obligare

gare, quare nisi viderit prelatus expedire reli-giofo nouam aliquam eum fubire pœnitentiam vel afflictionem corporis in correctionem pro Regulæ transgresione, aut in cautelam residiui vel periculi imminentis, non potest eam pręcipere sub pręcepto. Si autem viderit expedire potest quidem pręlatus sub pręcepto pręcipere. Itaque quãdo ad exẽplum aliorum & ad correctionem alicuius qui minus obedire consueuit, viderit expedire, potest eum ligare sub culpa. At vero propter vnius velduorum culpam totam prouinciam seu conuentum obligare non posset propter rationem superius dictam. Llamas *in suo metodo curationis, capit6. §. vltimo* inquit. Quod prelatus potest iubere aliquid supra regulam insupplicium, monacho peccanti ob castigationem, vel ob remedium animæ quando immineret euidẽs periculum, secus frangendi aliquod ex tribus votisesẽtialibus. Et sic eum qui grauiter peccauit potest affligere grauibus, & inusitatis ieiunijs & flagelis, etiã supra regulam, & tenentur ei obedire, seruata tamẽ in omnibus Christiana moderatione.

Sed quid si Pręlatus pręcipiat aliquid infra regulam, vt sunt ea quæ relaxationem inducunt, vt comedere carnes, camisia indui &c? De hoc aliqua diximus supra *verb. prælati.* sit tibi regula. quod si pręlatus præcipiat ea in quibus ipse dispensare potest, & adsit rationabilis causa, vel dubium sit an posit dispensare, & an rationabilis causa adsit; tenetur religiosus

giosus obedire, carnes comedere linteo indui, silentium frangere &c. hęc doctrina est omnium cum Panormitano *in supra dicto capit. literas, de restitutione spoliat. capit. ex literis, de sponsalibus, & Innocent. super capit. veniens, dę iure iurando.* Et iusta diuum Thomam. In mandatis Ecclesię si adsit iusta causa vt grauis infirmitas, vel imminens cognita, tenetur religiosus prælato obedire pręcipienti vt carnes comedat diebus vetitis ab Ecclesia, & vt non recitet officium diuinum. & quando dubium sit an adsit causa sufficiens, poterit tunc prælatus sua declaratione iustum opus facere.

De indifferentibus verò actibus dico, quod aut sũt adeò indifferentes vt neque directe neque indirecte attinere possunt ad religionis obseruantiam, immo sunt ridiculi vt leuatio festucę, spuere ad dexteram, vel ad sinistram. Ista quidem non cadunt sub obedientię voto. Vnde non peccabit religiosus in talibus non obediens. Alia sunt quę præcipiuntur, quę quidem, & si in differentia sint, tamen propter aliquos fines quos prælati cognouerunt, possunt conducere ad obseruantiam regularem, & talia cadunt sub obedientia. Vt intrare cellam alterius religiosi, Ostia celarum claudere pesulis interius, & alia similia. Quia experientia didicerunt patres nostri, quod intra cubiculum duo vel tres in secreto, & clauso Ostio, aliqua possunt tractare, quę in publico nõ facerent. Ita Panormitanus & Innocentius vbi supra quos reffert & sequitur Llamas *in Methodo curat. cap. 6.*

§. 22

§.22. & aduertẽdum eſt, quod illa eximia opera quę legũtur in libris vitę Patrum, ad perfectionem maximam pertinent, illa enim obedientia ſanctorum ad fundationem ſanctę obediẽtiæ profuit, & tam ipſa quàm alia opera quæ ſcripta ſunt, non omnino imitanda; ſed miranda ſunt vt dicit Diuus Bernardus.

Dubium Quintum.

SED Maius dubium eſt. An capitulum generale cui commiſſa eſt facultas condẽdi Canones & leges; ferre poſsit nouas leges; quæ non contineantur, ſaltem aliquo modo ſub antiqua regula noſtra? . In hoc dubio varietas eſt opinionũ quas refferam. Sed prius Nota quod differt pręceptum cuiuscũque pręlati, à lege, & ſtatuto. Primo, quod pręceptum poteſt non reſpicere omnes; Lex vero omnes debet reſpicere. Secundo differunt, quia præceptum imponi poteſt à quouis ſuperiori, & cum vita illius finitur, Lex autem non niſi ab habente curam cõmunitatis, ſeu totius reipublicæ; quare non quicunque poteſt etiam leges ferre. Hoc ſuppoſito.

Quidam aſſerunt, ſuperiorem cum maiori parte non poſſe leges ſtatuere obligantes ſingulos ad arctiorem modum viuendi, ſed requiri ſingulorum cõſenſum, ſic docet Angelus loco allegato in dubio pręcedenti, & pro hac ſententia reffert Syluester Gloſ-

fam

ſam *in canone geſta, diſtint.* 74. Nomine autē ſuprioris & maioris partis cōmunitatis intelligunt hi authores, capitulum, penes quod eſt facultas ferendi ſtatuta, & leges. Fundamentum huius opinionis eſt id, quod in dubio præcedenti diximus; ſcilicet; quod ſicut nemo virtute ſuæ profeſsionis in vna religione po teſt compelli vt tranſeat ad aliam religionem arc tioris regulę, eodem modo non poteſt in ſua religio ne ad arctiorem vitam obligari. Oppoſitam ſenten tiam ſequitur Innocentius quem reffert, & ſequitur Panormitanus *in capit. ſuper eo, de regularibus. Vincentius, & Hoſtienſis in eodem capit. & Præpoſitiuus in cap. ante trieniū, in verſic. tametſi per ſtatutum, diſt. 3. & Gloßa in regula, quod omnes tangit, de regulis iuris in 6.* fundamentum huius ſen tentię eſt id, quod ſtatutum eſt *in capitulo vnico de ſtatu regularium. Lib. 6.* Vbi monialibus quæ cum profeſ ſionem emiſsiſſent non ſeruabant Clauſuram, impo ſitum fuit præceptum de obſeruatione clauſurę. Hoc autem ſtatutum efficit regulam arctiorem ea, quam antea profeſſę ſunt.

Concluſio, bene poteſt capitulum generale, ſeu magiſter ordinis condere leges, & ſtatuta quę ad reformationem regulę antiquę neceſſaria ſunt, & videntur pro temporis & loci occaſione, hæc enim non videntur extra regulam ſed ad illam pertinere. Ita que ad ſeruandum præcipuum religionis ſtatu tum benè poſſunt inſtitui ea, quæ conuenientia iudi cātur, etiam ſi initio profeſsionis non ſint coſtituta.

Qua ratione merito statutum est à Bonifacio in illo capitulo vnico, *de regularibus, in 6.* vt Moniales quę antea clausuram non obseruabant, deinceps inuiolabiliter obseruarēt. Viderat enim nō leui cū iactura castitatis, & pudicitię quam vouerant, moniales exire domo, & absque regulari clausura viuere consueuisse. Probatur conclusio manifesta ratione, quoniā qui sponte sua vouit religionem aliquam, se ita subiecit regulę, & vitę religiosæ vt paratus esse debeat ex parte sua conseruationem illius procurare; quare si status religionis culpa singulorum, & aliquo peculiari modo viuendi iam ita in deterius abijsset, vt commodius esset, aut dessoluere religionem, aut eam ad pristinum statum, uel modum religiosum reducere, quilibet illius pati debere potius aliqu as leges ferri, quæ antea non erant, quam statum illum dissolui.

Cæterum cautè videndum est an talis, & talis lex aliquid conducat ad religionis status reformationē, quod arbitrio prudentis relinquitur. Nec enim ad reformandum peculiarem modum alicuius religionis videtur idoneus modus assumere seueriores regulas alterius, quas præcipuas habet, & quasi ex instituto, quo distinguitur ab alijs, hoc enim esset peculiaria statuta religionum confundere: veluti si faceres de Monacho mēdicantem, & è contrario. Sed inspiciendum est, quid sit illud, quod in quauis religione modum peculiarem procedendi ipsius rela-

 xauerit,

xauerit, & ea parte reformari debet. Neque enim credēdum est statuta religionis initio posita non fuisse satis idonea ad consequendum finem sibi constitutum ea igitur renouari & ad seueriorem obseruantiam reduci oportet. noui autem aliquid addere non oportet, nisi forsam iudicaretur expedire: quod magna cum consideratione fieri debet. Minuere etiam non expedit aut immutare, nisi exeo aliquid incommodi emersisse manifestè constet. Ita sentit Vasquez *in materia de legibus, disput.* 54. *cap.* 4. has easdem leges potest condere capitulū prouinciale, & ipse Prouincialis, tum quia ad eos etiam pertinet prouinciæ reformatio; tum etiam quia teste Sancto Thoma 12, *quest.* 90. *artic.* 3. condere legem spectat ad multitudinem vel ad eum qui totius multitudinis curā habet.

Sed est argumentum quo probatur posse prælatos seu capitula aliquam nouam regulam statuere, & ad illam suos subditos obligare, & probatur sic. Multa possunt præcipi, & vetari lege humana tam ciuili, quam ecclesiastica, quæ antea lege naturali, neque diuina præcepta aut vetita erant, ergo etiam multa possunt præcipi, & vetari à nostris prælatis, & capitulis, quæ antea in prima ordinis institutione nec præcepta aut vetitaerant nec implicitè nec explicitè. De lege ecclesiastica habemus innumeros canones, & leges quæ nec à Christo posita erant nec naturali ratione obligabant. qua ratione D. Paulus primæ ad Chorint. *capit.* 7. inquit, præcipio ego, non Dominus.

Hoc enim nõ minus certum existimo, quam esse in Ecclesia & in republica potestatem ferẽdi leges quę ligent in conscietia. Secundo probatur antecedens. Nam si nihil potest Potifex, aut Princeps secularis le ge sua constituere quod non sit iam aliàs institutum vel præceptum, sequitur nullam habere facultatem condendi sed tantum declarandi leges, & si habet idẽ debemus cõcedere nostris prçlatis, quod scilicet ferãt leges nouas, & non solum declarẽt iam positas.

Adhoc argumentum respondetur, quod (vt iam dictum est) superiores religionis etiam in capitulo non possunt condere leges quæ in instituto & prima regula non continentur. Pontifex verò aut Princeps possũt præcipere etiam id, quod non continetur saltèm implicite in lege diuina aut naturali. Ratio differentię est, nam prælati religionum solum habent iurisdictionem à Pontifice super eos homines qui se vltro obtulerunt. Et iusta voluntatem ipsorum in professione iurisdictio videtur limitari. Quare nõ possunt Prçlati & capitula ad nouam regulam obligare nisi vt supra dictum est. At Pontifex, & Princeps secularis non habent iurisdictionem limitatam voluntate inferiorum: sed alter habet à Christo, alter ab ipsa republica. Vel iure belli absque vlla limitatione, hac sola lege, & conditione vt in pace & bello cõseruet omnes in iustitia. Et ad hunc finem potest prçcipere quidquid iudicauerit expedire, vnde non est simile.

Dubium Sextum.

IN Litera prologi habetur, quod conſtitutiones noſtrę non obligant nos ad culpam, niſi propter præceptum &c. Dubitatur modo, quid vocatur pręceptum obligans ad mortale? vel quomodo cognoſcetur quod id quod mandatur in regula, & conſtitutionibus fratrum prædicatorum, & in ordinationibus & pręlatorum verbis, & literis obligat ad mortale? Ratio dubitandi eſt, quia iſtud verbum, præcipio, non ſemper inducit præcepti vim. Quod patet Primo, ex Euangelio vbi dicitur, Dominum præcepiſſe curatis ne cui dicerent. *Marc. capit. 9.* conſtat autem illos minime peccaſſe, ſed bene egiſſe publicando Chriſti miracula.

Secundo ex D. Auguſtino dicente in regula. Hæc ſunt quæ obſeruetis pręcipimus. Et tamen non omnia ſubiuncta ſunt ſub pręcepto.

Tertio ex Ariſtot. 6. Ethicorum, diffiniente quod pręcipere ſignificat proprium actum prudentiæ, quē conſtat communem eſſe bonis operibus ſiue ſint cōtraria venialibus ſiue mortalibus. Pręcipimus enim tacere, & non adulterari; illud peccato veniali, hoc mortali oponitur. Ambigua igitur valde eſt diſcretio huius verbi, Præcipio.

Prodeclaratione huius dubij, Nota, certiſsimum eſſe pœnam excommunicationis maioris vim continere

tinere pręcepti. Ita quod quãdocumque imponitur aut inhibetur aliquid ſubpœna excõmunicationis ſiue latæ ſiue non latæ ſententię,tenetur quis obedire ſub peccato mortali:quia excommunicationis pœna tantę indignationis eſt. Vt non niſi propter lethale peccatum incurrat, aut demereatur quis illã hoc probatur ex hoc prolo *num.*4. vbi dicitur· præceptum nullum in regula (niſi quod ex natura ſua eſt, ratione trium votorum, vel diuinę vel ęccleſiaſticę legis)contineri volumus, & declaramus. Et in conſtitutionibus, niſi vbi ponitur ſententia excõmunicationis, aut formaliter exprimitur per verbũ præcipimus in virtute ſanctę obedientię. Et hoc idẽ in ordinationibus,& pręlatorũ verbis,&literis intelligi volumus. Hæc ibi·Ex quibus verbis cõſtat quod (vltra mandatum ſub pœna excõmunicationis)forma ponendi præceptum,&ad hoc quod id quod mãdatur obliget ſub pœna peccati mortalis eſt. ſi Prælatus vel ſtatutum dicat exprĕſſè.Pręcipio in virtute Spiritus Sancti &ſanctæ obedientiæ vt facias,vel non facias hoc. Et ratio eſt, quia compoſitio horũ verborũ,ſolita eſt ſemper præcepti vim importare ex communi Eccleſię,&noſtri ordinis vſu.Vnde,quamuis pręlatus ſeu conſtitutio dicat. Pręcipiendo pręcipimus in meritum obedientiæ , ſiue per obedientiam, tale mandatum non obligat ad mortale , quia non ſeruatur forma ponendi præceptum ſub mortali obligans.Hęc omnia ſunt præ oculis habẽda.Nam cũ

ſub

ſub pręcepto cadat omnis obligatio ſiue ad mortale ſiue ad veniale,(quoniam tenemur vitare etiam venialia) oportet ad diſtinguendum an ſit pręceptum formale nec ne, mentis aciem figere in formam ſupradictam. Vide Caietanum 2.2.*quaest.* 186.*artic.* 9.*ad* 2.

Regula hęc exceptionem patitur, nimirùm, quãdo prælatus in ira exteriori tale pręceptũ fert, quod patet ex litera textus huius prologi ſtatim adducẽda. Et merito hęc exceptio fit, cum ſecundum Iſidorum *de ſummo bono capit.* 16. iudex iratus examen ſui intellectus minime poteſt percipere; ira enim intellectus oculos excecat. Et D. Gregorius, *Epiſtola* 1. *lib.* 7. curandum eſt ne ira ſubrepat, ira quippe etiam cũ delinquentium culpas exequitur, non debet menti quaſi domina pręire, ſed poſt rationis terga velut ancilla famulari, vt ad faciem iuſſa veniat. Vnde in litera prologi cautè dicitur. Porrò prelati non faciant pręcepta obligantia ad peccatum mortale in ira exteriori, maximè contra ſubditos turbatos; & ſi fecerint, irrita ſint & inania.

An autem ſit neceſſarium quod vterque ſimul, Prelatus ſcilicet, & ſubditus ſint turbati exterius ad hoc quod dictum præceptum non obliget ad mortale? dicendum cenſeo intelligi diſiuntiuè, videlicet Prelatus vel ſubditus ducor, quia litera inquit. Prelati non faciant pręcepta obligantia ad peccatum mortale in ira exteriori; & poſtea ſequitur, *maximè contra ſubditos turbatos.* In quo eſt notandum qued illa clau-

clusula Maximè &c. non restringit verba quę præcesserunt, scilicet, prelati non faciant præcepta &c. hoc patet in priuilegio Leonis decimi quod refert, & explicat noster sapientissimus Noreña in suis manu scriptis, & Emmanuel Rodrig. *tomo 2. qq. regul. quęst. 100 artc. 1.* quo quidem priuilegio conceditur fratribus minoribus, quod possint anticipare horam prādij in die ieiunij, maximè quādo actu prędicant. Illa dictio *Maxime*. Non excludit quin fratres etiam actu non prædicātes possint anticipare horam. Nam hęc ast natura harum dictionum, *Maximè Præcipuè pręsertim.* vt inquit prædictus Emmanuel Rodriguez, quæ explicant casum minus dubitabilem, implicant autem casum magis dubitabilem. Sic in pręsenti, per hęc verba *maximè contra subitos turbatos*, nō negatur quim etiam si non fuerint turbati, si prelati in ira exteriori tale pręceptum faciant. Et Panormitanus *in cap. damnamus, de summa trinit. num. 3.* inquit, quod hęc dictio *maximè* sumpta proprie, stat comparatiuè ponens idē in casu contratrio. Vide Glossam *in capit. ad abolendam de filijs presbit. & capit. sacro. de sententia excommunicationis. vers si laudabilis,* vbi dicitur quod hæc dictio *Maximè*, tenetur cōparatiuè, vnde idem esset. Et si non esset quia mandatur mulctari excommunicator qui excō municationem tulit contra innocentem, maximè si laudabilis opinionis existat. Ait Glossa, idē esse idest mulctandus venit ille excommunicator, ac si ille innocens non esset laudabilis opinionis.

Ex par-

Ex parte etiam materiæ præceptæ potest non obligare preceptum prælati, nimirum quando materia est leuis & parua. Immo quantuncumque velit prælatus ad mortale obligare si materia sit parua attentis circunstantijs non obligabit ad mortale. Quia cùm talis obligationis materia parua sit incapax, est voluntas rationi dissona, ita Corduba *summ. quæst.* 188. *pun.* 1. *Medina* 12. *q.* 56. *artic.* 4. *in prima regula*, *Sanchez lib.* 1. *tn præcep. decal. cap.* 4. *num.* 4. *& sequentibus*, *Llamas in methodo curat. cap.* 6. §. 24. ait quod cum prælati Ecclesię non in destructionem sed in ędificationem potestatem habeant, maxime illis est aduertendum (ex Diuo Bernardo qui sæpissimè in sua regula qualis debeat esse Abbas repetit,) quod animas (& non aliquid vile) commissas habent, & sic non in illas tyranidem, sed leue & suaue regimen, & gubernationem exercere debent, & nullatenus illas irretire inanibus præceptis, sed necessarijs, sed iustis, sed de rebus grauibus: vnde mortaliter peccant prælati, iubentes, vel vetantes sub pręcepto formali res nullius aut minimi momenti. Vt quod pedem vnum, vel manum seu brachium non mittat quis, aut caput in cellam alterius, quod nemo extrahat à culina Catinum, aut scutellam, quod frustulum candelę non educat à sacro ærario, & his similia. Ista enim non sunt digna materia obediētię & pręcepti, sicuti neq; Ecclesiasticæ censurę. Secus autem est si paulatim fiat supradictorũ magna & notabilis iactura, tunc enim

loquen-

loquendum est, sicut de vinearum dilapidatoribus.
Vltimò est aduertēdum, quod quamuis prelatis prohibetur facere præcepta etiam quieto animo nisi in scriptis excepto precepto visitationis, at vero *in num.5. huius prologi* additur, quod valeāt. Argumentū, de excommunicatione que prohibetur ferri nisi in scriptis. *Capitulo sacro, de sententia excommunicationis, & capit cum medicinalis eo titulo, lib.6.* facta tamen valet.

Dubium septimum.

AN Si prælatus seu statutum dicat. Præcipimus sub pena excommunicationis, sit mortale peccatum frangere illud sic mandatū? In hoc dubio sunt aliqui doctissimi ex modernis partem negatiuam asserentes. Nimirum, quod id quod precipitur sub pena excommunicationis non late, sed ferendæ, quā uis ex suo genere obliget sub mortali, at in indiuiduo nō obligat sub mortali exui illius precepti, Sed attendendum est ad materiam præceptam; ita vt si materia fuerit grauis obligabit sub mortali, si vero leuis sub veniali. Et intelligunt hoc siue præceptū sit impositum à iure siue ab homine, probant suam sententiam.

Primò, quoniam nō est credendum quod pia mater Ecclesia quando aliquid præcipit sub interminatione excommunicationis ferende, tàm stricte &

rigorosè exigat à nobis obedientiā atq; cū pręcipit sub pœna excōmunicationis ipso facto incurrendę.

Secundo probatur. Gregorius Nonus *in capit. siquis, de vita & honestate cleric.* decernit. Vt clericus qui comā nutrierit anathemasit, id est excōmunicetur. Et tamen vt fatentur omnes doctores, clericus nutriens comam non pecat mortaliter. Ergo id quod pręcipitur sub pœna excommunicationis ferendæ non semper obligat sub mortali nisi quando materia sit adeo grauis, & ex huiusmodi grauitate ad iuncto præcepto Ecclesiæ, seu pręlati obligat sub mortali.

Conclusio, si prælatus seu statutum dicat, pręcipimus sub pęna excommunicationis vt facias, vel nō facias hoc, obligat sub mortali, maximè in nostro prædicatorum ordine. Hęc conclusio probatur primò, quia in hoc prologo *num.* 4. dicitur, pręceptū intelligitur esse id quod mandatur sub pęna excōmunicationis, ergo obligat ad mortale. Conseq. patet, quia vt iam dictum est, regula nostra non obligat ad culpam, nisi propter pręceptum, vel contemptum. Et *num.* 6. dicitur, statuimus, quod tàm in constitutionibus quam extra, quidquid nō secundum se mortale, mandatur sub quacumque pœna (nisi excommunicationis) ad solam pœnam obligat, ergo quod mandatur sub pęna excommunicationis tàm in cōstitutionibus quam extra, obligat ad mortale. Secūdo probatur conclusio, obedientia cum sit grauissima virtus obligat ex suo genere ad mortale, sed

Eccle-

Ecclesia vel prælatus pręcipiens aliquid sub pœna excommunicationis ferendę exigit à subditis obediẽtiam sibi debitam,ergo.Tertiò probatur.Lex ciuilis quæ aliquid pręcipit sub in terminatione mortis ferendæ,secundum verissimam sententiã obligat sub culpa mortali,ergo etiam lex ecclesiastica quæ aliquid præcipit sub interminatione excommunicationis,probatur consequentia, quoniam excõmunicatio in spiritualibus correspondet pęnę mortis in tẽporalibus & ciuilibus.

Huic argumento respondent authores oppositæ sententiæ negando consequentiam,& ratio discriminis (inquiunt) est,quia cum lex ciuilis præcipit aliquid sub pœna mortis inferendæ,vtitur omni sua potestate pręceptiua, & non potest strictiùs & rigorosiùs præcipere;at vero ecclesia præcipiens sub pœna excommunicationis ferendę nõ vtitur omni sua potestate præceptiua , strictius enim potest pręcipere,scilicet, sub pęna latæ excommunicationis.

Sed contra hoc arguitur, nã quando prælatus pręcipit aliquid in virtute sanctę obedientiæ,& sub pręcepto formali obligat sub mortali vt supra dictũ est, & tamen non vtitur tota sua potestate præceptiua, potest enim strictius pręcipere,scilicet,sub pœna excommunicationis latę, vel ferendę,ergo supradicta differentia non habet verum.

Ad argumentum ex statuto Gregorij,*in capit. siquis* respondetur quod fortè illud statutum fuit receptũ,

sed per consuetudinem abrogatum,&sic non pecant inobedientes. Secundò respondetur ex summa angelica, quod inobedientia circa pręcepta iuris positiui, si lex, seu pręceptum per longa tempora nō fuit receptum Papa sciente,& transgressores nō puniēte: sic non est peccatum mortale immo excusantur. Quod idē venit dicendum in hac lege Gregorij No. nn hanc eamdem sententiā tenet Caietanus *22. quęst. 186. artic. 9. ad secundum. Et in summa verb. disputatio. Siluester verb. clericus tertio*, §. 3. in eamdem sententiam inclinat Magister Soto *in 4. distinct. 22.*

Aduertendum denique est, quod si prælatus præcipit fratri in iudicio vt dicat aliquid de quo iuridice interrogatur: tenetur sub peccato mortali veritatem propalare, etiam si ei non fuisset sub formali pręcepto mandatum, neque sub pęna excommunicationis: ratio est, quia tūc lex diuina obligat veritatē dicere iudici in iudicio iuridice in terrogāti. Ita D. Thomas *22. quæst. 69. & tibi Caietanus, & victoria.* Et hoc excepit constitutio nostra in hoc prologo *nu.* 4. quādo dixit, pręceptum in regula nullum (nisi ratione trium votorum, vel diuinę aut ecclesiasticę legis) cōtineri volumus. Vide Sanchez *lib. 3. in præcep. decalogi. capit. 6. num.* 28

Dubium octauum.

AN Quando prælatus seu constitutio ait, pręcipimus sub pęna suspēsionis ab officio, sub pęna gra-

grauioris culpæ, ſub pęna carceris liget hoc manda tum ſub mortali peccato? probatur quod ſic.

Scienter cadere in pœnam interdicti, ſuſpenſionis vel irregularitatis eſt contra legem eccleſiaſticam, ac per conſequens peccat mortaliter. Ergo qui indictas pęnas, videlicet, carceris, vel grauioris culpę ſciẽter cadit ſi eſt ſacerdos in ordine noſtro, peccat mortaliter, cum per eas maneat ſuſpenſus ab officio ſacerdotali poſt legitimam ſententiã, vt dicitur infra *diſtinct. prima, capit. 18. num. 3.*

Concluſio, tranſgreſsio harum pęnarũ nõ inducit peccatum mortale. Probatur concluſio, quia ius & conſtititutio noſtra ſolum excipit quando aliquid pręcipitur per verba pręcipimus in virtute ſanctæ Obedientię, & ſub pęna excommunicationis, & poſtea fuit approbatum à Summo Pontifice vt iam dictum eſt. Secundo probatur hæc concluſio ex litera huius prologi *nu. 6.* videlicet, ſtatuimus etiam quod tàm in conſtitutionibus quam extra quidquid non ſecundum ſe mortale, mandatur ſub quacumq; pęna (niſi excommunicationis) ad ſolam pęnam obligat non obſtanti quod in capitulo de grauiori culpa dicatur. Vt qui membra diaboli culpam perpetrando non erubuit fieri.

Ad argumentum reſpondetur negando quod cadere ſcienter in dictas pęnas ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis ſit contra legẽ eccleſiaſticã, eſſet enim tunc peccatũ mortale, ſic enim dicitur in hoc

 prolo-

prologo *num*.4.nimirum prȩceptum in regula nullũ (nisi quod de natura sua ratione triũ votorum, vel diuinæ uel ecclesiasticę legis) contineri volumus:& idem in constitutionibus,seu prȩlatorum ordinatio nibus. At verò quia incidere indictas pęnas etiam scienter, non est contra legem ecclesiasticam cum non sit peccatum mortale secundum Caietanũ,*verb. interdictum*, ideo cadere in dictas pęnas carceris, vel grauioris culpę, tam ex forma statuti, quàm ex intentione statuentis in ordine prȩdicatorum, non est peccatum mortale.

CONTEMPTVS
QVID DICATVR.

LITera prologi inquit,quod regula nostra & cõstitutiones nostrę non obligant nos ad culpam, nisi propter prȩceptum vel contemptũ. Visum est supra quid sit præceptũ obligans ad mortale. Restat modo scire quid dicatur contemptus & inquo consistat,cum etiam sit peccatum mortale.

Notandum est,quod non statim sequitur contemptus si quis iudici,prælato,vel legi non obtempera uerit,etiam sciens quid lex,& prȩlatus prȩceperint. Nam multis ex causis potest absque contemptu prȩ termitti legis, aut prȩlati mandatũ,quod glossa ele gans sentit *in capit. siquis autem, distinct*.10. Non equidem nego

nego contemptum quãdoq; aſſumi pro ſimplici trãſgreſsione præcepti *leuitici capit.26.* inquit Dominus; ſi nõ audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſed ſpreueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, vt non faciatis ea quę à me conſtituta ſunt. Quibus quidem verbis dicit Deus, omnes peccatores contemnere leges ſuas quia nõ obediunt eis, quã ſignificationem tradit Altiſiodorenſis *lib. 2. ſuæ ſummæ tract.20.* Hæc tamẽ interpretatio non tẽdit in eum ſenſum quem hac in parte contendimus inquirere, eſt ergo altera contemptus ſignificatio, quę ex propria vi, & natura mortalẽ culpam inducit: nempe cum voluntas alicuius renuit ſubijci ordinationi legis vel Regulę, vel Prelati: & ea ex cauſa procedit ad faciendum contra legem vel præceptum Prelati, vt tandem tunc dicatur quis legẽ tranſgredi ex contemptu, quando illius tranſgreſsionis cauſa contẽptus eſt, & ab illo vt à cauſa tranſgreſsio procedit, Agimus etenim hic de contemptu in tranſgreſsione Regulę & pręceptorum prelati cuius ſignificationem colligimus ex Diuo Thoma, & ibi Caietan. 22. *quæſt. 186. artic.9. ad 3. & ex eodem Angelico doctore, & ibi Caiet. queſt. 105, artic.1. ad primum, & artic.2. rurſus eodem Caietano quæſt. 104. artic. 2. & in ſumma verb. contemptus, ex Altiſiodorenſi in dicto tractatu 20. gerſone lectione 5. de vita animæ ſpirituali, ex Adriano in quotlibeto ſexto, artic.2. ex Alphonſo de Caſtro hoc ipſum eleganter explicante in lib.5. de poteſtate legis pœnalis, capit. 5. documento 6.* Ex quibus ſatis conſtat, qua nã ratione

acci-

accipiendum ſit quod plerumque à noſtris traditur, & in hoc textu dicit̃,ſcilicet,ex contẽptu culpã mor ,talẽ deduci,&deinde ex hac radice inferũtur plura.

Primum hinc conſtat, nõ peccare ex contemptu illum, qui propter aliquam particularem cauſam, putà concupiſcentiã vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis,non autẽ ea ex cauſa quod nolit ſubijci legis ordinationi,quod apertiſſimè inquit D.Thomas *in dicto artic.9.ad 3.*& ſequũtur alij Paulo ante citati qui poſt eum ſcripſere. Idem Diuus Thomas,*quæſt.150.artic. 1. ad primum.*

Secundò apparet,aliud eſſe quid fieri à contemnẽte, aliud ex contemptu,poteſt enim quis contra legem agere cõtemnens quidem, & nolens ſubijci legis præcepto; & tamen non ex ipſo contemptu, ſed ex ira,concupiſcentia,vel alia ex cauſa quæ etiam ſeclusſo contemptu nihilominus ad tranſgreſsionem induxit. Hęc illatio exponitur à Gerſone quẽ ſequũt̃ Adrianus,& Alphonſus de Caſtro authoritate Ariſtot. *lib.3.ethicorum,capit.*1.Dum dixit iſte author poſſe quem peccare ignorantia concomitante,non tamẽ ex ignorantia tanquam ex cauſa,vnde hæc tanſgreſſio non haberet rationem culpæ ratione contẽptus, tametſi contemptus ipſe peccatum eſſet mortale,& vt mortale confitendum. Nam abſque mortali culpa non poteſt quis nole ſe ſubmitti legibus,cum eo ipſo legiſlatorem ipſum, & magiſtratum publicum contemneret.Nam lucę *capit.*10.inqnit Saluator, qui

ſpernit,

spernit, me spernit. Sic sanè D. Thomas *indicta quæstione* 105 *artic.* 1. Probat inobedientiam peccatũ esse mortale, & eam propriè contingere cum quis prę ceptum contemnit.

Tertio inde infertur, an verum sit quod pleriq; doctores ad notarunt, pręsertim Ioannes Andreas *in capitulo sacris, de his quæ vi, hostiensis in summa, titu, de sententia excommunicationis* §. *neceße, versic. sed numquid.* Collector *in capit. primo, de constitut.* Asserentes frequentiam actuum esse quemdam contẽptum adeò quidem, vt si quis frequenter legem transgrediatur id facere dicatur ex contemptu : Hæc tamen opinio est manifeste contraria Diuo Thomæ qui in dicto *articulo* 9. in hunc modum loquitur. Quando autem propter aliquam particularem causam puta concupiscentiam, vel iram quis ducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, non peccat ex contemptu sed ex aliqua alia causa etiam si frequẽter eadem causa vel alia simili peccatũ iteret. Hæc Diuus Thomas expræssim scribens non esse contemptum frequentem leg*is* transgressionẽ. Et aduertit Sanchez *lib.* 1. *in pręcep. decal. cap.* 5. Quia peccatum contemptus in sola voluntate perficitur interius, non autẽ inopere quod exterius fit, idem affirmat Caietanus *in eodem artic.* 9. idem notant Adrianus *indicto quodlibeto secundo, artic.* 2 Alphonsus de Castto *in dicto documento.*

Horum doctorum opinio manifestè probatur, si consideremus veram rationem contemptus, quæ tũc

constituitur, cum quis ex ea causa transgreditur legem, quod nolit ei subijci, etenim si primus actus ex hac causa fiat, contemptu fit: at si actus etiam centesimus non ex hac causa sed ex alia factus fuerit, cōtemptu caret: ipsa tamen frequētia actus disponit ad contemptum & ideo maximè periculosa est, quia dispositiuè inducit ad contemptum, inquit D. Thomas *in dicto artic. 9.* authoritate Prouerbiorum capit. 18. impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Quod intellige non ratione frequentiæ præcisè, sed ratione periculi proximi incidendi in mortale, cui frequenter admittens venialia exponitur attenta eius fragilitate. Ita Azor *libro. 4. institution. moralium capit. 9. quæst. 11.* sic sanè accipiendum est quod Diuus Augustinus dicit *capit. 8. de vera & falsa pœnit. à Gratiano relatus in capit. vnum orarium, 25. distinct. versic. Criminis.* Dum inquit, nullum peccatum est adeò veniale, quod non fiat ctiminale dumplacet. Ex quo dicto male colligit Panormitanus *in capit. nam concupiscentiam, de constitut.* Et plerique alij peccatum veniale per consuetudinem & frequentiam esse mortale. Nam si rem ipsam exactissime consideremus & perpendamns constat, actum quintum vel sextum esse eiusdem speciei in genere morali, cū actu quarto & quinto, quia sola iteratio actus nō variat speciem si nihil aliud ex parte operantis addatur quod faciat de veniali mortale: ergo si primus actus non erat peccatum mortale, nec decimns actus erit peccatū mor-

mortale nisi aliud vltra iterationem addatur. Authoritas autem sancti Augustini & communis adnotatio, hũc sensum habet. vt ipsa peccati venialis frequentia viam aperiat latissimam mortali peccato propter contemptum, aut quid simile quod accidere potest ex frequentia actus, sicut glossa explicat, *in dicto §. criminis. Siluester verb. Peccatum, quæst. 4.* Secũdo explicatur illa authoritas, quod scilicet, intelligatur de solo veniali ob defectum deliberationis, fit enim mortale dũ plena deliberatione placet. Tertiò intelligitur de omni veniali quãdo ex legis cõtemptu placet. Ita Azor, *tom. 1. institut. moralium, lib. 4. cap. 9. quæst. 13.* vel quarto potest intelligi, quando in eo vltimus finis cõstituitur. Ita Sanchez post alios *lib. primo in præcepta decalogi, capit. 5. num. 12.* Syluester *verb. Religio primo §. 3. & melius §. 12. partic. 4.* Adducta ibi doctrina supra dicta sancti Thomæ dicit, quod contemptus est, quando frater transgreditur. seu habet volũtatem transgrediendi omnia principalia statuta ordinis quibus venitur ad perfectionem; quæ vidẽtur esse ea, quæ pertinẽt ad humilitatem: vt vilitas habitus. Et ad austeritatem, vt asperitas vestium lanearum, vigiliæ nocturnæ, ieiunia & abstinentiæ à carnibus, quia hic est verè contemptus perfectionis. Secus si quis ex infirmitate non seruaret multa, & tamen per vnum, videlicet, per vilitatem habitus niteretur ad perfectionem, talis etenim religiosus nõ videtur esse in statu damnationis.

Sed contra hoc arguitur. Religiosus tenetur tendere ad perfectionem secundum Diuum Thomã vbi supra, sed qui non seruat multa non tendit, sed stat, ergo talis est in peccato mortali. Respõdetur, verũ esse; religiosum tendere ad perfectionem teneri, nõ tamen tenetur ad perfectionem currere. Vnde non peccat religiosus si illa multa ex aliqua causa prętermittat, peccat tamen si illa contẽnat. Suarez *tom. 2. de religione, lib. 2. cap. 4.* Ait, quod quamuis religiosus teneatur ad tendendum in perfectionem, non tamẽ tenetur ex præcepto ad omnia media perfectionis, nec ad alia determinate, præter ea quæ cum illis habent necessariam connexionem vel per suos prę latos imponi possunt; nam hæc etiam virtute & mediatè in votis continentur.

Itaque Religiosus qui vult cauere peccatum, nõ tamẽ vult abstinentias, nec vigilias & huiusmodi; quandiu tamen placet sibi vnum medium quo tendit, quamuis segniter, & non tenetur currere.

Ex quibus patet, quod peccare ex contemptu rarò accidit, nisi in pessimis & habituatis. Quod dico non vt pigris, & negligentibus in custodia obseruãtię regularis faueam, sed vt veritas patefiat, & legẽ Domini lucidam esse constet.

Scito tamen quod potest esse contemptus peccatũ veniale. Tùm ratione in deliberationis quia nõ plenè aduertit, sicut in cęteris peccatis, tùm etiam ratione paruę materiæ sicut in furto. Et ita Caietanus

nus *in summa, verb. contemptus*, Ait, quod subditus iussus à prelato vt claudiat ostium non facit, vt non faciat verbum prælati in hoc minimo, paratus tamen obedire absolutè, nõ peccat mortaliter, & ratio est, quia non contemnit simpliciter, sed secundum quid mandatum prelati. Quia minimum.

Et sic dicunt idem Caietanus *in summa, verb. inobedientia*, Ludouicus Lopez *1 par. instructorij consciẽtiæ, cap. 15.* *Valentia 22. disputat. 7. puncto tertio*, inobedientiam formalem in re minima non esse lethalem, quando nole obedire non est absolutum, sed in re minima; quia contẽptus tunc non est absolutus, sed secundum quid nẽpe in re minima, Leonardus Lesius *lib. 2. de iustitia, capit. 46. num. penult. & vltimo*, inquit. Aut est contẽptus præcipientis, aut precepti, si est contemptus precipientis & ille sit Deus, est enim preceptum diuinum, cõstat esse grauissimum mortale; si autem precipiens sit homo, est enim præceptum humanum nec contemnatur potestas ipsa tamquam nullius momenti sed homo ipse quia imprudens est, aut alia ratione & non absolute, sed in re parua; non est mortale. Si vero sit contemptus præcepti in re illa parua, & illud sit humanum, nec absolutè contemnatur sed secundũ quid, quatenus est rei modicæ, habet locũ predicta doctorũ doctrina, vt nõ sit peccatũ mortale.

Tandem, aliud est nole obedire ex indignatione, & aliud ex contemptu, quod ex indignatione fit, quãdo scilicet, quis non vult in aliqua re obedire, non

eo quod superiori subdi renuat, sed ne ipsum solatio ea re afficiat. At ex contemptu est, quando renuit eo quod subijci nō vult. Sic Caietanus *in summa, verb. contemptus, & ibi Armilla, num. 2. Leonardus eo capit. 46. num. penultimo.*

Itaque religiosus obligauit sed ad viuendum secundum regulam, & ad obediendum pręlato conformiter ad regulam præcipienti. In qua obligatione, primo omnium continetur, vt regulam & mandata non contemnat superiorum, sed generale propositum retineat ijs se conformandi: contemptus enim euertit rationem formalem obiectiuam, atq; adeo totum fundamentum obedientiæ.

Litera prologi, Text. 4.

POEnis autem absolutionis ab officio, priuationis vocis actiuæ & passiuæ, grauioris culpæ & alijs maioribus, quantumcumque tam in constitutionibus, quam extra, ipso facto sint incurrendę, (nisi sit pœna excōmunicationis latę sententiæ) nullus sit subiectus, nisi superueniat declarario prælati in particulari respectu huius, quantumcumque etiam notorium facti, vel iuris, aut vtriusque interueniat. Hæc omnia iam supra declarata sunt.

Contra hanc literam arguitur, *ex capit. cum singulæ, de præbendis, lib. 6.* Vbi diffinitur, quod pœnæ quę nullā actio-

actionem requirunt nec ex parte miniſtri, ſed conſi ſtunt in mera priuatione, vt excommunicatio, inha bilitas, priuatio vocis actiuæ & paſsiuę ipſo facto incurrendæ, tales pœnas incurrunt delinquentes an te iudicis condemnationem, vel antequam veniat declaratio prę lati. Idem tenet Magiſter Soto *lib.* 1. *de iuſtitia & iure, quæſt.*6.*artic.*6. *Medina* 12.*quæſt.*96.*artic.*4. Ergo falſa eſt litera huius prologi. Ad hoc reſpon detur, quod noſtrum ius, & conſtitutio noſtra limi tat hoc, & eſt cōfirmata & approbata à ſūmo Pōtifice

In conſtitutione hac maxima eſt conſolatio, & ſcrupulorum expulſio tam erga prę latos, quam er ga cęteros fratres, qui aliquando publicè & notorie incidunt in pęnas grauioris culpæ, & in abſolutio nem ab officio, & in priuationem vocis actiuę & paſ ſiuę, vt dicitur infra *diſtinct.*1.*cap. vltimo, num.*4.*& diſtinct.* 2.*cap.*13.*num.*8. Vbi ponuntur multa quæ afficiunt eo rum authorem pœna grauioris culpæ, & tamen non ſunt priuati celebrare, prædicare, & ſacramenta ad miniſtrare, voce actiua vel paſsiua, nec officio prę latię, lectoratus, &c. Quouſque in particulari decla rentur incurriſſe in dictas pęnas. Excepta excōmu nicationis pęna, quę in conſtitutionibus, vel prælato rum verbis reperitur. Vnde Diuus Thomas 22.*queſt.* 186.*artic.* 9.*ad primū*, Ait, quod fratres prędicatores obli gantur ſolum ad pęnam taxatam ſuſtinendam, non tamen perſe exequendam.

Ex qua litera & doctrina collige, quod ſi vocalis

incurrit in priuationem vocis ex eo quod ante ele ctionis celebrationem non communicauit, vt mandatur in constitutione nostra, ex capitulo generali Barchinon. 1574. sub priuatione vocis: non potest obijci tẽpore quo iam iam itur ad eligendũ, quod non potest eligere talis vocalis qui illa die, vel in illa electione non receperit Eucharistiam, nec apellari à futura electione, neque postea petere cassationem electionis factę. Et omnium vnica ratio est, quia iste toleratur ab ecclesia, & ab ordine in potestate sua, quia non vult quod sit subiectus dictæ pęnę priuationis vocis quãdiu nõ veniat declaratio prælati in particulari, sicut dicimus valere gesta iudicis excõmunicati tolerati ab ecclesia. Pro quo vide Syluestrum, *excommunicatio tertio* §.10.*&* 11.

A pęnis autem suspensionis, interdicti, vel irregularitatis quę in iure canonico habentur non eximũtur dicti fratres, nam ipso facto incurrunt in eas si quid contra eorum prohibitionem egerint publicè vel secrete. Nec opus est declaratione prælati in particulari: quia in litera solum excipiuntur pęnæ istæ quæ in constitutionibus habẽtur, vel quę extra, videlicet in actis capituli generalis, vel prouincialis seu in prælatorum literis: non autem quę habentur in iure canonico.

Pro quibus est valde notandũ ex Syluestro, *verb. pœna, num.* 28. Quod constitutiones Apostolicæ priuantes regulares ab officijs, & prelationibus quæ possident

dent ipso facto, & sine alia declaratione, debent piè interpratari vt intelligantur, quod amittant ipso facto dictas prelationes sine aliqua declaratione ipsius pęnæ, non tamen sine sententia declaratoria ipsius criminis propter quod pœna & priuatio imponitur. Ita Diuus Thomas *12. quæst. 96. artic. 4 & 22. quęst. 62. artic. 3. & Magister Bañez ibi, dubio secundo.* Vide Sãchez *lib. 2. in pręcep. decalogi. capit. 29.* Si dicas, ergo quando factum est publicum non erit necessaria iudicis declaratio. Respondetur, quod etiam si factum sit publicũ necessaria est iudicis declaratio cõdemnatoria, per quam delinquens teneatur statim ipsum officiũ renuntiare. Ratio est, quia publicitas facti non efficit vt ipse reus sit executor pęnę sibi illatę. Immo dicunt viri doctissimi quod lex penalis dicens, quem ipso iure manere priuatũ suo officio, aut beneficio sine aliqua declaratione, debet intelligi, quod solũ loquitur in foro exteriori, nõ vero in interiori. quę à religiosis maximè sunt notanda vt ab scrupulis liberentur sumptis ex rigorosis aliquarum constitutionum verbis.

Et aduertant prælati quid, inferẽdis censuris cõtra aliquos religiosos faciunt. Nam licet in iure cõmuni, & in extrauagantibus Apostolicis, & actis capitulorum generalium & prouincialiũ aliquæ cõtra suos subditos ferantur censuræ, non tamen possunt declarare in ipsas in currisse nisi citẽtur, & iuridice audiantur. Eorum enim declaratio delinquentibus

non accerſitis,neque auditis erit ipſo iure nulla: & virtute talis declarationis nihil contra eos agi poteſt. Adeo quod illuſtriſsimum PrætoriumRotę ita hoc obſeruat, quod numquam pronunciat acta per Epiſcopos & alios prælatos & iudices eſſe in valida, & nulla propterea quod fuerunt facta ab excommunicato etiam per auditorem rotę ; ſi fuerint facta antequam per Rotam fuiſſet declaratus excommunicatus.Ita felinus qui auditor fuit Rotę expræſſit *in capit.ad probandum,de ſenten.& re iudicata.* Ita que,declaratio quod aliquis incurtit in excommunicationem non poteſt abſque citatione fieri,& antequam audiatur,& contumax iudicetur, & quod in oppoſitum fit,eſt nullum.Ita gloſſa *in capit.cupientes,de electione,§.q̄ ſi per,lib.6.felinus in cap. Rodolphus,de reſcriptis,nu.9.*

In nouis conſtitutionibus cū gloſſa antiqua Magiſtri bandelli, edita per reuerendiſsimum Iuſtinianum adduntur hęc verba, Declaramus iuſta declarationem factam Romę 1513. quod pœnæ exigunt declarationem ſuperioris in particulari niſi ipſemet reus ſe ipſum declaret, quod facere debet humiliter cognoſcens ſuum errorem ſi factum eſt publicum quia ſi ipſe ſe declarauerit non opus eſt declaratione. Hoc tamen non eſt intelligendū quod frater particularis, citra iudicium poteſt ſedeclarare incidiſſe in pœnas ſupradictas. Sic vt ſtatim non habeat vocem actiuam,vel paſsiuam,vel quod nō poſſit prædicare,&c. abſit.Requiriritur enim quod hęc

declara-

declaratio fiat coram suo prælato,& testibus. Quia litera dicti Capituli generalis Romę,dicit,quod facere debet humiliter cognocens errorem suum si factum est publicum. At nullus tenetur reuelare errorem suum nisi ad petitionem iudicis iuridicè petentis,vt inquit Diuus Thomas 22.*quæst.70.artic.1.* Ergo sic debet intellgi hęc declaratio huius capituli generalis Romę. Et anno 1518.additum fuit, declaramus quod nullus præsidens potest declarare se ipsum absolutum,ab officio propter quamcumque transgressionem commissam. Quæ declaratio est conformis capitulo vltimo de renuntiatione.Vbi glossa *verb. in manibus.* Inquit, quod ad quem pertinet confirmare ad ipsum debet pertinere resignatio, quia renuntiatio debet fieri in manibus prelati.

Dubium primum.

CIRca hanc literam dubitatur sic, Prior prouincialis seu conuentualis imponit pręceptum subditis suis, & pęnam grauis culpæ si coram secularibus carnes comederint,tenebitr ne religiosus frangens tale mandatum ad sustinendam dictam pœnā sine eo quod veniat declaratio prelati in particulari contra eum? Videtur quod sic, quia litera non loquitur de pęna grauis culpę, sed grauioris, & alijs maioribus.

Magiſter victoria 22 *quæſt. 186 artic. 9. tenet, quod* præ latus noſtri ordinis non poteſt in generali ſub pręcepto mandare ea quę ſunt purę conſtitutiones. Secundum quam opinionem nō eſt dubium niſi quod illi religioſi non tenentur ad implere nec facere illā pęnitentiam grauis culpę, neque ſunt rei fracti pręcepti. Iam enim conſtitutio noſtra obligaret ſuos profeſſores ad culpam.

Concluſio, quidquid ſit de opinione Magiſtri Victoria de qua poſtea redibit ſermo, Illud pręceptum in illo caſu non obligat, maximè quo ad illam pœnam. Ratio eſt, quia nullus tenetur ad pœnas legis ante condemnationem in particulari ſecundum cōmunem opinionem; nam alias iam quis extra Sacramentum pœnitentiæ eſſet in propria cauſa reus & iudex, quod eſt contra rationem. Vide Magiſtrum Soto *lib. 1. de iuſtitia & iure, & Diuum* Thomam *22. quęſt. 62. artic. 3. & Caietanum ibi, & in ſumma verb. pœna, Syluestrū ver. aſſaſinus.*

Ad argumentum in contrarium reſpondetur, quod conſtitutio noſtra loquitur etiā de pœna grauis culpę, quia quando in maiori includitur minus & eſt eadē ratio prohibitionis in maiori quæ in minori; prohibito maiori, vel conceſſo prohiberi, concedi minus non eſt dubium. Quod quidem patet *ex regula iuris, in 6.* cuilicet quod eſt plus, licet vtiq; ꝙ eſt minus, regula 53. Vide gloſſam *in capit. 1. de temporibus ordinationum, verb.* Italię.

Si pec-

Si peccatum eſt publicum, peccator autem occultus conceditur ab aliquibus eſſe integrum tũc prælato, pręcepto formali premere peccatorem vt faciat pœnitentiam aliquam ſecretam; quia iam venit tunc declaratio pręlati in particulari reſpectu huius.

Dubium ſecundum.

AN Prouincialis qui ab his prouincijs receſsit, & in Hiſpaniam reddijt, quem propter hoc diffinitores declarauerunt abſolutum ab officio; ſit adhuc Hiſpaniæ exiſtens, prouincialis, vſque dum ſit ei intimata talis declaratio?

Pro huius dubij declaratione notandũ eſt primò, nullomodo poſſe dici prouinciales indiarum ad capitulum generale, ſeu ad Magiſtri ordinis electionẽ ire non poſſe, abſque diffinitorum conſenſu. Nam conſtitutio noſtra *diſtinct.2. capit.4. num.1.&3.& capit.8. num.1.* Vocat eos ad huiuſmodi officia exercẽda nullius conſenſu requiſito; vnde diffinitores nõ poſsũt ſe in hoc intromittere vt pote qui ſubditi conſtitutionis.

Secundò notandumeſt, quod in capitulo generali Romę 1569. ſub titulo commiſsionum dicitur. Pręcipimus reuerendis prouincialibus prouinciarum indorum, tàm pręſentibus, quam futuris temporibus ſub pœna abſolutionis ab officio, vt quandiu prouin

 ciala.

cialatus officio funguntur,nõ recedant à prouincijs suis gratia redeundi in Hispaniam. Quam primum autem à prouincijs recesserint,committimus tribus prioribus trium antiquorum conuentuum, vt simul congregati eos à suis officijs prouincialatus absolutos declarent: & duorum sententia prçualeat,& opportuno tempore ad nouam electionem prouincialis conueniant. Hçc ibi. propter hanc ordinationem ponitur prçsens dubium.

Et probatur quod quantumcumq; declaretur absolutus adhuc est prouincialis,& prælatus prouinciç. Nam in hac litera prologi dicitur. Quod nullus sit subiectus pœnis absolutionis ab officio nisi superueniat declaratio prælati in particulari respectu huius, &c. Ergo quantumcumque declaretur absolutus adhuc est prouincialis secundum ius nostrum quo vsque ei talis declaratio notificetur.

Confirmatur; quia si ita rigorosè accipiendum est mandatum dicti capituli generalis Romç, vix aut numquam habebit effectum. Quia dum mitteretur, dum accederet, & dum notificaretur dicta declaratio priuationis ab officio finietur officiũ,istius prouincialis. Et consequentur videtur vana huiusmodi ordinatio cuius finis consequi non potest.

In contrarium est authoritas huius Capituli generalis dicentis, quod declarato prouinciali absoluto per illos tres priores, oportuno tempore ad nouam electionem prouincialis conueniant.

In hoc

In hoc dubio, quatuor ſunt notanda exquibus veritas, & reſolutio eius conſtabit. Primum eſt, quod pœna abſolutionis ab officio in hac prohibitione, eſt latę ſententiæ, mandatur enim quod declaretur abſolutus, quod quidem præſupponit in talem pęnã incidiſſe, Caiet. *excommunicatione* 21. Secũdum eſt, quod ſtando in iure conſtitutionum noſtrarum, ad hoc ꝙ qui in talem pœnam incidit incurrat illam, requiritur quod declaretur à prelato in particulari, iuſta hanc literam prologi; & quouſque veniat talis declaratio ſemper remanet Prouincialis, Prior, ſupprior, vicarius, & ratio eſt, quia ſic voluit cõſtitutio. Tertium eſt, quod ſtando in iure Canonico eſt ipſo facto abſolutus, eſt enim pœna latæ ſententiæ. Vt inquit gloſſa *in capit. dudũ, de electione, verb. deceptæ, litera,* A. Quartum eſt, quod ſtatim quod ipſi prouinciali ſeu Priori notificatur, ſeu intimatur declaratio ſupradicta in prouincia, vel in conuentu Prioris, ſunt abſoluti ab officio. Quia tali abſolutioni inquit conſtitutio quod ſint ſubiecti prælati poſtquã venerit declaratio talis in particulari contra talem Prouincialem. Neque opus eſt ad hoc vt vacet eius officium alia diligentia, vnde ſtatim poteſt prouincia, vel cõuentus (ſi delinquens eſt prior) procedere ad nouã electionem prouincialis, ſeu prioris. Cum enim iam ſint declarati incidiſſe in pœnam abſolutionis latę ſententię, prouincia vel conuentus vacat.

Ex dictis patet reſponſio ad dubium, ſcilicet, quod ſtatim

ſtatim quod iſti tres priores declarent abſolutum talem prouincialem qui à prouincia receſsit ſine dicta licentia, gratia redeundi in Hiſpaniam, ille eſt abſolutus, & poteſt nouus prouincialis eligi, iã enim venit declaratio prelati in particulari reſpectu hui⁹ & hoc ſolum requirebatur.

Et aduertẽdum maximè eſt, quod non dicit conſtitutio in hac litera prologi quod declaratio iſta veniat notificanda iſti prouinciali, vix enim fieri poſſet cum tam abſens ſit, ſed inquit, quod veniat à prelato & nõ in confuſſo, ſed in particulari cõtra ipſũ.

Ad argumentũ reſpondetur, concedendo quod ſi ipſe prouincialis nihil audiuit, adhuc eſt prouincialis. Quia ipſe egreſſus fuit prouincialis, & poſsidet officium, & nihil in contrarium ſcit; ergo. Dato enim dictos tres patres authoritatem habere ad abſoluẽdum prouincialem, ſeu ad declarandum eum abſolutum, at contingens eſt, & poteſt fieri quod interueniant aliqua in conuenientia ſeu impedimẽta ad nõ faciendam dictam declarationem. Et potuit etiã contingere non omnes concordare in declaratione vno caſſante votum ſuum alio dicente nõ debere fieri talem declarationẽ propter in conuenientia multa quę ſubſequi timentur, ergo iſte prouincialis non tenetur ſe pro abſoluto gerere, quovſque certificetur per famam, vel teſtimonium fidedignum.

Hęc omnia reperies apud Panormitanum *Capitulo cæterũ, de reſcriptis, num. 1. & capit. audita, de reſtitutione ſpoliat.*

Vnde

Vnde ſi Prouincialis ſcit per famam creditu dignã vel per epiſtolas bonorumvirorum de declaratione contra ſe factam, tunc tenetur ſe gerere pro abſoluto à ſuo prouincialatu. *Argumentum ex capit.illud,de Clerico excommunicato miniſtrante.*In quo deciditur,ꝙ habens notitiam excommunicationis contra eũ latę Romę per ſolam famam,debet abſtinere à diuinis,alias incurret in irregularitatem.

In Prouincia vero ſua non eſt Prouincialis, quia iam declaratus eſt, authoritate Capituli generalis ſupra dicti, poteſt enim prælatus abſens per ſuũ ſuperiorem abſolui ipſo neſciente de abſolutione. Et quamuis ipſe bono titulo & iure ſe pro prælato gerat, cum hoc non eſt prælatus in conuentu ſuo, vel in prouincia ſua.

Ad confirmationem reſpondetur primò,quod nõ eſt mirum leges extra ordinarias aliquando nõ ſortiri ſuum effectũ quouſque publicentur ijs cum quibus loquitur. *diſtinct.4.capit.in iſtis,& Diuus Thomas. 1.2. quæſt.90.artic.*4. Nam ſol ſi nubes ei opponatur non lucebit, Hęc omnia per accidens contingunt. Secundo dico, quod poteſt habere ſuum effectum dicti capituli generalis ordinatio ſi mittatᷣ nuncius ad dictũ Prouincialem cum dicta declaratione,quod non eſt difficile fieri. Item , quia poterit iſte prouincialis cum in Hiſpaniam peruenerit puniri per Magiſtrum ordinis,vel per eius Vicarium,Item etiam, ſi coram rege petatur vt præcipiat ei ſtatim reddire

 in ſuam

in ſuam prouinciam quam reliquit contra ſtatuta ordinis.Et tunc & ipſe punietur, & alij arcebuntur ab huiuſmodi tranſgreſsione mandatorum ſuorum prælatorũ. Quod quidem commodius & honeſtius, & ędificatius fieri iudico ſi talis petitio non coram rege, ſed coram ſuo pręlato proponatur : pręcipiet quidem & coget dictum prouincialem ad ſuam prouinciam reddire.Vltimo & melius reſpondetur iuſta ſupra dicta nimirum, quod ad hoc quod prouincialis ſit abſolutus ab officio in ſua prouincia, & ꝙ poſsint electores nouum Prouincialem eligere, non opus eſt quod ei notificetur, ſufficit enim ꝙ in ſua prouincia declaretur in particulari abſolutus à potenti eum declarare, & ita ordinatio dicta capituli generalis infalibiliter conſequetur ſuum efectum & finem intentum cum in executione poſita fuerit.

Pro ſola prouincia del Piru extat ordinatio capituli generalis Romę celebrati,anno 1571.Vbi in virtute Spiritus Sancti, & ſanctę obedientę præcipitur prouincialibus pro tempore exiſtentibus in prouincia Sancti Ioaunis Baptiſtæ del Piru; ne à prouincia recedant ſine conſenſu, diffinitorum,vel decem patrum primorum ſuę prouincię; quam in ſcriptis accipiant.Sed eam concedere nõ poſſunt niſi prius rationem ſuę adminiſtrationis reddant.Quod ſi cõtra fecerint, pœnam abſolutionis ab officijs ſuis ipſo facto incurrant.

Hęc ordinatio nõ extenditur ad alios prouinciales india-

indiarum, tantum enim loquitur capitulum generale cum prouincialibus del Piru, & cum sit ordinatio pænalis nõ debemus recedere à verbis eius, *cap. cum ex eo, de electione, lib. 6.* Pro quo notandum est, quod non sufficit talem prouincialem consilium petere à diffinitoribus & patribus, sed debet expectare cõsensum. Ratio est, quia sicut vbi requiritur à iure consilium, nisi adhibeatur, actus est nullus. *Capit. nouit, iuncta glossa, de his quæ fiunt à prelato.* Et non tenetur superior sequi illud consilium, vt ait Syluester *verb. religio tertiò, §. 13.* Sed satis est requirere, & expectare responsum. Ita similiter, quando ius vel commissio mandat quod de consilio, & assensu tale quid fiat, tenetur prelatus & consilium petere, & assensum maioris partis congregationis sequi; aliàs actus non valeret. Vide Emman. Rodrig. *tom. 2. qq. regular. quæst. 53. artic. 9. & quæst. 103. artic. 1.*

Litera prologi num. 6.

ET Vt multitudo constitutionum vitetur, prohibemus, ne de cætero aliquid statuaẽ nisi per duo capitula generalia continua fuerit approbatum. Et tunc in tertio capitulo generali immediatè sequenti poterit confirmari, vel deleri; siue per priores prouinciales, siue per alios diffinitores illud tertium capitulum celebretur. Sic textus.

Ex hac litera colliges differentiam inter constitntiones, & ordinationes capituli generalis, vel Magistri ordinis. Etenim in aliquo differunt, & in aliquo conueniunt. Conueniunt quidem: quia sicut constitutiones sunt perpetuæ sunt enim leges quędam de quarum natura est quod sint perpetuæ: ita similiter ordinationes sunt perpetuę, vt habetur in hoc prologo num. 8. Et quamuis dictæ ordinationes ex se non erant perpetuę, sed tantùm durabant vsque ad sequens capitulum generale postquā erant promulgatę vt docet Diuus Antoninus *3. par. titu. 24. capit. 2. & Syluester verb constitutio.* In nostro tamē ordine sunt perpetuæ, vt dixi. Quod amplius probatur ex litera prologi, inquit enim. Ordinationes tàm Capitulum generalium, quàm Magistri ordinis, (quoad vim pręcepti & censurarum ecclesiasticarum) cum ipsis expirare volumus. Ergo si constitutio vult ꝙ expirent quo ad vim præcepti & censurarum; à cōtrario sensu quo ad alia vult durare. Nec mirum ꝙ ablato accessorio, remaneat principale. Videas glossam, *Capituli cum non deceat, de electione, lib. 6. verb. effectus.*

Differunt tamen primò, quia ad faciendas dictas ordinationes non requiritur aliud nisi voluntas capituli generalis vel Magistri ordinis, quibus integrum est illas leges & ordinationes perpetuas condere; ad condendas autem constitutiones non sufficit hoc, sed desideratur quod per vnum capitulum generale inchoentur, per secundum confirmentur

&per,

& per tertium approbentur. Quæ tria Capitula debent esse continua. *prolog.num7. in fine.* sufficit tamen vnum capitulum generalissimum, vt ibi dicitur.

Secundò differunt, quia licet ordinationes sint perpetuę, non tamen præcepta vel censuræ quas forte continebunt, ista enim cessant per mortem Magistri ordinis, vel per subsequēs capitulū, nisi denouo confirmentur. At, si dicta præcepta seu censurę continentur in constitutionibus, semper durant. Pœna autem grauioris culpę, vel pœna carceris, & aliæ quęcumque pęnæ in ordinationibus positæ non cessant, sed semper durāt, de istis enim nō fit exceptio.

Pro maiori vero declaratione literæ prologi, & ad intelligendum quomodo illa tria capitula generalia per quæ fit constitutio in ordine nostro, inter se connectuntur & continuantur per inchoactionem scilicet, confirmationem, & approbationem, (multos enim latent hi tituli & alij qui in actis capitulorū generalium continentur) ideo circa illos aliqua notare opere prętium duxi.

Litera prologi, num. 7.

IN Choactiones autem quæ fiunt in Capitulis generalibus non mandentut executioni, &c.

Ab in choationibus incipiunt acta capitulorum generalium. Quarum natura non est aliud, quam pro

 ponere

ponere aliquid ad bonum regimen, vel in ordine ad constitutionem aliquam condendam. Et ita in su pra dicto prologo & numero ait constitutio nostra quod nō mandentur executioni quousque per alia duo capitula generalia fuerint approbatæ: & factæ sint constitutionis; nisi forte eadem inchoatio fiat per modum constitutionis.

CONFIRMATIONES, notandū est primò, ꝙ cōfirmationes capitulorum generaliū, vel Magistri ordinis in actis suis, nihil de nouo faciunt ab illo quod confirmant. Dicit enim Panormitanus *in capit. dudum, de decimis, num.* 11. *&* 13. Quod confirmans aliquam rem censetur confirmare illam secundum statum in quo talis res reperitur. Vnde si capitulum generale cōfirmat inchoationem præcedentis capituli, non mādatur executioni vsque ad sequens capitulum generale, in quo vel transit in constitutionem, vel sic manet. Vide prologum num. 6. & ita confirmatio capituli generalis Romę celebrati anno 1580. facta de inchoatione præcedentis capituli vt festum decem millium martyrum, & sancti Hippolyti celebrentur sub duplici, non mandata fuit tunc executioni, & sic de alijs cōfirmationibus debes semper dicere; quia tunc solum valet confirmatio ac si esset inchoatio. Itaque confirmatio parat viam ad constitutionem.

Secundo notandum est, quod si in confirmationibus capitulorum generalium, vel magistri ordinis confirmatur aliquid factum ab aliquibus prouintijs,

vel

vel conuentibus, vel fratribus, vel aliqua licentia ad prædicandum, tunc dato talem confirmationem nihil noui concedere videatur vt dictum est, sed tã tum roborat factum illud, seu licentiã illam sic adeo quod si nihil valeret, vel nullum erat id quod confirmatur, nulla similiter erit confirmatio, quod tenet glossa *in capitulo quia diuersitatem, de conceßione prębendæ. & Syluester verb. absolutio* 2. §. 4. At vero operatur talis cõfirmatio super verum factum, & super veram licentiam vt nullus à confirmatore posſit tollere illud factum vel licentiam illam, *Capit primo, & secundo de confirmatione vtili*, ratio est, quia vt dicitur, *in capit. si Apostolicæ, de præbendis, in* 6. Nostra facimus quibus nostram authoritatem impartimur. Si tamen id quod confirmatur est ordinatio cum præcepto, vel in ipsa confirmatione ponitur præceptũ, vel pœna, obligat: quia transit in aliam speciem mandati. Inspiciendus est totus tenor confirmationis.

APPROBATIONES. Approbatio est actus iurisdictionis, & superioris contra quã non est amplius submurmurandũ per quam quidem approbationẽ accipit ordinatio vim cõstitutionis perpetuæ secũdum constitutiones nostras. Quando approbatio fit à summo Pontifice aliquarum ordinationum particularium, vel constitutionum alicuius ordinis, tunc hęc Papæ approbatio multum operatur, nam si tales constitutiones, vel ordinationes contineant aliqua contra ius cõmune, validę nihilominus sunt, ratio est,

eſt, quia approbãtur ab illo qui poteſt tollere, vel diſpenſare ſuper tale ius. Quæ doctrina vt iã diximus verificatur in noſtris conſtitutionibus, quoniam in multis earum locis derogatur iuri canonico, vt videre eſt in hoc prologo *num. 8. verb. pœnis tamen, &c* differentiam inter approbationem ſummi Pontificis, & confirmationẽ eiuſdem alicuius conſtitutionis, vide ſupra in ꝓœmio, notabili tertiò, ex Diuo Antonino.

ADMONITIONES. In iure canonico qui trãſgredit̃ exhortationes ſeu admonitiones non peccat, vt videre eſt, *diſtinct. 4. capit. denique, in fine.* Fractio nãq; cõſilij non eſt peccatum, quia conſilium non cogit, ſed oſtendit id quod melius eſt, vel quod magis conuenit. At vero in ordine noſtro, iſtæ noſtræ ad monitiones ſunt alterius generis. Sunt enim quod Hiſpanie dicitur, *Auiſos*, moneo ſcilicet, vos, vt faciatis, vel non faciatis hoc; & ſapiunt mandatum. Et de huiuſmodi admonitionibus ſunt quã plures in actis Capitulornm generalium.

Sed aduertendum eſt, quod communiter huiuſmodi admonitiones ſunt de rebus ad quas tenemur vel lege diuina, vel eccleſiaſtica, vel ordinis noſtri; vt legenti admonitiones capitulorum generalium clarè patebit. Et aliquando imponitur pręceptum in ipſis admonitionibus, ideo notentur earũ verba.

Notandum in ſuper valde eſt, quod ſi in admonitionibus mandentur, vel moneantur pręlati ſuper aliquo quod repugnat cõſtitutioni, vel authoritati prela

prælatorum quam per constitutionem habent, tales ad monitiones non obligant, quod patet, quia constitutio non tollitur nisi per tria capitula generalia continua, non per mille admonitiones.

CONCESSIONES. in hoc titulo notandum est primò, quod quando capitulum generale, vel Magister ordinis concedunt gratias, (quas esse perpetuas est notum, nec expirare mortuo Magistro, vel alio capitulo generali subsecuto, quia beneficium principis decet esse per mansurum) Tales gratiæ non conceduntur nisi ibidem expræssis, nec possũt extendi ad alios etiam si causę expræssæ à capitulo generali vel à Magistro ordinis propter quas concesserunt illas gratias, in alijs militẽt & concurrãt. Vt est regula iuris in 6. quod alicui gratiosè conceditur, non debet alijs trahi in exemplum. *Regula* 74. Secus (inquit glossa) si esset ius commune.

Hęc dixerim vt ponderentur literę, & mentis acies figatur in id quod conceditur, & etiam in eos quibus conceditur gratia. Hac enim ratione acta capitulorum generalium dicunt. Concedimus prouinciæ Hispanię, vel bethicæ, &c. Vt non putes statim alias ꝓuincias ibi nõ expręssas vti tali gratia posse.

Sed contra, quia certũ est nos communicare priuilegijs & gratijs extra ordinem concessis, ergo à fortiori communicamus & gaudemus priuilegijs, & gratijs concessis intra ordinem Respõdetur, quod priuilegiorum communicatio & aliarum gratiarum

quæ nobis conceditur per ſummos Pontifices, maximè per Paulum tertium; non eſt niſi priuilegiorum vel gratiarum quæ à ſummo Pontifice, vel ab eius authoritatem habentibus conceſſa ſunt, in alijs autem non communicamus; quia horum communicatio nō conceditur, ſed illorum ſcilicet quæ à Papa dimanant. Quare conceſsionibus à capitulo generali, vel à Magiſtro ordinis factis alijs prouincijs, nō gaudemus nos huius prouincię religioſi. Nam vt dictum eſt, priuilegia decommunicandis priuilegijs tantùm extenduntur ad priuilegia Apoſtolica, vt legentibus patet.

Secundo nota, qnod quando Magiſter ordinis cōcedit reuerendiſsimis Epiſcopis ex noſtro ordine aſſumptis licentiam vt poſsint ſecum habere ſocium fratrem ex ordine, & indicta licentia mandatur prouincialibus ſub pręcepto, &c. tunc dato per mortem Magiſtri generalis non expiret dicta licentia, pręceptum tamen ibi poſitum ceſſat per mortē Magiſtri. Hoc patet ex litera huius prologi num. 8.

Vltimo eſt hic maximè notandū, quod ſicut nec Magiſter ordinis, neque capitulum generale poſſunt pręcipere neq; ſtatuere aliquid contra expræſſam conſtitutionē vt dicitur in gloſſa prologi nu. 6. ſcilicet, quod non poſſunt facere conſtitutionem niſi per tria capitula generalia; ſic nec concedere aliquid contra expræſſam conſtitutionē, maximè quādo tollitur ius tertij conceſſum alicui per ius noſtrū

& con-

& constitutiones. Verbi gratia. Conceditur magis-
tris in theologia habere locũ super omnes fratres,
& priores, excepto Priore conuentus. *distinct*. 2. *capit*.
8. *num*. 8. & post hos magistros conceditur idem, illis
qui fuerunt prouinciales in illa prouincia. Contin-
git autem postea Reuerendissimum destinare ali-
quem fratrem in visitatorem aliquarum prouincia-
rum, cui inter cæteras concessiones, concedit ei vt
habeat locum post prouinciales, cum aliàs iste Visi-
tator sit minor habitu quam pluribus quibus præfer-
rur loco: hoc quidẽ nescio quonãmodo potest fieri,
& tali visitatori concedi, quia in preiudicium mul-
torum, & contra ius nostrarum constitutionum vbi
supra, & *in distinct*. 2. *capit*. 11. *num*. 1. Vbi constitutio no-
stra statuit, & mandat, visitatores loca sua tenere,
nisi in capitulo. Et à magistris in theologia, & fratri-
bus qui fuerunt prouinciales non potest auferri id
quod ratione suorum laborum, & meritorũ consti-
tutio per tria capitula eis concessit, nimirum, habe-
re locum superiorem quia fuerunt patres prouin-
ciç. Cum igitur hoc priuari non demeruerint, neque
hac prçeminentia indigni iudicati sint, non apparet
ratio vt cõcedamus posse dicto visitatori indulgeri
talis gratia & concessio. Priuilegium namque su-
perioris non potest infringi ab inferiori, vt notat
Panormitanus, *Capit. nisi specialis*, *de officio delegati num*.
4. & glossa *capit. pro illorum*, *de prębendis*, 6. Nec potest
dici quod Reuerendissimus Magister authoritate

 sua

sua dispensat, quia hęc non dicitur dispensatio sed ablatio pręeminentiæ concessæ à superiore.

Cum hoc tamen stat, quod non licet resistere, & repugnare, sed reuerenter suscipere dicta & facta à Patribus. Seruo namq; quanuis liceat multa scire, non tamen multa loqui. Etenim cum dicimus & dubitamus quomodo fit hoc stante nostra constitutione, non de effectu dubitamus, sed qualitaté effectus humiliter inquirimus. Hanc doctrinam obserua, & applica quando Reuerendissimus noster generalis concedit alicui religioso tot annos antiquitatis.

Circa supra dicta est difficultas. Quia si vnum capitulum generale nõ potest facere, nec tollere cõstitutionem sed requirũtur tria capitula generalia continua; quomodo capitulum generale immutat ordinarium officij diuini, cum *in distinct. 1. capit.* 1. Sit cõstitutio exprçssa quod nulli liceat immutare dictũ officium diuinum ordinatum à Patre Magistro Vmberto? ad hoc respondetur, quod capitulum generale habet specialem commissionem à summo Põtifice ad hoc faciendum, vt videre est in breui Apostolico quod præfficitur nouis Breuiarijs. Itaque capitulum generale habet authoritatem mutandi, addendi rubricas ordinarij nostri, non obstanti quod ad id requirantur tria capitula.

COMMISSIONES. Hę commissiones capitulorum generalium aliquando seruiunt ꝓ admonitionibus quibus monentur prælati ad exequenda

quę

quę sunt officij sui; aliquando habent concesſionem & iuriſdictionem ad executionem illius quod committitur, quandoque etiam continet pœnam abſolutionis ab officio, & aliàs pœnas.

Si per iſtas commiſsiones inſtituatur viſitator alicuius prouincię, vel vicarius generalis, aduertendũ eſt, quod horum poteſtas non ceſſat per ſubſequens capitulũ generale niſi reuocentur vt infra dicemus. Cenſuræ autem ſi forte ſint aliquæ in dicta commiſſione contra turbãtes dictos vicarios generales ſeu viſitatores in executione ſuorum officiorum, expirabunt per ſubſequens capitulum generale. Obligatio tamen ad obediendum eis, & ad non perturbandos in executione ſuorum officiorum nullomodo expirat, quia ſunt verè viſitatores, vel vicarij generales quibus obedire ſub peccato mortali tenemur. Viſitator ſupradictus non habet locum, nec fideliũ quia talia non conceduntur ei à iure cõſtitutionum noſtrarũ: & quę nõ ſunt expræſſe conceſſa videntur ei denegata; ſed infra, *diſtinct. capit. 7. nu.* 2. Solummodo conceditur ei locus quando tenet capitulum, & in eo exercet ſuum officium, ergo aliàs non habet illum. Secundo, quia cum hoc non inueniatur ei cõceſſum, fieret iniuria prę͏̨latis ordinarijs, quod maximè ponderandum eſt, ergo. Et hoc practicatur in prouincijs Hiſpiniæ. Immo & Mexici fuit denegatus locus cuidam viſitatori, quia non erat vicarius reuerendiſsimi.

DENVNTIATIONES, Istę solent continere authoritatem Apostolicam illi capitulo concessam ad ordinandum, reformandumque quę à Magistro ordinis visum fuerit.

Sed aduertendum maximè est primo, quod quando capitulum generale denuntiat se aliquid statuere authoritate Apostolica sibi concessa, tunc inspiciendum est, an dicat, quod derogatur quibuscumq; priuilegijs, oraculis, literis Apostolicis in contrariũ facientibus. Quod si nihil dicat de huiusmodi derogatione, tunc priuilegium si quod habemus oppositum ad id quod capitulum generale ordinat, & statuit, non tollitur per dictam authoritatem Apostolicam. Vt docet glosso *in capit. quoniam, distinct. 8. & glossa in capit. sicut, de rescriptis. Syluester verb. priuilegium §. 10. part. 6. & glossa regulę 34. lib. 6.* Si autẽ in dicta authoritate Apostolica ponuntur derogationes, & nõ obstantię ad omne illud quod impedire potest; tunc in vniuersum nihil potest in oppositum allegari. Quia literę Papę tantum valent quantum sonant, & constat de volũtate eius. Syluester *verb. exemptio.* Vide Panormitanum *in capit. non nulli, de rescriptis, num. 10.*

Et quamuis aliqui dicant quod reuocatio, & derogatio priuilegij non fit, nisi fiat mentio specialis de primo, quod probant *ex capit. ex literis, de dolo & contumatia, & glossa ibi, litera A & ex capit. ex literis, de officio & potestate iudicis delegati, à principio, & capit. inter Monasterium, de sentent. & re iudicata.* Nihilominus dicendum censeo, ꝙ

per

per verba generalia plenissimè reuocantur priuile-
gia,statuta, & consuetudines. *Argumentum ex clement.*
dudum de sepulturis Secundo quoniam ex opposito in di-
rectè minueretur potestas Papæ. Nam cum priuile-
gia in facto consistant,& summus Pontifex non ha-
bet omnium memoriã,impossibile est quod de om-
nibus priuilegijs faciat mentionẽ de verbo ad verbũ.
Tertiò, quoniã iusta doctrinã Cardinalis in Clemẽt.
dudum,de sepulturis. Si in secundo priuilegio est a-
liqua specialis expręssio per quam apertè colligi-
tur mens disponentis,hoc sufficit ad reuocãdũ prio-
rem dispositionem, etiã si in primo diceretur quod
oporteret exprimi. Vnde Bartolus *leg. siquis,in principio.*
ff. de legatis & fidei commißis,tenet. Quod si testator dicit,
non obstanti quocumque testamento, etiam si in eo
sint verba derogatoria, talis expræssio dicitur spe-
cialis ad reuocandum. Quæ omnia maiorem debẽt
habere vim inter religiosos,quorum obedientia de-
bet esse promptissima. Vnde si capitulum generale
dicat. Authoritate Papæ reuocamus quodcumque
iudultum, &c. Id sufficit vt censeatur reuocatum;cũ
per illa verba apertè colligatur mens nostrorũ prę-
latorum. Hoc probat Emanuel *tomo.3.qq.regul.pag.224.*
colum.1.conclus.2. Vide,eumdem patrem *tomo.2. pag.272.*
& pag.569.& pag.335. artic. 8. Secundò aduertendum est;
quod si post acta capituli generalis summus Põtifex
concedat de nouo nostra priuilegia non obstantibus
quibuscumque,tunc aspiciendũ est an hęc cõcessio
sit

ſit indulta toti ordini, vel ſolũ aliquibus prouincijs quarum priuilegia ablata fuerunt per authoritatem Papæ, Capitulo generali conceſſam. Si primo modo, id eſt, toti ordini, tunc non reddũtur nobis priuilegia ablata per authoritatem Apoſtolicam cõceſſã capitulo generali; ducor hac ratione quia ſi redduntur illa, etiam redditur & reuiuiſcit iſta authoritas Apoſtolica conceſſa dicto capitulo; quæ authoritas aufert totum ei oppoſitum. Quod autem reuiuiſcat patet, quia conceduntur nobis omnia priuilegia quomodolibet conceſſa ordini noſtro, ergo. Si ſecundo modo concedantur ſcilicet, aliquibus prouincijs; tunc abſque dubio reddunt, & reuiuiſcunt omnia priuilegia aliàs conceſſa à ſummo Pontifice illis prouincijs, & cõſequẽter illa quę ſunt ablata per authoritatem illam capitulo generali conceſsã. Qua redduntur omnia ſua priuilegia quomodolibet per ſuos prædeceſſores conceſſa dictis prouincijs, non obſtantibus quibuſcumque quę impedire poſſunt ſtatui vel effectui huius denouo conceſsionis.

Dubium vnicum.

AN Statuta, leges & ordinationes capituli generalis, obligent ipſum reuerendiſsimũ Magiſtrum, & diffinitores, non ſolum quo ad vim directiuam, ſed etiã quoad vim coerciuam? Et ſimile dubium

dubium est de legibus & ordinationibus capituli prouincalis, & Diffinitorum ipsius met capituli, ita incurrant pœnas si statuta transgrediantur?

Pars negatiua probatur primo, si Magister ordinis & dissinitores tenentur seruare leges suas & statuta, ergo sibi met possũt imperare sicut & alijs, hoc est falsum, ergo illud ex quo sequitur, minor probatur, quia vt docet Diuus Thomas 1.2. *quæst.* 93. *artic.* 5. nemo sibi imperat, aut præceptum imponit, ergo tales prelati non possunt suis legibus se ipsos obligare ratione imperij.

Si dicas prælatos legis latores teneri suis legibus iure naturali, eo quod ratione naturali constat bonũ esse, caput membris conuenire, & concordare. Contra hoc sit.

Secundum argumentum. Nam quamuis ratione naturali constet, bonum esse & rationi consentaneũ principem suam legem seruare, hinc tamen non colligitur vt pecet suam legem non seruans, si alia ratione ad ipsius obseruantiam non obligatur. Probatur hoc, quia ratione naturali etiam constat bonũ esse sequi prudentis viri consilium in rebus agendis, & tamen si quis illud non sequatur, nõ ideo peccat. Secundo probatur, si Princeps seu legis lator deberet (ipso iure naturali constrictus) suam legem seruare vt reliquo corpori conueniat, non vtique posset secum pro voluntate dispensare, aut si re ipsa dispensasset, dispẽsatio nullius esset effectus quia

semper caput reliquis membris discordaret, quod esset contra legem naturalem. Ergo nullomodo tenētur dicti prȩlati suis legibus. Omissis varijs opinionibus in hoc dubio sit.

Prima Conclusio. Magister generalis est subditus suis legibus quod attinet ad vim directiuã. Hoc est. Non minus eis debet parere, quam debet quicumque alius inferior. Et ita non minus peccaret si illas transgrediatur, quam si vere inferior esset. Hæc conclusio non aliter probatur quam rationibus quibus probatur Principem secularem suis legibus subijci quia par est ratio. Et quod Princeps secularis teneatur suis legibus, est sententia D. Thomæ 12. *quæst.* 95. *artic.* 5. quem sequitur Conrradus, Caietanus, & recentiores ibidem. Magister Soto *lib.* 1. *de iustitia & iure. quæst.* 6. *artic.* 7. *Syluester verb. lex. quæst.* 14. *& Franciscus de victoria in relect. de potestate ciuili, num.* 21. idque sine controuersia tenent alij doctores. Id ipsum diffinitur *in in capit cum omnes, de constitut.* Vbi sic dicitur. Cum igitur quod quisque iuris in alterum statuat, ipse debeat vti eo; & sapientis dicat authoritas, patere legem quam tu ipse tuleris, mandamus, &c. *Et in leg.* 1. *ff. quod quisque iuris in alterum statuerit, vti ipse eodem iure vtatur, &c.* Et in alijs multis capitulis tàm iuris canonici quã ciuilis, iuris periti omnes distinctione illa prȩmissa de vi directiua, & coerciua idem omnino cum theologis docent.

Denique, omissis alijs quȩ parum habent momenti,

ti,hac sola ratione probatur nostra conclusio. Sicut ius naturæ præcipit vt inferiores superiorum mandatis,& pręceptis obediant, & ad illa se conformẽt. illis enim nõ obedire magna esset in corpore Mystico ordinis seu prouincię dissonantia cum suo capite:eodemmodo ratione naturali,constat legis latorem pręlatum vel superiorem vita, & moribus cum reliquo corpore conuenire debere quod si sua etiam statuta & leges non seruaret,sed ipse alio iure viueret quam subditi, multum à reliquo corpore ordinis vel prouinciæ discordaret, & rectę rationis regulam non teneret: id quod in detrimentum quoque ordinis, & rectæ gubernationis cederet. Hanc etiam rationem paucis insinuauit lex ciuilis nostri regni. Addit etiam aliam,quia legis lator ipse nimium in æstimatione populi vilesceret si legem suam non obseruaret.

Sed ista ratio non probat legis latorem sua lege teneri &obligari directe,sed solum ratione scãdali & boni nominis quod conseruare debet. Ratio igit̃ potissima ea mihi videtur esse, quã supra posui. Nimirum, quia eadem lege naturali qua subditus debet superiori obedire, superior etiam tanquam caput ad reliquum corpus conformari debet. Quare. legislator non potest suam regulam & legem obseruare ex affectu obedientiæ quia nullum agnoscit superiorem à quo pręceptum accipiat, sed tantũ ex affectu virtutis in cuius materia collocatur id,quod

lege ſtatutum eſt. Vt ſi ſit in materia ieiunij, poterit obſeruare legem ex affectu abſtinentiæ: & ſic de alijs, ſubditus vero ſeruare poterit legem ſibi impoſitam, & ex affectu obedientię, quia poteſt reſpicere legem vt tradditam à ſuperiori & prælato: & ex affectu eius virtutis quæ lege ipſa pręcipitur.

Hoc eodemmodo Epiſcopi ſubiecti ſunt legibus conciliorum prouincialium, & nationalium in quibus ipſi iudices & legis latores ſimul cum alijs fuerunt. Singuli enim eorum vere ſunt inferiores toti concilio. Id multo magis verum eſt reſpectu generalis concilij, in quo etiã Epiſcopi legis latores ſunt. Ita ſimiliter dicendum eſt in caſu noſtro. Quod ſcilicet, Magiſter ordinis qui cum capitulo & extra capitulum legislator eſt, ſuis legibus & ſtatutis teneri quo ad vim tantum directiuam. Quanuis non deſint qui dicant teneri etiam quo ad vim coactiuam.

Secunda concluſio, Magiſter generalis non tenetur ſuis legibus quod attinet ad vim coactiuam. Ita que ſiue ſint leges Magiſtri ordinis cum capitulo generali cuius eſt caput, ſiue ſint leges ſolius Magiſtri, ſi legem tranſgrediatur à ſe latam non fit reus pœnę per talem legem impoſitæ. Ratio eſt manifeſta. Quia cum pœna ſit coactio quędam, eſt actus ſuperioris qui ſolum inferiorem reſpicere poteſt. Vt benè notauit Caietanus, 12. *quæſt. 96. artic. quinto*. Sicut enim ſoli inferiori poteſt lex imponi per modum pręcepti, ſolus etiam inferior cogi poteſt per pęnã

ad

ad obſeruandum præceptum. Et cum Magiſter generalis debeat legem ſuam ſeruare ea ſolum ratione ne diſſonet toti corpori, non quia legi tanquam inferior parere debeat, efficitur, vt pęnæ legis nulla ratione ſubiaceat, quia pęnæ ſubiacere ſolum eſt inferioris, & ipſe Magiſter nec ſibi, nec alteri qui præceſsit ſubditus & inferior eſt. Secundo probatur, nã eadem quoque ratione qua doctores dicunt, ſecularem Principem obligari non poſſe ad pęnam corporalem, quod ſtatui ipſius indicens, & repugnans eſſet: affirmant Epiſcopos non obligari pęna excõmunicationis, aut interdicti, ſuſpenſionis aut irregularitatis, Et idem omnino venit dicendum de noſtro generali magiſtro: quia non minus hæ pęnæ ſpirituales repugnant cum ſtatu Epiſcopi, & Magiſtri generalis, prioriſque prouincialis: quam corporales cum ſtatu Principis ſęcularis. Vide Thomam Sanchez *tom.3. de matrimonio, diſput. 17. pag.* 889. Hoc tamen intelligendum eſt, de his pęnis quæ ab ipſis Magiſtris generalibus per ſuas leges & ſtatuta impoſitæ ſunt. Secus eſt de pęnis quæ ab ipſo Capitulo poſſunt eis infligi ſecundum noſtrum ius, & conſtitutiones noſtras. Vt videre eſt *in diſtinct. ſecunda capit.* 8 *lit.* E. & de Priore prouinciali ait cõſtitutio noſtra infra *diſtinct. 2. capit. 7. num.* 3., quod diffinitores prouincialem confeſſum, vel conuictum ſeu proclamatum emmendent, & pęnitentiam ei in iungant.

Tertia concluſio, diffinitores tàm Capituli gene

ralis quam prouincialis tenentur legibus suis non solum quoadvim directiuam,sed etiam quoad vim coactiuam,seu coerciuam & pœnam;& transgredien tes iuste possunt puniri sicut reliqui subditi,ducor ra tione manifesta, Nimirum,quia nullus eorum sigi- llatim habent authoritatem supremam ad ferendas leges,sed simul cum alijs. Ita enim solum quilibet ordinem seu prouinciam representat, quare, cum quilibet eorum legem transgreditur, cum singula- ris persona & subditus sit, non solum peccat trans- grediens statuta ,sed etiam pœnam incurrit.Singu- li namque eorumvere sunt inferiores toti capitulo.

Hinc colligo quod diffinitores non possunt dispē sare in legibus,& ordinationibus capituli, sicut ego vidi multoties(meo videri) male facere durante eo rum officio.Hoc patet ex supradictis, Nam si singu li eorum sigillatimnon possunt leges condere,sed si- mul cū alijs, ergo nec singuli eorum possunt in eis dispensare,patet consequentia ex regula iuris in *6. omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem disoluitur.*

Ad argumentum respondetur. Ad primum dico primo, quod Magister generalis ordinis, seu prior prouincialis quo ad vim directiuam subduntur legi bus suis à propria voluntate, secundū quod dicitur, *extra de constitutionibus,capit.cum omnes,*quod quisque iure &c.vt dictū manet in prima conclusione.Item,quia in properatur his à Domino, qui dicunt, & non fa- ciunt,& qui alijs onera grauia imponunt,ipsi autem

nec

nec digito volunt ea mouere. Math. 23. Itaque, debent tales legis latores & prælati voluntarij, & non coacti suas leges implere. Ita Diuus Thomas 1. 2. *quæst. 96. artic. 5. ad 3.* Secundò respondetur ex doctrina supra posita, quod scilicet, legis lator nõ tenetur ad implere suam legem ex affectu obedientię, quia nõ habet superiorem à quo præceptum accipiat, sed ex affectu virtutis in cuius materia collocatur id, quod lege statutum est. Tertiò respondetur, quod legis lator suo præcepto & lege imperat sibi, non directè & primario, sed cõsecutiuè & secũdariò. Et potest adduci exẽplũ de illo qui satisfacit rei publicę seu cõmunitati de aliquo dãno à se reipublicę seu cõmunitati illato. Ille in quam per se, & primariò satisfacit rei publicæ lesę, secundariò verò satisfacit sibi met inquãtũ pars reipublicę. Nõ dissimiliter dicendũ cẽseo in casu argumenti. Scilicet, quod dicti prælati & legis latores quando suis legibus imperant, & pręcipiunt suis subditis, & toti communitati, secundariò & consecutiuè imperãt sibi ipsis tanquã capiti illius Mystici corporis, ne caput dissonet membris.

Ad secundum respondetur, concedendo esse aliquod iudicium rationis proponens id quod bonum est, quod tamen non necessariò est sequendum. Aliqua enim sunt bona quę ita sub consilio sunt vt qui ea non sequatur, hoc ipso non peccat. At vero illud iudicium rationis quod aliquid vt bonum ita proponit, & secundum rationem, vt oppositum iudicetur

rectę

rectę rationi dissentaneum & contrarium; tale iudicium est sequendum. Atque huiusmodi est iudiciũ quo iudicat ratio naturalis caput conuenire debere in moribus cum membris; hoc enim iudicat bonũ vt oppositum contra rationem rectam esse iudicet. Ad secundam probationem respondetur, verũ esse, legis latorem non posse secum pro voluntate dispẽsare sed ex iusta causa, quod patet optima ratione. Nam si ex voluntate sua absque iusta causa liberè penderet se ipsum à lege sua liberare, numquã posset sua lege teneri, nam qui potest vt libet contra aliquam legem sine culpa operari, nullomodo tenetr̃ illa. Ita Vasquez *in materia de legibus, disput.* 178. *capit.* 4. Quando verò fit dispensatio cum causa non est discordatio capitis cum cęteris membris, cum illis etiam indulgeatur quando vrget causa.

Litera prologi, num. 8.

ORdinationes tam Capitulorum generaliũ quã Magistri ordinis) quo ad vim præcepti & cẽsurarum ecclesiasticarum) cum ipsis expirare volumus. Quo ad reliqua verò quomodolibet per generale capitulum, vel Magistrum ordinis facta, durare volumus, donec per cõ similem potestatem fuerint reuocata.

Ex hac litera constat, potestatem condendi leges

regi-

reſidere in capitulo generali,& in Magiſtro ordinis. Non dico prȩcipiendi ſimplici tantũ mandato ſed imponendi ſtatutum commune quod ſemper durat, toti communitati. Hȩc autem facultas cõdendi leges omnino pendet à ſummo Pontifice approbante religionem. Quare, ſicut poteſt illam poteſtatem omnino tollere, ita & limitare prout libuerit. Non tamẽ poteſt tollere iuriſdictionem ſi velit vt maneat religio; quia hæc eſt de ratione religionis, & religio nõ eſt quȩ non habeat religioſum aliquem vt caput,& ſuperiorem & cui non ſit conceſſa facultas vt ſimul congregata ordinationes, & canones qui vim legis obtineant, edere poſsit.

Contra literam prologi arguitur *ex Capitulo generali apud Caſtras celebrato, anno* 1352. Relato à Magiſtro Bandello in ſua gloſſa, *verbo, prohibemus ne de cætero.* Vbi dicitur, declaramus, quod ordinationes & præcepta Magiſtri ordinis,& prouincialium poſt eorũ mortẽ vel amotionem in ſua maneant roboris firmitate, quo vſque per ſucceſſores eorum fuerint reuocatȩ ergo malè dicitur in litera quod præcepta capituli, & Magiſtri ordinis cum ipſis expirant. Ad hoc reſpondetur, quod prædicta gloſſa noſtrarum conſtitutionum corrigitur per hanc literam, tanquam ius antiquum per nouum, & tanquam gloſſa per textũ. Quoniam (vt dicemus infra) ea quæ capitulum prouinciale, vel prior prouincialis ordinant,& ſtatuũt, cum ipſis expirant. Quæ vero capitulum generale,

vel magister ordinis faciunt semper durant, exceptis præceptis & censuris vt diximus. Vnde priuilegia quæ magister ordinis vel Capitulum generale concedunt prouincię, vel conuentui, vel alicui fratri, semper ipsis mortuis, seu eorum officijs finitis, durant. Dicitur enim in litera, quo ad reliqua vero quomodolibet per ipsos facta, durare volumus donec per consimilem potestatē fuerint reuocata. Hoc idem fuit declaratū in capitulo generali Romę celebrato anno 1589. Quo ad illud autem quod prædicta glossa capituli generalis apud Castras, inquit, vide licet. Et idem dicimus de gratijs factis per eosdē exceptis dumtaxat exēptionis: non venit corrigenda, quia loquitur cōformiter ad ius commune pro quo.

Notandum est primo, quod priuilegium à Prouinciali, fratri concessum, si non sit exēptionis, non cessat mortuo prouinciali. Ducor, quia secundū ius cōmune beneficiū principis decet esse per mansurū *de regulis iuris in 6. Regula decet, & capit. si super gratia de offic. legati. lib. 6.* Sic dicunt iuristę de gratia cōcessa, quę est de se perpetua, nisi sit ambitiosa, vt retinere plura, beneficia. Et ita dicunt intelligi debere Capitulum *si gratiose de rescriptis, in, in 6.* Si ergo cōsonat dicta glossa iuri communi dicenti quod huiusmodi gratia nō cesset, non est cur dicamus quod corrigatur ordinatio capituli generalis, quia correctio legum est vitanda secundum Parnormitanū *in cap. in omni, de testibus num. 1.* Illa dico quę prouincialis commisit, & concessit

sit authoritate sui officij, quoniam illa quę concessit, authoritate breuis Adriani Sexti, vel Clementis VII. in indiarũ partibus, clare constat nõ cessare.

Sed est dificultas, quare non cessat officium prioris dati alicui conuentui per prouincialem, mortuo prouinciali qui eum instituit? ad hoc respondetur, quod non cessat, quia iurisdictio prioris nõ est à prouinciali, sed à lege quæ numquam cessat etiam re integra. Id est, etiam si non exercuerit iurisdictionẽ mortuo prouinciali. Ita Panormitanus *in capit. relatũ, de officio delegati, num.* 4. Quia iurisdictio ordinaria radicatur in persona, & inheret ossibus eius qui illam habet, & cui conceditur. Secundo, quia secundum cõmune axioma, id quod nostrũ est, sine facto nostro à nobis tolli non potest. Et hoc intelligunt iuristæ de iurisdictione quę habetur à lege à consuetudine à principe, nam hæc est ordinaria quæ non expirat per mortẽ illam concedentis. Si tamẽ lex vel Princeps dicit, delegamus vt facias hoc authoritate nostra, tunc lex vel Princeps tale concedens facit eum delegatum. Vide glossam *in capit. primo de Clerico egrotante, lib. 6.*

Sed contra hoc arguitur, quia vicarius Episcopi habet potestatem ordinariam, & tamen illa cessat per mortem Episcopi, ergo similiter cessat authoritas talis prioris quamtumuis ordinaria patet consequentia ex paritate rationis. Ad hoc respondetur, verum esse vicarium Episcopi habere authoritatẽ

 ordi-

ordinariam, illam tamen habet accessoriã, idest, ab Episcopo & ita cessat. *Gloßa* Clemẽt.1.*de offic. Vicarij.*

Secundo Notandum est, quod gratię quas Magister ordinis, vel capitulum generale concesserunt, etiam si sint exẽptionis (vt sunt multa quæ his prouincijs indiarum concesit Magister ordinis Vincentius Iustinianus) nõ cessant. Hoc dictum probatur ex litera, in qua dicitur, *quo ad reliqua verò quomodolibet per eos facta durare volumus.* Quomodolibet dixit, vt includeret omnem modum concesionis. & qui totum dicit per illam vniuersalem, *quomodolibet*, nihil excludit, quod totum consonũ est, (vt dixi) iuri canonico.

Ab hac Regula constitutionis excipitur, si quem Magister ordinis vicarium totius ordinis instituisset hunc enim cum ipso expirare volumus ait prologus Manu.8. Vbi aduertendum quod non dicit, si quem Magister ordinis Vicarium talis Prouinciæ instituisset: sed si quem vicarium totius ordinis, etenim hic expirat, ille vero minime, itaque Vicarij Magistri ordinis generales aliquarum prouinciarum, vel particulares, non cessant per mortẽ Magistri ordinis qui eos instituit, secundo est aduertendum quod cunstitutio non loquitur de vicario etiã totius ordinis instituto a capitulo generali, sed a magistro ordinis.

Pro maiori horum intelligẽtia est Notandũ, quod secundum iura canonica. *in Capitulo Relatum, de officio delegati.* delegatus expirat per mortem eius qui eum instituit, excepta causa per eum excepta, & hinc est

& pro-

& prouenit, quod per mortem Episcopi expirat eius vicarius *cap.1.ne sede vacante. Syluester verb. vicarius, § 4. part. 6.* ratio est, quia iste non habet iurisdictionem à se, sed ab Episcopo, & sic habet vicẽ Episcopi, qua propter mortuo Episcopo necesse est etiam finiri illum qui vices eius gerit. Ab hac autem regula iuris canonici excipit constitutio nostra vicarium institutũ a Magistro ordinis super aliquam prouinciam. & si aliquamdo officium huius vicarij finiebatur, finiebatur quidem per iura allegata. Cõstitutio vero nostra a Summo Põtifice approbata vult, quod non cesset, nec finiatur per Magistri ordinis mortem.

Reddit iterũ litera prologi.

ORDINATIONES Tam capitulorum generalium quam Magistri ordinis (quo ad vim pręcepti & censurarũ) cum ipsis expirare volumus. &c. iam supra diximus quod litera ista, nu. 8. concedit non solum durare perpetuo ordinationes capituli generalis, & Magistri ordinis, sed omnia alia quomodolibet per ipsos fuerint facta, & sic cõmissiones, concessiones, confirmationes, & approbationes semper durant quousque fuerint reuocatę: maximè propter exceptionem subsequentem ad clausulam generalẽ, videlicet, si quem vicarium totius ordinis Magister instituisset, quia cum eo expirat. exceptio enim fir-

mat Regulam in contrarium. *leg. quæsitum § denique. ff. de fundo instrum. l. nam quod liquidè, § vltimo ff. de penu. legat.* & quia in eadẽ litera exprẹssatur quod prẹcepta & censurẹ tam Magistri ordinis, quam Capituli generalis cum ipsis expirãt, ideo statim se se offert difficultas.

Quando scilicet, dicetur expirare capitulũ generale vt præcepta & censuræ eius cum eo expirent & quamuis ibi in litera textus videatur respõderi, dum dicit, vita vnius Capituli vsque adsequens Capitulum intelligitur. Amplius tamen interrogamus, scilicet, cessatne capitulum quando alterum capitulum incipit celebrari, an post publicationem actorũ ibi factorum? Ad hoc Respondetur quod post publicationem actorũ dicitur capitulum celebratum & factum; & aliud præcedens expirare cum præceptis & censuris in eo contẽtis, nec oportet quod expectetur dictorum actorũ publicatio inquolibet conuentu vel prouincia, sed sufficit ad hoc quod cessent dictæ ordinationes, quod in illo capitulo publicentur nouæ. Argumentũ, quia die Penthecostes quãdo lex Christi publicata fuit, cessauit lex vetus per omnes mundi partes. Vide Magistrum soto, *lib. secundo de iustitia & iure, quæst. 5.*

Sed adhuc est difficultas, sufficiet ne prẹterisse feriam sextam in qua acta Capituli cõmuniter leguntur ad hoc quod non teneantur absentes, præceptis capituli præteriti, vel requiritur habere prius notitiam & certitudinem quod novum capitulũ iam celebra-

lebratum fuit? ratio dubitandi est, quia forte dictum capitulum non fuit die statuta celebratũ propter aliquod impedimentum, & ita dictæ censuræ & prȩcepta non cessauerunt; sed adhuc manent in suo robore. Ad hoc Respõdetur quod sufficit prȩterisse tempus, quo acta capituli prȩteriti statuerunt celebrandum & finiendum futurum capitulum, videlicet, feriam sextam, ducor, quia in moralibus ad ea quȩ communiter eveniunt respicere debemus, & non ad ea quæ raro & casu cõtingere possunt. vt inquit Diuus Thomas *secunda secundæ, quæst.* 147. *Artic.* 4. Sed sic est, quod moraliter & regulariter loquendo, Capitulum semper celebratur die statuta in actis capituli prȩteriti, ergo secundum tale tẽpus debemus colligere & regulare an cessauerint prȩcepta, necne.

Litera prologi. num. 8.

AB Inferioribus autẽ Capitulis & Prælatis, quomodolibet ordinata, cum ipsis (tãquam ab homine ordinata) expirare volumus, exceptis supprioribus, & confessoribus. &c. hos enim volumus durare cum ea quam habent authoritate, donec reuocentur. &c.

Ex hac litera colligitur, quod gratiȩ aliæ (præter ibi exprȩssas) per capitulum Prouinciale, & per Priorem prouincialem & conuentualem concessæ, expirant

rant,finito eorum officio. Verbi gratia. Cōcefsit Prior prouincialis,vel conuētualis alicui Religioso vt vteretur lineis,carnibusque vesceretur, absolueretur à tali vel tali casu,& huiusmodi,mortuis his prelatis, vel finito eorum officio,expirat talis concesśio. inquit enim litera. Quomodolibet ab eis ordinata expirent,exceptis confessoribus,&c.nam exceptio firmat Regulam in contrarium,vt dicitur in iure. de officio confessorum fusśius reddibit infra sermo.

Dubium. I.

SOLENT Priores nouiter electi,suis fratribus in capitulo vel extra,dicere omnia persistant sicut meus predecessor statuit,& ordinauit,donec mihi aliud visum fuerit. Dubitatur modo, An dictus frater qui licentiam habebat ad lineis vtendum, & aliam similem,posśit vti dicta licentia?&idemmet dubium est de Priore Prouinciali.

Videtur Religiosos posse vti dictis licentijs. Prior enim potest illas concedere,& per illa verba apertissime constat de eius voluntate, ergo Subditi absque vllo scrupulo talibus licentijs possunt vti.

Conclusio est negatiua,&probatur. quia cum gratiæ illæ omnino cessauerint finito officio prioris,vel prouincialis qui illas cōcefsit,non apparet quomodo per illa verba generalia de nouo concedantur, requi-

requiritur enim secundum iura specialis notitia earum, quia in generali concessione non veniunt ea quæ quis in specie non concederet, *de regulis iuris in 6. regula* 81. maxime cum sint gratię ambitiosę cõtra ius nostrarum constitutionum, quarum concessio oportet esse expressa.

Dubium 2.

SVPPOSITA Litera textus vrget non leue dubium, videlicet Prouincialis confirmat fratrem aliquem electum in priorem vel eum instituit quia potestas eligendi deuoluta est ad dictum prouincialem; antequam Prior acceptet confirmationẽ, vel institutionem moritur Prouincialis. Dubitatur modo an expiret confirmatio seu institutio prioris per mortem confirmantis seu instituentis? videtur cessare virtute nostri iuris in hac litera textus.

Notandũ est ex doctrina iuristarum quod est differentia inter iurisdictionem ordinariam & delegatam, quam supra vidimus, & insuper quando cõmittitur talis ordinaria iurisdictio non expirat per mortem illam concedentis etiam re integra, cuius ratio est, fauor publicus, vtilitasque publica quæ in iurisdictione ordinaria seruanda versantur. ita baldus *leg. meminisse, nu.2.q.4.ff de officio pro consulis* tamẽ quia iuristę non faciunt mentionẽ quid iuris si ille delegans mo-

 ritur

ritur antequã acceptet ille cui talis iurisdictio committitur, id circo mouetur præsens dubium.

Quod expiret dicta cõfirmatio seu institutio patet ex litera huius textus, videlicet ab inferioribus autem capitulis & Prælatis quomodolibet ordinata, cum ipsis tanquam ab homine ordinata, expirare volumus, ergo.

Si dicas quod in hoc casu idem venit dicendum quod infra *distinct.2.cap.3.nu.8.* decernit cõstitutio nostra circa cõfirmationem prouincialis per Magistrũ ordinis, ait enim, quod si post confirmationẽ prouincialis per Magistrum ordinis factam, antequam ad electum ipsa confirmatio perueniat, Magistrum ordinis mori, vel a moueri contigerit, cõfirmatio suum sortiatur effectum, & cum in casu nostro sit eadẽ omnino ratio consequẽter debet esse eadem iuris dispositio. contra hoc fit.

Secundum argumentũ, *ex Regula iuris in 6.* quod alicui gratiose conceditur non debet trahi ab alijs in exemplũ. *Regula* 74. Ergo quanuis constitutio nostra loco citato concedat, quod confirmatio prouincialis per Magistrum generalẽ facta suum sortiatur effectum, si mori vel a moueri magistrum contigerit antequam confirmatio accedat, non ideo extendendũ hoc est ad confirmationẽ factam de Priore conuentuali, per priorem Prouincialem.

In contrarium est, quia (vt diximus) vbi est eadẽ ratio debet esse eadem iuris dispositio. Panormit. *cap.*

nihil

nihil de electione, quare idem dicendum est de cõfirmatione prioris conuentualis per Prouincialem facta, sicut dictum est de confirmatione prouincialis facta per Magistrum ordinis, in fauorẽ ecclesiæ viduatæ. *Argumentum ex capit. ne pro defectu de electione*. Secũdo, quia ista cõstitutio est sicut lex cõmunis in ordine nostro, & per consequens pro bono communi instituta, ius autem commune extendi debet per identitatẽ rationis, vt aiunt iuristæ, maxime Panormitanus, *in capit. Canonica, de sentent. ex communicac. num. 1. & in cap. sane, de priuilegijs*, ait, quod si in lege exprimitur vna persona tantum, videtur illa expræssa causa exempli, non quod dispositio legis ad illam dumtaxat personã restringatur. Secus in Priuilegio quod datur ex causa speciali tali personæ. Ad Primum argumẽtum Respondetur, quod non obstat id quod exprologo allegatur nam huiusmodi prouisio, seu confirmatio non est de genere illorũ quę ibi ordinantur expirare cum morte illius qui talia ordinauit & pręcepit. est enim velociter supplere negligentiam electorum pro vitandis periculis quę ecclesijs, vel monasterijs viduatis vel sede vacante evenire solent ex dilatione electionis, & prouisionis pręlatorum, vt deciditur *in cap. ne pro defectu de electione*, secundo, quia confirmator in prouisione, seu confirmatione nihil proprium facit, nec ordinat, sed est executor illius, quod & ius canonicum, & constitutio nostra infra distinct. 2. cap. 2. nu. 3. ei pręcipiunt; vt scilicet, prouideat de prælatis Ec-

cleſijs vacãtibus,maxime cum ſit periculum in mora vt dicit dictum capitulum *ne pro defectu*,itaque,cum hæc confirmatio non ſit qualitatis aliarum ordinationũ quas Prouinciales,& prçlati inferiores facere ſolent in executione officij ſui,non comprçhenditur in illis quæ ex prologo allegantur.neque fuit intẽtio Patrum per tale ſtatutum ordinare, quod ceſſet res quæ petit velocem prouiſionem,& quod conuentus habeant ſuos proprios rectores &Paſtores.quod autem non fuit talis eorum intentio patet,quia vt ibi habetur,ordinatio illa facta fuit,ne multitudine mandatorum prælati onerarent ſuos fratres;vt ſtatim in num.9.vidẽti patebit.de cuius qualitate non eſt prouiſio,& cõfirmatio prioris facta a prouinciali vt dictum eſt.

Ad ſecundũ Reſpondetur,negãdo quod illa conſtitutio noſtra diſtinct.2.cap.3.non ſit extendenda ad confirmationem factam per Prouincialem,illa enim conſtitutio non eſt gratia,nec priuilegiũ,neque particularis conceſsio,ſed lex,quæ per identitatẽ rationis recipit extenſionem. lex inquam, quia vt iam ſupra vidimus.ordinata à Magiſtro ordinis non expirant per mortem eius.

Dubium 3.

VTRVM Capitulum Prouinciale poſsit facere ſtatu-

ſtatuta perpetua quæ perpetuo durent, ſicut poteſt Capitulum generale & Magiſter ordinis?

Videtur quod ſic.nam (vt ſupra diximus in principio huius prologi) cum conſtitutiones noſtrę iura ſint particularia,& ſub nomine Prouincialis,vel capituli prouincialis in toto corpore iuris non eſt inuenire vbi tractetur de eorum poteſtate: neceſſe eſt per iura canonica probare poteſtatē tam noſtrorum prælatorum quam capitulorū,argumentando à ſimili more iuriſtarū quod genus argumētandi valde conſonum eſt rationi.cum vbi eſt eadem ratio, eadem quoque debeat eſſe iuris diſpoſitio,vt ait Panormit. vbi ſupra,dubio præcedenti.ſed ſic eſt,quod Capitulum ſynodale quod Epiſcopi faciūt cum clericis ſui Epiſcopatus (quod innoſtro ordine correſpōdet capitulo prouinciali)poteſt facere ſtatuta,& leges perpetuas,ergo & noſtrum capitulum prouinciale.patet conſequentia ex paritate rationis.

In cōtrarium eſt litera prologi,ſcilicet,ab inferioribus autem capitulis & Prælatis quomodolibet ordinata,cum ipſis expirare volumus.

Notandum eſt in hoc dubio quod Epiſcopi & Archiepiſcopi ſine ſynodo non poſſunt facere ſtatuta perpetua,ita ſylueſter.*verb.conſtitutio,& verb.lex* § 4.vbi inquit,quod huiuſmodi ſtatuta,&leges poſſunt facere Summus Pontifex,& Generale conciliū eius authoritate factū.& legatus Papę in prouincia ſua,Archiepiſcopus cum ſuo Concilio prouinciali,Epiſcopus in

synodo. & ita excõmunicationes quas soli Archiepiscopi, vel episcopi faciũt, post eorum mortem cessabunt. ita Panormitanus, *in capit. a nobis de sentent. excommunicationis, num.* 12. ex quo colligitur, quod cessare pręcepta vel censuras, ordinationesquè Prouincialium post eorum mortem, vel finito eorum officio, est conformiter ad ius commune canonicum. ratio horum est. quia secundum iuristas *in cap. nemini, de offic. delegati.* Statutũ, lex, Canon, sunt ex sua natura, perpetua. cum autem id, quod ordinant, & mandant pręfati pręlati ipsi soli, cum ipsis expirat, consequẽter sequitur quod non possunt facere statuta, leges, & canones. Capitulum autem prouinciale nostri Ordinis, quod equippolet capitulo synodali supradicto, poterat similiter facere statuta, & ordinationes perpetuas sicut episcopi cum suo synodo, vt probat argumentum a principio factum. at per nostras cõstitutiones ablata est hęc potestas & merito: ne multitudo ordinationum laqueum inijceret animabus subditorum, & animos in obedientes pareret, & nutriret.

Capituli prouincialis nomine in nostro ordine veniunt omnes electores prouincialis. Dicitur enim infra *distinct. 2. capit. 7. num.* 1. Capitulum prouinciale appellamus, Priores conuentuales cum singulis socijs, & Prędicatores generales, & Magistros in Theologia & qui fuerunt prouinciales, vt dicitur capitulo octauo. Hoc dixerim, non quia omnes supradicti in vnũ congregati sint, legum & ordinationum latores; hoc

namq;

namq; pertinet ad Prouincialem & diffinitores, apud quos residet talis authoritas modo supradicto, sed vt intelligas quod multoties vsurpant sibi diffinitores authoritatem capituli prouincialis. Verbi gratia si ad expellendum fratrem incorregibilem deberet consentire maior pars dictorum qui vocantur capitulum prouinciale, non sufficit solus consensus diffinitorum, quippe qui non sunt Capitulũ prouinciale. Vide pro hac materia compendium priuilegiorum *Verbo eijcere, concessione* 4. Vbi author quam plurima bona adducit.

Huius Capituli prouincialis authoritas & potestas consistit, in maiori & saniori parte. ita quod totũ capitulum facere dicitur, quod facit maior pars & sanior iusta sacros canones. *cap. cum in cunctis. de his quæ fiunt à maiori parte capituli.* Verum tamen est quod quando maior pars capituli delinquit, & propterea est sua potestate priuata: tunc tota capituli potestas residet in minori parte quæ non deliquit. ita notat Panormitanus *in capit. primo. de his quæ fiunt a maiori. &c.* & iusta hoc debet intelligi concessio Clementis tertij, & Celestini tertij facta Carthusiensibus qua dicitur, quod quanuis capitulo omnes capitulares interesse nequiuerint, quidquid tamen a maiori parte & saniorum consilio statutum fuerit, ratum ab omnibus obseruari debet.

Circa potestatem Capituli prouincialis in his Indiarum partibus sunt aliqua notanda. Primo, refert

Pater

Pater Alfonſus a Veracruze inſuo priuilegiorũ compendio quod poteſt diffinitorium capituli prouincialis confirmare vel caſſare fratrem electũ in Prouincialem, & ad acceptandum dictum officium cenſuris Eccleſiaſticis compellere. Et ſi contingat dictũ diffinitorium inpartes ęquales diuidi, tunc ab eodem diffinitorio vnus Religioſus eligatur de dicta Prouincia: & ea pars diffinitorij cui talis electus adhæſerit Prouincialem caſſet, vel confirmet pro vt videbitur expedire, ita cõceſsit Clemens ſeptimus anno Dñi milleſsimo quin gẽteſsimo trigeſsimo ſecundo

Pro huius conceſsionis declaratione, Nota, quod nomine diffinitorij in hoc priuilegio venit, vicarius generalis qui ibi prę eſt, & quatuor Diffinitores: quia abſque capite nequit diffinitoriũ conſtare. Et ſi quęras, quomodo poterit tunc diffinitorium inpartes ęquales diuidi cum ſint quinque, quatuor ſcilicet diffinitores, & Vicarius generalis qui præ eſt? Reſpondetur, quod quando vicarius qui ibi prę eſt eligitur in Prouincialem, ne dicta conceſsio fruſtranea reputetur.

Secundo eſt notandum, quod licet frater iſte qui debet eligi quando diffinitorium ſe inpartes æquales diuidit appareat prima facie quod debet eſſe filius prouinciæ, quia alius non dicitur de iſta prouincia, ſed de Hiſpaniarũ prouincijs, at non debet intelligi niſi de fratre aſsignato in hac prouincia, quamuis non ſit filius eius. ducor, quia quando noſtrę prędicatorum conſtitutiones volunt hanc diſtinctionem facere

cere illam exprimunt. Vt patet de diffinitore capi tuli generalis,&de socio eius,vt habet̃ infra,*distinct.* 2.*cap.*5.*num.*4.

Possunt etiam diffinitores capituli prouincialis (ex priuilegio Reuerendissimi Ioannis Fenarij)Prouincialem absoluere in casu scandali notabilis procurationis pecuniarum pro negotijs proprijs. Aut si in Hispaniam non expectato eorum consilio & cõsensu venerit.Aut (quod Deus àvertat) prouinciã in irregularis vitę detrimentum apertè gubernare videbitur.Et aduerte quod hoc priuilegium,seu beneficium perpetuo durat nisi reuocetur , vt dictum est in hoc prologo,num. 8.

Ioannes PogiusCardinalis à latere anno millessimo,quingentissimo,quinquagessimo,tertio,authoritate Apostolica Iulij tertij,concessit capitulis,& congregationibus fratrum prædicatorum, & fratrũ minorum,& fratrum Diui Augustini prouinciæ Nouæ Hispaniæ,vt in quolibet capitulo ex dictis ordinibus tres,vel quatuor dictorum ordinem professores idoneos in confessores pęnitentiarios nuncupãdos; qui omnes, & singulos vtriusque sexus ad eos accedentes,ab omnibus peccatis , à quibus locorũ ordinarij absoluere possunt absoluant.Et super casibus eisdẽ ordinarijs reseruatis dispensare possint. Ac vota quæ ipsi ordinarij possunt commutare,possint ipsi liberè & licitè commutare . Concessit hoc perpetuo authoritate Apostolica ad perpetuam rei

memoriam. Et notandum quod si prouincialis concedat dictis confessoribus omnimodam authoritatem Adriani Sexti, & authoritatem Clementis Septimi; & aliorum summorum Pontificum qui indulta pro his partibus concesserunt, habebunt ampliorẽ authoritatem illa quam concedit supradictus Cardinalis.

Capitulum prouinciale ex breui Pij Quinti concedit fratribus licentiam ad officium Parochi exercendum. Circa hanc potestatem à summo Pontifice concessam fratribus indiarum, est notandum primò quod talis potestas partim est ordinaria, & partim delegata. Ordinaria quia à summo Pontifice conceditur, & dignitati & officio, id est prȩlatis, & respectu suorum subditorum fratrum, hoc dictum probatur, quia iurisdictio & potestas dimanans ex cõmissione perpetua facta à Papa, & concessa dignitati & officio, est ordinaria. Est delegata, quia nõ potest concedi nisi in capitulo prouinciali vel congregatione quæ habet vim & locum capituli pnouincialis. Itaque limitatur hȩc potestas quod scilicet, conferatur in capitulo prouinciali, vnde nisi ibi committatur vel obtineatur nihil valebit, quia nõ seruatur forma rescripti, & sic ruit quidquid super hoc ȩdificetur, vt notat Syluester, *verb. absolutio 3. nooab. secundo.*

Potestas hæc quæ conceditur per Brebe Pij Papæ Quinti potest in capitulo dari omnibus præsentibus & absentibus, hoc modo. Nos Prouincialis & diffini-

tores

tores huius Capituli prouincialis authoritate ſanctiſsimi Domini noſtri Pij Papæ Quinti in hac parte nobis conceſſa, damus poteſtatem omnibus ſacerdotibus huius noſtræ prouinciꝫ qui linguam indorum calent, vt eiſdem poſsint adminiſtrare Sacraměta prout & ſicut in ipſo breui continetur. In hac forma committendi authoritatem ſeruatur quidquid in breui mandatur. Quippè non dicitur ibi quod fratres ipſi ſint prꝫſentes, vel examinentur, ſed quod obtineāt huiuſmodi licentiā in capitulo prouinciali.

Dixi qui linguā indorum calent. Quia hoc ipſamet ratio dictat, maximè, ſi vicarij ſint. Et conciliū Tridentinum ſeſsione ſeptima, capit. 3. mandat, quod collatio beneficij curati facta perſonis non habilibus, & qui in loco nō reſidere Ac per ſe ipſos curā exercere non valent, omnino irritetur. & ordinarius collator pœnas cōſtitutionis concilij generalis, quæ incipit, *graue nimis*, ſe nouerit incurſurum, & ita in Regulis iuris Rotæ Romanæ, Regula de idiomate mandatur, quod is qui Eccleſiꝫ parrochiali prouidetur, niſi intelligat, & intelligenter loquatur idioma loci vbi huiuſmodi eccleſia conſiſtit, prouiſio, ſeu mandatum & gratia quoad parochialem eccleſiam, nullius valoris ſit. Doctor Ludouicus Gomez, quæſt. 6. dicit quam plurima ab hanc materian conducentia.

Scito tamen quod ſi beneficium curatus ſeu Vicariam habet indignus non tenetur renūciare, ſed procurare vt bene regatur per alium vel alios ſciētiam

& peritiam linguarũ habentes, ratio eſt, nam quamuis commiſſum iam ſit peccatum mortale in diſtributione tali, at quia iam non periclitatur diſtributio beneficij curati. ſed res diſtributa videlicet, cura animarum, & poteſt prouideri de coadiutore, ideo non tenetur relinquere beneficiũ, ſed procurare debitum regimen illi. ita Magiſter Victoria 2.2. *quæſt.* 185 *Caietanus in ſumma verb. beneficium, in fine.*

Sed contra, quia Concilium Tridentinũ, vbi ſupra inquit quod collatio beneficij facta perſonis non habilibus; & qui per ſe ipſos curam exercere non valent omnino irritetur, ergo beneficiarius non ſatisfacit ſi per coadiutores & non per ſe ipſum paſcit oues ſuas. Ad hoc Reſpondetur, quod ly *per ſe ipſum*, debet intelligi vt diſtinguitur contra per interpretem, ille autẽ qui per ſocios & coadiutores procurat debitum animarum regimen, tutus eſt in conſcientia poſt collatum beneficium, quantum ad hoc quod non tenetur illud relinquere, tenetur tamen dare operam propoſſe, vt linguam nationis illius calat, vt vultum pecoris ſui diligenter poſsit agnoſcere. vide Diuum Thomam, *quodlibeto duodecimo, artic.* 32.

Confirmatur, quia ſiue fratres ſint Parochi indorũ, ſiue nõ, (hoc enim nõ eſt pręſentis eſpeculationis) debent tamen habere formale Parochi, quod eſt paſcere oues, Chriſti ſanguine redemptas, ſacramentis & doctrina Chriſti per ſeipſos, vt dictũ eſt. Et quia Religioſi præficiuntur in populis indorum ad officium

Paro-

Parochi exercendum, (vt indicto breui continetur) ideo debent formale parochi habere: nimirum, quod perſe ipſos & non per interpræ tes tale munus exequantur.

Vltimo notandum eſt, quod quanuis licentia ad officium parochi exercendũ ex breui Pij Papę quinti neceſſario debet cōcedi in capitulo prouinciali, non tamen eſt neceſſarium quod fratres ibi perſonaliter ſe præſentent, quia breue ſolum dicit, quod in capitulo prouinciali obtineatur licentia. Et poteſt tunc diffinitoriũ dicere, quod omnes fratres quos nominauerit Reuerendus pater Prouincialis vel Priores, vel Vicarij domorum in ſacramentorũ adminiſtratione circa indos, habet ipſum diffinitorium pro nominatis: & quod ex nunc pro tunc ipſum diffinitoriũ eos nominat, cōceditque licentiam officium Parochi exercēdi in populis indorum tunc aſsignatis, & pro tempore aſsignandis. quia hoc idem eſt, acſi in ipſo Capitulo prouinciali committeretur, & licētia obtineretur. probatur hoc, argumento eorum quæ quotidie verſantur in praxi, videlicet, quādo delegato conceditur vt quos ipſe in Pręlatos, vel procuratores nominauerit, delegans ipſe, ſcilicet, Epiſcopus, vel ordinarius ex nunc pro tunc habet pro nominatis, & ipſe eos nominat. Tunc tales ſubdelegati habent poteſtatem non a delegato, ſed à delegāte, ſcilicet Epiſcopo. Vt tenet gloſſa, *in capit. is cui, de officio delegati, lib. 6.* quam ſequitur ſylueſter *verb. delegatus, § 8. partic. 6. vide*

 capit.

capit. 1. de procuratoribus, in 6. & ita quamuis hęc potestas breuis Pij quinti non sit ordinaria & delegabilis, potest tamen prędicto modo committi. illo enim modo sufficienter verificatur quod in capitulo prouinciali licentia obtinetur.

Vtrum autem possint Episcopi auferre à fratribus aliquos indorum populos post intimationē dicti breuis Pij quinti. Vide Emmanuelem Rod. *tomo 1. q. q. regul. quæst. 35. artic. 6.* qui respondet negatiue, cum priuilegium superioris non possit per inferiorem diminui, secundum Panormitanū *in cap. nisi specialis de officio Delegati.* & Alexander quartus (vt dictus pater Emmanuel refert) decreuit, irritas omnes sententias quas Archiepiscopi, & Episcopi pręlati, & Rectores ferre præsumpserint cōtra indulta Apostolica cōcessa ordini predicatorum, vel in posterum concedēda, prout habetur in supplemento. fol. 115. & quędam glossa iuncto textu, *in Capit. ex parte de verborum significatione.* vbi decernitur, quod sententia lata contra priuilegium Papæ non valet. quod ipsum tenet Panormitanus, *in capit. audio, de restitutione spoliatorum. num.* 14.

Dubium. 4.

AN Diffinitores capituli prouincialis in his indiarum partibus possint admittere renūciationem prouincialis, si fortè suo prouincialatus officio

ficio renunciare velit?

Pars affirmatiua probatur, primò, diffinitores capituli prouincialis in his indiarum partibus confirmant electum in Prouincialem authoritate summi Pontificis Clementis Septimi, ergo in eorum manibus in capitulo prouinciali poterit pręfatus prouincialis renunciare officio suo. Consequentia probatur ex Panormitano *in capit. siquis contra clericum. de foro competenti, num.* 53. Vbi inquit, quod quando ex priuilegio competit alicui absolute & sine restrictione instituere & confirmare, habet etiam potestatem destituendi, & absoluendi, & probat *ex capit. primo de capellis monachorum, lib. 6.*

Confirmatur, quia institutio & destitutio sunt actus connexi *capit. cum ex in iuncto, de hæreticis, in calce textus, & glossa ibi.* Ergo diffinitores qui possunt instituere confirmando prouincialem, possunt etiam destituere recipiendo eiusdem prouincialis renunciationem.

Secundò arguitur, *ex capitulo nisi cum pridem, de renunciatione.* Vbi summus Pontifex Alexander tertius assignat aliquas causas ob quas possunt prælati renunciare officio suo. Scilicet, conscientia criminis; debilitas corporis, defectus scientię, malitia plebis, graue scandalum, Irregularitas. Ergo si prouincialis in his prouincijs aliquo horum impedimentorum de tentus, renunciare velit, assignandus est prælatus in cuius manibus fiat renunciatio, hunc non reperio nisi diffinitores capituli prouincialis, ergo in eorũ

mani-

manibus. &c.

Prima conclusio. Non potest prouincialis officio suo renunciare in manibus diffinitorum capituli prouincialis. Hæc conclusio probatur. Renunciatio hæc debet fieri in manibus prelati qui iure communi cōfirmauit renunciantem, *capit. cum indubijs, & capit. finali, de renunciatione*. Vt ibi inquit glossa, idem tenet Syluester, & Armilla, *verb. renunciatio.* Sed diffinitores non confirmant electum in prouincialem iure cōmuni, sed Magister ordinis, *infra distinct. 2. capit. 3. num. 8.* Ergo prouincialis nō poterit renunciare officio suo in manibus diffinitorum capituli prouincialis.

Secunda conclusio, quando alicui conceditur ex priuilegio institutio, vel confirmatio sola, non propterea poterit recipere renunciationem officij, & beneficij istius cuius electionem confirmauit. Hęc conclusio est omnium iuristarum, sic habet Ioannes Andreas *in gloßa marginali capituli cum ex in iuncto, de hæreticis,* super illud verbum, *tam institutio, quam destitutio.* in margine enim inquit, *ordinario iure, nam ex iure speciali, vel cōmißione potest competere alterum sine altero.* Et felinus, *in capit. auditis, de præscript. num. 12.* inquit, quod qui potest institutere de iure speciali non potest destituere. Et addit felinus, quod nec iste qui iure speciali confirmat, poterit renunciationem recipere. Et probat, quia confirmare & recipere renunciationem ex iure speciali sunt duo priuilegia distincta, vt de se patet. Ergo quando vnum solum absolutè & simpliciter inuenitur

nitur concedi,non debemus admittere quod alterũ etiam cõcedatur; ducor hac potissima ratione,quia cum huiusmodi ius speciale sit exorbitans à iure cõmuni,& in potestatis ordinariæ prędiudicium,ad quã de iure communi pertinet confirmatio : non debet extẽdi sed restingi, vt non se extendat vltra expræssa in dicta concessione,vt notant iuristę *in capit. quia circa, de priuilegijs.* Cum igitur priuilegium quod habẽt diffinitores capituli prouincialis à Clemente Septimo concessum ad confirmandum Prouincialem electum,sit exorbitans à iure communi, & constitutionibus nostris quæ hoc concedunt Magistro ordinis,& per consequens in eius sit prędiudicium;sequitur, quod non poterunt dicti diffinitores absoluere prouincialem, nec recipere renunciationem officij eius virtute dicti priuilegij.

Ad iura quæ Panormitanus allegat in contrariũ respondetur, quod si attente aspiciantur apparebit, quod tantum loquuntur.Et probãt,quando competit alicui institutio & confirmatio de iure communi non autem quando confirmatio competit ex priuilegio vt in nostro casu. Immo ipse Panormitanus , *in capit. cum ex iniuncto, de hæreticis,num.5.* Inquit,priuilegiũ concessum ab eo cuius iuri detrahitur, est latissime interpretandum.Verbi gratia,concessit mihi Papa potestatem instituendi aliquos in officio, concedit etiam potestatẽ destituendi.fallit tamen hoc quando institutio præiudicat iuri ordinarij,scilicet, quando

ſupradicta poteſtas inſtituendi venit indiæceſi Epiſ copo pleno iure ſubiecta,quia tunc ſtrictiſsime eſt in terprętandum, & vt ſolum poſsit inſtituere, & non deſtituere. hęc Panormitanus.Ad confirmationē reſ pondetur ex dictis in ſecunda concluſione.

Ad ſecundum argumentum Reſpondetur, quod ſicut,quanuis Summus Pontifex per peccatū hęreſis conſtituat ſe deponibilem à Pontificatu,non tamen deponetur,quia ad actualem depoſitionem non inuenitur poteſtas in Eccleſia,vt dicunt doctores *in ſecunda ſecundæ,quæſt. 1. artic. decimo,*ita ſimiliter quanuis per illas cauſas in dicto Capitulo *niſi cum pridem* contētas, poſsit Prouincialis ſuo officio renūciare,quia tamen ad actualem renunciationem non inuenitur prętatus in cuius manibus talis renunciatio fiat;id circo non renunciabit.

Circa prædictum priuilegium Clementis ſeptimi diffinitoribus conceſſum,eſt difficultas,nimirū,quid faciendū ſi forte contingat adeſſe in hac prouincia tempore electionis Magiſtrum ordinis,vel eius Vicarium generalem, poterunt ne diffinitores confirmare electum in prouincialē virtute dicti priuilegij? In hac difficultate notandum eſt,quod non quicumq; Vicarius generalis Magiſtri ordinis poteſt electum in prouincialem confirmare,ſed ille Vicarius generalis qui dicitur & eſt vicarius ordinis mortuo vel amoto magiſtro generali.dicitur enim infra *diſtinct. ſecunda,cap. 3, num.* 8.quod electus in prouincialē poterit

con-

confirmari per Magistrum ordinis, & si ordo magistrum non habuerit Vicarius ordinis cõfirmabit. Hoc supposito dicendum censeo, quod si hunc Vicarium vel ordinis magistrum adesse contigerit in his prouincijs tẽpore electionis, ad eum debemus recurrere pro confirmatione habenda prouincialis electi, ducor, quia non est credibile quod Summus Pontifex in illo priuilegio voluerit derogare potestati Magistri ordinis, inquit enim Panormitanus *in cap. cum ad hęc de clericis non residentibus*, quod indubijs non debemus presumere quod Princeps concedat aliquid cum alterius dispendio. & sic non valere priuilegium grauiter lędens ecclesiam, vel tertium, nisi fiat mẽtio de hac lęsione. eo vel maxime, quia causa propter quam hoc priuilegium impetratum fuit est, quam magna distantia a partibus vbi residet magister generalis, & ipso vel prędicto vicario generali hic existẽtibus, cessat hæc causa & ratio. & idẽ dicerem propter easdem rationes si vicarius magistri ordinis hic adesset cum potestate confirmandi prouinciales harum prouinciarum.

Dubium 5.

AN PRIOR Prouincialis posit leges & statuta condere?

Dictum est supra quod capitulum generale potest

ſtatuta & ordinationes ferre quo ad totum ordinem; & prouinciale quo ad totam prouinciam cum differentia dicta:& hoc eſt conſonum iuri canonico, *in cap. cum acce?iſſent, de conſtitut. & capitu. ex literis, eodem titu.* quæ etiã ſolus Magiſter ordinis poteſt facere. modo dubitatur an ſolus prouincialis poſsit talia ſtatuta & leges cõdere? Sed quia Prouincialis poteſtas correſpondet,& ęquiparatur Epiſcoporum authoritati,(vt dictum manet) reſpectu ſuorum ſubditorum, ideo prius indagare libet, An Epiſcopi poſsint in ſua diæceſi leges condere;vt inde colligamus an Prouinciales noſtri illas ferre poſsint in ſua prouincia.

Prima opinio eſt illorum doctorum quos retulimus in ſecundo dubio,notabili primo, aſſerentium quod neque Epiſcopi neque Archiepiſcopi ſine ſynodo poſſunt ſtatuta perpetua facere. Ducũtur,quia omnes ordinationes ſeu conſtitutiones Epiſcopi cũ eo expirant; & ita deuiant à ratione legis,quæ perpetua eſt donec reuocetur.

Secunda opinio eſt huic oppoſita quam ſequitur Vazquez 1. 2. *diſputatione* 152. *num.* 26. quam probat ſic; Epiſcopi verè ſunt paſtores & rectores vniuerſitatis ſuaptenatura perpetui, ergo habent poteſtatem præcipiendi & leges condendi. Primùm quidem poteſtatem pręcipiendi nam ſuperior alicuius congregationis ſubditis ſuis præcipere poteſt in ijs quæ ſunt licita & honeſta; & ſubditi hoc ipſo debent iure parere, honeſtum enim eſt iuſsis ſuperiorum obtempe-

temperare. Deinde habent (inquit) poteſtatẽ leges condendi, quia ſunt præfeti, & munere ſuo in cumbunt ſpirituali gubernationi Eccleſiæ, ſicut Princeps ſecularis politicæ, ergo ſicut poteſt Princeps ſecularis leges condere quę ipſo mortuo permaneant, ita etiã poterit Epiſcopus. Deinde ait ſecundo Epiſcopos omnem poteſtatem ius dicendi, quę dicitur actiua iuriſdictio & quaſi radicalis: non accepiſſe à Pontifice, ſed proxime à Chriſto: ideoque iure etiam diuino hoc ipſo, quod Epiſcopi ſunt conſtituti, accepiſſe poteſtatem leges condendi. Vide ibi.

Poteſt hęc opinio confirmari ex gloſſa, *in capit. Epiſcoporum, diſtinct. 18. verb. conſtituendum*, quę ſic ait. Epiſcopi bene poſſunt condere canones Epiſcopales, & Archiepiſcopi prouinciales, & ſubdit rationem, ſcilicet, quia quilibet populus & quælibet Eccleſia ſibi poteſt ſtatuere aliquod ius.

Pro huius dubij deciſione ſupponendũ eſt, in hoc differre mandatum ſeu præceptum, à lege, quod mandatum vel præceptum morte pręcipientis finitur; lex autem perſeuerat poſt mortem illius. Hoc ſuppoſito ſit.

Cõcluſio. Prior prouincialis poteſt in ſua prouincia ferre leges quę ex natura ſua ꝑpetua ſint. Dixi ex natura ſua, nõ de facto, cũ ipſo prouinciali expirant, vt dicit̃ in hoc textu, ꝓlogi nu. 8. ſcilicet, ab inferioribꝰ, autẽ capitulis & pręlatis. &c. Hęc concluſio probatur, primo rationibus prœdicti Patris Vazquez (excepta

vltima quæ asserit, Episcopos accepisse authoritatē immediate a Christo, & non a Pontifice) illę enim ad constituendum nostrum Prouincialem legislatorem maxime conducunt. Secundo probatur. nam secundū Diuum thomam *prima secundæ quæst. 90. artic. 3.* Condere legem spectat ad multitudinem. vel ad eum qui totius multitudinis curā habet. Sed Prouincialis habet curam multitudinis nempe Prouinciæ suæ, ergo ad eum spectat leges condere. Tertia ratio potest desumi ex natura & pręeminētia huius officij Prouincialis. quia est dignitas ecclesiastica, & habet iurisdictionem quasi Episcopalem, & cum ordinationes suę iustæ sint & honestæ, pro omnibus, & pro bono communi, & ab eo qui habet curam communitatis promulgatæ, quid deest vt leges sint, & dicantur?

Si dicas quod prędictę prouincialis ordinationes non sunt perpetuæ, & ideo defficiunt à ratione legis: Ad hoc respōdetur primo, quod potest reperiri pręceptum peculiare quod sit perpetuum, & non sit lex. Vt si à deo ferretur præceptum quod vnum tantum obligaret, non tam lex quam pręceptum & mādatum dici deberet, esset tamen perpetuum sicut ipse Deus.

Secundo Respondetur, quod sufficit quod Prouincialis ordinationes possint esse perpetuæ. Et quod possunt esse perpetuæ probatur. nam Glossa in hoc prologo, *Verb. prohibemus ne de cętero. pag. 14.* inquit possunt Magister ordinis & Prior prouincialis facere ordinationes & ad monitiones quæ perpetuo durabunt

quo

quo vsque fuerint reuocatę. Et adducit quoddã capitulum generale apud castras celebratum ann 1352 inquo dicitur.declaramus quod ordinationes & pręcepta Magistri ordinis & Priorum prouincialiũ post eorum mortem vel amotionem in sua remanent roboris firmitate, quo vsq; per eorum successores reuocentur.hæc glossa, quæ quanuis iam sit reuocata (vt supra dixi)per textum nouum, num. 8. adduxi tamen illam ad probandum quod ordinationes prouinciales possunt perpetuę esse. Etenim si aliquãdo fuerunt perpetuæ, bene sequitur, ergo possunt esse perpetuæ. Sed sic est, quod vt ordinationes sint & dicantur perpetuę etiam si defacto sint temporales, sufficit quod posiint esse perpetuæ, ergo nihil eis deest ad rationem legum. hęc minor probatur, quia in iure, illud quod potest esse perpetuum, perpetuum censetur, vt ait Cardinalis, *in clemẽtina secunda de rescriptis. & Glossa singularis in cap. clericos, de cohabitatione clericorum & mulierum.* hanc doctrinam refert, & sequitur Emmanuel Rodriguez, *tom. 2. qq. Regul. quæst. 25. artic. 3. pag. 112.*

Vltimo probatur, ex discrimine quod est inter legem, & pręceptum seu mandatũ singulare: nam cum lex pro omnibus & pro communi bono feratur, Princeps seu prælatus nomine totius reipublicę vel Prouinciæ, seu ex vi iuris à quo habet potestatẽ, illam pronunciat: quare cũ maneat tale ius, lex etiam quę nomine ipsius lata videtur, manere debet, vel saltem ex natura eius potest manere. Cũ autem alicui imponitur

nitur a Prouinciali aliquod pręceptũ singulare, ipse Prouincialis illud imponere videtur vt curam illius gerat, non tam ipsius iuris nomine, quam suo cum respiciat bonum singulare huius vel illius religiosi: iure namq; Prouincialis & Prędati debet eum in rectam viam dirigere,cum què talis cura prouincialis cesset ipsa morte,pręceptũ illius cessare necesse est. Ecce quomodo apparet differẽtia inter mandatum commune omnibus,& mandatum singulare vni vel alteri impositum:vt primum dicatur & sit lex,secundum vero dicatur præceptum.

Dubium 6.

AN Ordinatiònes quas Prior prouincialis facit in aliquo conuentu quando illum visitat sint,& dicantur leges:& idẽ dubitatur de pręceptis,& mandatis prioris conuentualis quæ fert pro tota conuentus communitate?

Pars affimatiua suadetur,ex Diuo Thoma vbi supra,scilicet, leges ferre ad multitudinem spectare, seu ad eũ qui præest multitudini, sed prior prouincialis quando visitat præest multitudini,& prior cõuentualis multos gubernat, multisque præest, ergo eorũ mãdata sunt leges, vt pote mandata cõmunia.

Ad dubium respondetur negatiuè.Et ad argumẽtum dico quod quando DiuusThomas ait,leges cõ

dere

dere spectare ad multitudinem, vel ad eum qui curam multitudinis habet, intelligit per multitudinẽ, rempublicam perfectã quæ ex se nullum habet superiorem. Prima pars excludit prouincialem à ratione legis latoris: vnus namque conuentus respectu totius prouinciæ est, sicut vna domus respectu totius ciuitatis. Vtraque vero pars excludit priorem conuentualem, qui in suo conuentu quanuis prælatus sit & ordinarius, habet tamen superiorem prouincialẽ à quo corrigi & puniri potest. Itaque vterque in casu dicto sunt, veluti pater familias, pater autem familias imponit præcepta & mandata singularia familiæ cui præest, non tamen quæ propriè habeant rationem legis. Hęc solutio colligitur ex doctrina D. Thomę 1.2. *quæst.90. artic.3. ad tertium argumentũ.*

Sed contra hanc doctrinam vrget argumentum. Nam si necessarium esset aliquam ciuitatis partem tali genere ædificiorum esse munitam, posset vtique illa pars ciuium; alia relicta obligari. Et tunc quidẽ non tantum esset lex, quia non vnum vel alterum, sed omnes illius vici obligaret. (quod tanquam verum tenet Vasquez, *in materia de legibus, disputatione* 151.) ergo similiter, etiam si conuentus vnus non sit respublica perfecta, possunt nihilominus ferri in illo leges à superiore & prælato, tunc etenim mandata prioris, vel prouincialis non vnum vel alterum, sed omnes religiosos conuentuales ligarent. Ad hoc respondetur quod in casu argumenti illud mandatum

respicit bonum commune ciuitatis quæ respublica est perfecta; mandatum verò prelati in vno conuẽtu, tantummodo respicit bonum illius familię. Accidere namque potest, vt quod in aliquo conuentu præcipit non liceat toti prouincię: quia ibi tale quid mandatur secundum quod pro loco, & tempore expedit & aliæ circunstantię postulant, quæ omnia fortè in alijs conuentibus non currunt vt eos precep tũ liget, vel eis imponatur. Itaque inferendis legibus, aut preceptis imponendis habenda est ratio communis boni, & iusta cum alijs partibus habenda est & seruanda proportio.

Dubium 7.

DV Bitatur, quando expirant mandata & ordinationes quas visitator facit in conuentu quẽ visitat? Finiuntur ne finito eius officio, an quando finitur officium illius qui eum instituit, an deniq; quã do aduenit secunda visitatio?

Hęc materia tractanda iterum venit infra *distinct. secunda, capit. vndecimo.* Sed merito hic tãgitur quia sic postulat litera prologi. In hoc dubio supponendum est primò, prouinciales teneri personaliter visitare singulis annis suã prouinciam si commodè hoc fieri potest; sin autem, per vicarios & visitatores. Ita cõstitutio nostra infra *distinct. 2. capit. 3. num. 9.* iure enim

diui-

diuino tenentur prouinciales iudicialiter suos fratres visitare. Vt probant doctores ex illo Lucæ cap. 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quæ verba ad omnes prçlatos refferunturqui curam habẽt animarum Quod ipsum iure humano prçcipitur omnibus religionum exemptarũ prçlatis, & ordinatur *in concilio Tridentino sesione 25. de regularibus, capit. 10. & cap. 20.* Vnde ordinarij, vt sunt prouinciales tenent̃ quotannis monasteria ipsis subiecta visitare, vt renouãs ius antiquum ordinat idem concilium Tridentinũ *sesione 21. capit. 8.* At, cum præceptum hoc sit affirmatiuum non debet imputari ad peccatum mortale prçlatis ipsam annuam visitationem omittentibus, nõ instante aliqua necessitate subditos corrigendi. Cũ finis istius prçcepti, eorum sit correctio, quo cessãte, cessat eius (saltem in foro interiori) dispositio. Nostra constitutio supra adducta, & omnia quæ modo diximus fundantur *in capit. Relata, & in capit. decernimus, decima, quæst. prima.* Vbi mandatur Episcopis, vt perse, vel per alios si impediti fuerint, visitẽt diçcesim quolibet anno, &c. Et in concilio Tridentino *sesione 24. capitulo tertio,* vide ibi.

Secundo supponendũ est id quod constitutio nostra infra *distinct. 2. capit. 11. inquit,* Videlicet, ꝙ priores & suppriores in visitatores nullatenus eligantur. Et Nauarrus *in capit. 27. num. 129. ait,* quod hçc dictio nullatenus irritat factum, ac per consequens non valebit institutio dictorum. Hæc nostra constitutio fundatur

 in cap.

in capit. cum singula, de prebendis, Vbi mandat quod vnus non habeat plura beneficia. Et melius *in capit. singula, distinct. 89. & capit. presbiteros, 16. q. 1.* Vnde requitur quod prius absoluatur à priori officio vt posit alterũ accipere: aliàs habebit plura beneficia, & exinde incidet ipso iure in priuationẽ primi beneficij, scilicet, prioratus, vel supprioratus.

Et si obijcias, quod prior conuentus vbi celebrandum est capitulum prouinciale futurum recipit cõsimile beneficium curatum; mortuo enim vel amoto prouinciali accipit curam totius prouinciæ, est que vicarius generalis illius, & tamen cum hoc non desinit esse Prior, nec primo beneficio priuatur. Ad hoc Respondetur, quod in dicto capitulo *cum singula, de prebendis, lib. 6.* dicitur, quod non liceat Religiosis pluribus prioratibus, vel Ecclesijs parochialibus præesse nisi vnus ex eis ab alio dependeat, & ad inuicẽ sint annexi. vt patet in casu obiectionis officium enim talis vicarij generalis ob officio prioris talis conuentus dependet.

Nihilominus si Priores vel suppriores assumantur in visitatores, tenet actus. cõstitutio enim nostra non annullat oppositum. Hoc dictum patet à simili. nam constitutio nostra, *distinct. 2. cap. 3. num. 11.* prohibet ne eligãtur Priores & lectores in Vicarios prouinciales, nisi prius à suis officijs absoluantur: tamen si hoc non seruetur valebit actus. Ducor, nam Prouincialis potest hos instituere, & cõstitutio non irritum ducit

ducit oppositum, ergo. Et ad illud dictum Nauarri Res põdetur, quod stando iniure cõmuni verum est quod illa dictio, nullatenus, irritat actum, non tamen stando iniure nostro, inquo multoties defficit doctrina hæc. his suppositis sit.

Prima Conclusio, Prouincialis dum visitat, facit ordinationes, quæ quidẽ finito eius officio expirabunt, vel finita secunda visitatione per eum, vel per eius visitatorem facta. Prima pars probatur ex hac litera, scilicet, ab inferioribus autem capitulis & Prælatis quomodolibet ordinata, cum ipsis (tanquam ab homine ordinata) expirare volumus, secunda pars probatur ex consuetudine, solent enim Prouinciales. Quando secundo visitant domus, dicere. Cõfirmamus ordinationes & mãdata impræcedẽti visitatione facta. ergo è cõtrario, quando hęc non dicunt, volunt illa cessare; alias ad quid confirmat mandata præteritæ visitationis.

Secundo probatur ex Diuo Antonino *3. parte. titu. 24 cap. 2.* quẽ citat Syluester *verb. constitutio.* qui ait. In capitulis generalibus & prouincialibus fiunt ordinationes seruandæ vsq; ad sequens capitulum. Ergo à fortiori. visitatorum ordinationes & monita durabunt vsque ad sequentem visitationem.

Secunda Conclusio. Visitator datus a Prouinciali, vel à capitulo prouinciali potest huiusmodi ordinationes & monita facere, & in scriptis relinquere, quod Magister Vmbertus in officio visitatoris planè

concedit. Et Magister Soto *in 4.* inquit, quod visitatores diœcesum, vel religionum dũ visitant, possunt, ordinationes in scriptis sub pœna excommunicationis relinquere, quæ vim habeant quovsque reuocẽtur. Sed probatur ratione: per constitutiones datur visitatoribus vt audiant excessus priorum, & fratrũ, & emmendent, ergo per constitutiones conceditur eis posse facere ad monitiones & ordinationes, patet consequentia, quia aliquando ita conuenit ad veram excessuum emmendationem. Confirmatur, quia medici debent non solũ sanare infirmos de prę terita infirmitate, sed etiam prouidere in futurum, sed prętati visitatores sunt medici ad sananda præterita mala, ergo non solum possunt, sed debent prouidere futurę conualescentię si viderint expedire.

Tertia conclusio responsiua ad dubium. Tam prę cepta quàm ordinationes & admonitiones istorum visitatorum cessabunt mortuo priore prouinciali. Hęc conclusio constat ex litera prologi, & ex dictis in prima conclusione. Non tamen cessant finito tempore suæ visitationis. Hęc pars probatur, prædicti visitatores non aliam habent authoritatem quam quę eis cõmittitur à prouinciali, vt patet infra *distinctione secunda, cap. 3. num 9. in fine.* quod consonum quidem est iuri canonico, dicit enim Panormitanus *in cap. cum in iure, de officio delegati.* Quod delegatus pręcipit authoritate Papæ: ergo durabunt dictę visitatorum ordinationes durante prouinciali seu capitulo prouinciali

ciali cuius authoritate factę sunt. Hoc ipsum declaratum fuit in capitulo generali valisoleti celebrato anno 1605. ordinationes & præcepta visitatorum (ait capitulum) durant, durante authoritate eorum à quibus missi sunt. Vltimo probatur, contingit dictum visitatorem dari à prouinciali pro visitando conuentu pro termino triū dierum, sed si finito hoc paruo termino huius visitatoris cessarent etiam ea quę pro remedio conuentus vel fratrum ordinauit, ridicula quidem esset potestas hęc sanatiua defectuum, & delictorum correctiua, ac pro inde non cōsequeretur per talem visitationem finis & intentio quare fuit à iure nostro & patribus inuenta, ergo. Cętera hanc materiam concernentia, veniunt tractanda infra *distinct. 2. capit. 11.* interim legat visitator tomum secundum Emman. Rodriguez, *quæst. 4. per totam. & tomū tertium qq. reg. quæst. 77.*

Dubium 8.

AN Vicarij domorum quę non sunt prioratus expirent mortuo, vel amoto prouinciali qui eos instituit, vel adueniente secundo capitulo prouinciali?

Pars affirmatiua probatur, primò ex litera huius prologi num 8. in qua dicitur quod omnia quæ prouincialis vel capitulum prouinciale fecerunt cū ip-

sis

sis expirant, sed isti vicarij instituũtur à prouinciali, vel à capitulo prouinciali ergo cum eis expirãt.

Secundo arguitur, authoritas horũ vicariorũ est à capitulo prouinciali, seu à prouinciali, sicut authoritas prouisoris est ab Episcopo, sed iste expirat per mortem Episcopi, ergo & illi expirabunt finito eo qui eos instituit. Antecedens probatur, quia in institutione horum vicariorũ datur illis authoritas, & iurisdictio quã habent priores, & quod possint illã in eorum absentia delegare, ergo sunt delegati habentes ab alio iurisdictionem, & non ordinarij.

Tertio arguitur, vicarij isti domorum sunt ad nutum amobiles à prouinciali sicut vicarius generalis Episcopi, ergo non habent aliam iurisdictionẽ quã illam quæ à prouinciali data eis fuerit, ergo eorum officium expirat per mortem illius qui eos instituit & iurisdictionem dedit.

Pro huius dubij declaratione notandum est, quod dupliciter possunt pręffici vicarij ad habẽte potestatem illos instituendi. Vno modo ad supplendum aliquid quod ad officium eius spectat, non præfficiẽdo eum collegio, vel congregationi vt caput eius, sed vt communiter faciunt Episcopi instituendo vicarium generalem in suo Episcopatu, priores vicarium in suis conuentibus, prouinciales in suis Prouincijs ad exercendam partem officiorum suorum. Secundo modo instituuntur vicarij in aliquo collegio ne fratres sint acephali, sed vt tàm ipsi quàm domus suũ

caput

caput habeant & paſtorē qui eos regat, & adminiſtret quæ ſunt officij ſui, & ad hoc pręfficiuntur domibus à capitulo prouinciali, ſeu ab ipſo prouinciali.

Prima concluſio, Vicarij primo modo ſunt ad nutum amobiles ab illo qui eos inſtituit. hęc concluſio patet vſu, Epiſcopi enim deſtituunt ſuos vicarios quando eis placet, quod notat Panormitanus, *in cap. de multa, depræhendis.* & cæteri pręlati vicarios ſuos, expiratquè eorum officium mortuo vel a moto eorum inſtituente vt ſupradiximus, quia tales vicarij non habent iuriſdictionem niſi quę data fuit eis ab illis qui eos inſtituerunt.

Secunda concluſio, Vicarij ſecundo modo ſunt ordinarij & prælati, hęc concluſio cōſtat ex ſupradictis *verb. pręlati,* & nouiter probatur primo. Præfati vicarij pręſſunt Eccleſijs particularibus cum iuriſdictione eccleſiaſtica ſuper perſonas eccleſiaſticas etiam inforo contentioſo, & non habent ſuperiorem indomo ſua. ergo ſunt prælati. Secundo probatur ex innocentio; & Hoſtienſi, & ex ſylueſtro, *verb. iudex,* §. 1. qui dicunt, quod prælatus & ordinarius eſt, & dicitur, qui ab vniuerſitate & collegio eligitur; & per ſuperiorē cōfirmatur. vel qui collegio pręfertur ab eo. qui habet adminiſtrationē cum iuriſdictione. Quod ipſum tenet Panormitanus, *cipit. cum ab eccleſiarum, de officio ordinarij, num.* 5. Sed iſti vicarij pręfficiūtur collegio ſeu vicarijæ ab habente iuriſdictionem & poteſtatem ſcilicet, à capitulo prouinciali, vel ab ipſo prouinciali,

 ergo

ergo dicti vicarij ſunt ordinarij & prelati nullum ſuperiorē cognoſcentes in ſua vicarija, quę collegium quidem eccleſiaſticum eſt, in quo ſunt fratres vniti cum capite.

Ex hac vera doctrina colligitur prædictos vicarios & prelatos non eſſe ad nutum a mobiles a prouinciali ſeu à capitulo prouinciali quod eos inſtituit nec expirare per mortem inſtituentis, cum poteſtas & iuriſdictio eorum non ſit à prouinciali ſeu capitulo ſed ab officio ſuo. nam eo ipſo quod prefficiuntur in vicarios vicariarum, habent à iure neceſſaria ad exequenda quæ ſunt officij ſui. Et ſi aliquādo ab officijs ſuis amouentur, adeſt tunc rationabiles cauſa ſine illa enim amoueri non poſſunt.

Confirmantur ſupradicta ex conſuetudine abſoluendi dictos vicarios in Capitulo prouīnciali, intelligit enim capitulum & ſupponit illorum officiū minime ceſſare. Alias enim ad quid abſoluūt eos? vnde ſi forte dicta vicariorū abſolutio in capitulo non fieret, remanerent vtiq; vicarij ſicut ante ipſum capitulū prouinciale erant; quippe qui non ſunt abſoluti

Ad primum argumentū Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. quia poteſtas iſtorū prælatorum non eſt à prouinciali vt dictum eſt, ſed ab officio ſuo quippe quæ ordinaria, & non delegata.

Ad ſecundū, iam patet differentia inter officium prouiſoris Epiſcopi, vicarij prioris in conuētu, & vicarij

carij prpuincialis in prouincia ex vna parte:& officium istorum uicariorum ex alia.nan primi cessant per mortem illorum qui eos instituunt, vt est communis opinio Iuristarum,quos allegat syluester.*verb. vicarius*,idem habetur in concilio Tridentino, *seßione 24.cap.16.*&in hoc nostro prologo,nu.8. & ratio omnium est,quia prædicti vicarij non aliam habent iurisdictionem nisi quam eisdederunt qui eos instituerunt.isti autem vicarij domorũ habent suam authoritatem a iure,& officiosuo & non à prouinciali,nec à capitulo,vt sæpesępius dictum est. & si aliquando in eorum institutione datur illis potestas & iurisdictio vt dicitur in argumento, hoc fit ad tollẽdos scrupulos,& vt.clarius eorum potestas dignoscatur.ita enim est styllus curiæ Romanę. nam in expeditione bullarum episcoporum conceditur illis iurisdictio & potestas à sede Apostolica,non obstante quod ipsi Episcopi illam habent abofficio.ita similiter quanuis isti vicarij habeant ab eorum officio potestatẽ super fratres suarum vicariarũ sicut alias habent alij prelati eiusdẽ speciei, vt Priores Guardiani,&c.nihilominus solet eis concedi,vel amplius suapotestas explicari.Ad tertium argumẽtum iam patet ex dictis.

Ab inferioribus autem capitulis & Prelatis.&c. Cum ipsis expirare volumus. Exceptis confessoribus fratrum. &c.

PRO Declaratione huius literæ textus quo ad permanentiam confessorum. Notandum est primo, quod si Prouincialis instituit aliquē Religiosum in confessorem fratrū alicuius conuentus, vel totius prouinciç cum authoritate suorum casuum, mortuo prouinciali, vel finito eius officio non cessat potestas huius cōfessoris; sed permanet cum omni illa authoritate quam à dicto prouinciali accepit. hoc patet ex litera prologi. scilicet, exceptis cōfessoribus fratrum hos enim durare volumus cum ea quam habent authoritate. pro hac materia vide *capitulum secundum, de officio legati, lib. 6.* Vbi glossa verb. declaramus, inquit, quod legatus Papæ non expirat per mortem Papæ, quia legatus Papæ dicitur legatus sedis Apostolicæ quç non moritur. & idem *in cap. si gratiose, de rescriptis, lib. 6* ergo similiter potestas horum confessorū non expirat, patet consequētia, quia illorum potestas non est ab homine, sed à lege quæ non expirat, modò re integra moriatur qui eos instituit, modo re incepta. *Argumentum de confessoribus expositis per* Clementinā Dudum, *de sepulturis, & melius in cap. si super gratia, de officio delegati.* Vbi non cessat potestas data per Papā mortuo Papa qui eam concessit. & quanuis secundum aliqua iuris canonici capitula, nimirum, *cap. relatum, & cap. gratum, de officio delegati*, expirabāt isti confessores re non incepta, mortuo eorum institutore, at nostra lex, & nostrum ius, absolute concedit quod non expirent, & sic absolute est litera hæc prologi accipienda.

Secun

Secundo notãdum est, quod hęc litera textus non solum est intelligenda de confessoribus datis à Prioribus prouincialibus & conuentualibus; sed etiam de institutis a vicario conuentus in capite, & à Supprio re mortuo priore vel a moto, quia vt dictũ est supra *verb. pręlati.* sunt ordinarij habẽtes vices prioris, quod ipsum dicitur infra, *distinct. 2. cap. 7.* & cõstitutio nostra absolute asserit. Ab inferioribus capitulis & Pręlatis quomodolibet ordinata, cum ipsis expirare volumus: exceptis confessoribus fratrũ: hos enim durare volumus cum ea authoritate quam habẽt. Et aduertendum, quod pro confessionibus regularium & monialium audiendis nihil innouat Concilium Tridentinum: sed manet ius antiquum, vt pręlatus exponat confessarium.

De nostrorum confessorum potestate, tam de illa qua iure gaudent, quam de illa qua ex priuilegijs funguntur veniunt dicẽda aliqua, breuiter tamen pro qualitate materiæ, & quantũ littera prologi exposcit. Pro quo notandum est, quod stando in iure cõmuni nihil amplius potest Magister generalis aut Prouincialis in sęculares, quam simplex sacerdos confessor, quia omnium potestas vnica est ab vno & eodem iure emanans, scilicet a Clemẽtina dudum, de sepulturis.

Circa quam clementinã (quia in illa datur forma

eligendi confeſſores &præſentãdi eos Epiſcopo)ſunt non nulla ſcitu digna notanda,nam propter pluritatem priuilegiorum potiſsime in his indiarum partibus)videntur quę deiure cõmuni ſunt prorſus obliuioni data,cum tamen oporteat ſtare iuri cõmuni,& ei nos conformare,&priuilegijs non ita paſsim vti. turpis enim eſt pars quę non cõgruit ſuototi.De forma ergo quam ius cõmune præfixit religioſis ad audiendas confeſsiones. Videndus eſt Nauarrus.*cap.* 27. *num*.260,*Syluester verb*.*Confeßor ſecundo*,§ 1.& 2.& 3. *Magiſter Soto in* 4. *diſt*. 17.*quæſt*.4. *Artic*.3. Forma hęc fere nunquam ſeruatur in expoſitione Religioſorum ad confeſsiones audiendas,vel non plenè ſeruatur.

Oportet igitur Magiſtrum generalem,vel Prouincialem,aut eorum vicarium adire Epiſcopum, vel mittere alios qui ad hoc erunt idonei, & petere facultatem vt fratres qui electi fuerint poſsint audire confeſsiones in eius diœceſi.ItaquePrior niſi miſſus non poteſt præſentare.

Secundum,quod circa hoc debet ſeruari eſt,quod Generalis vel prouincialis eligere ſtudeãt perſonas ſufficiẽtes,idoneas vita probatas,diſcretas& peritas ad tam ſalubre miniſteriũ &officium exequendum

Tertium,quod iſtos ſic,electos præſentent Epiſcopis,vel pręſentari faciant,vt de eorum beneplacito confeſsiones audiant in eorum diæceſi.

Sequitur forma pręſentationis confeſſorum, quæ fieri debet vt dictum eſt, accedendo ad pręſentiam ordina-

ordinariorum & dicendo.

REVERENDiſsime Domine ſupplex orator dominationis veſtræ, frater N. Generalis, aut Prouincialis,ſeu frater N.Vicarius prouincialis,vel Prior talis conuentus,authoritate &cōmiſsione dictorum Magiſtri ordinis,aut Prioris prouincialis ordinis fratrum Prędicatorum,humilē ac debitam exhibet reuerentiam.Cum ſecundum Priuilegia dicto ordini conceſſa & indulta à Sūmis Pontificibus,fratres eiuſdem ordinis perMagiſtrum generalem aut Prouincialem,aut fratres alios,quos ad hoc idoneos deputauerit,pręſentari humiliter locorum pręlatis, ad ſuorum ſubditorū confeſsiones audiendas,& ſalutares pœnitētias cum abſolutionis beneficio iniungendas:licentia,& gratia,ac beneplacito eorumdem, merito recipi debeant,& admitti:hinc eſt,quod Reuerendę dominationi veſtrę , de cuius benignitate ampliſsimā fiduciam gerimus;ſecundūCanonici iurisformam ſuper hoc ſtatutā;infra ſcriptos fratres, per me (ſi eſt Magiſter generalis, aut Prior prouincialis, vel in capitulo noſtro Prouinciali) legitimè electos,& deputatos:cum ea qua decet,&poſſum reuerentia,humillimè prę ſento,obnixius eidem dominationi veſtrę ſupplicans,quatenus ipſos,&me cum illis (ſi vult) recipere,& admittere dignetur , ac ſi totalis forma iuris in Clementina dudum,de ſepulturis,& in concilio lateranenſi tradita,obſeruata eſſet,& eiſdē ac mihi de ſua gratia ſpeciali, à caſibus

etiam

etiam eidem reseruatis (pro animarũ salute) absoluendi authoritatẽ præstare. Et ipsi vna mecum pro eadem dominatione vestra, vniuerso que sibi grege commisso, asiduè reddemur apud deum supplices præcatores. Quam idem dominus, longęuos in annos ad cunctorum salutem conseruare dignetur.

Dubitatur, An si aliquid horũ omittatur, maneant fratres iuridicè ex positi? Syluester vbi supra inquit quod illa prima apparitio generalis, vel Prouincialis non est de essentia. idem tenet Cardinalis in dicta Clemẽtina. itaque si Magister generalis, aut Prouincialis, aut eorum vicarij sine hac prima apparitione eligant & præsentẽt Episcopo, & ipse dat facultatẽ, hoc sufficit. posset tamẽ episcopus nõ dare prędictã licentiam & facultatem nisi fiat prædicta diligentia.

Quod autem illud sufficiat si Episcopus dat facultatem, patet quia iam videtur iuri suo renunciare. Et cum Clementina illa ita sit in fauorem Episcoporum vt eis debita reuerentia à Pręlatis exhibeatur, possunt ipsi huiusmodi ceremonijs renunciare. Itaq; stando in rigore iuris, quomodocumque quis acceptetur ab Episcopo vt sit confessarius in sua diœcesi, hoc sufficit vt sit & censeatur legitime pręsentatus: pręsertim dum acceptans & acceptatus intelligant acceptationem iuridicam secundũ formam pręfatæ Clementinę, dudum Quæ omnia animaduertant pręlati ad tollendos magnos scrupulos. Id ipsum tenet Armilla *verb. absolutio, num.* 24. & *Nauarrus cap.* 27. *num.* 294

quod

quod scilicet) si Episcopus dicat se acceptasse aliquos ad audiendas confessiones ac si omnia seruata essent sicut statuit clementina dudũ, quamuis aliqua non seruentur, valet hęc præsentatio ac si omnia seruata forẽt. Et sic poteris cum his duobus authoribus securè tenere quod illa prima petitio non est de essentia si Episcopus est contentus concedere sine illa. Vide Emmanuelem Rod: *tom. 1. qq. reg. quæst. 59.*

Circa secundũ Nota, quod solus Magister ordinis & Prior prouincialis & non eorũ vicarij possunt eligere confessores qui præsentari debeant episcopo. Possunt tamen eorum prẹsentãdorum examen alijs religiosis doctis committere, (sicut consueuit fieri) ipsi tamen examinatores non eligunt, sed solum declarant tales esse habiles. Magister vero ordinis vel prior prouincialis taliter examinatos, eligit. Itaque Prior conuentualis nihil habet facultatis circa hoc secũdum, sicut neq; circa primum ex officio suo, nisi ex comissione si ei committatur. Pro quo est aduertendũ, quod Magister generalis, & Prior prouincialis possunt cõmittere electionem confessariorũ alijs quia sunt ordinarij electores eorum, ac sub inde possunt subdelegare. Sicque cõsueuit fieri in ordine nostro, quod scilicet Prouinciales per literas cõmittunt prioribus, & Priores per literas suprapositas ab Episcopo licentiam petunt. Et aduertit Nauarrus quod debet Prouincialis specialem ad hoc licentiã indulgere, non enim sufficit quod Prior sit vicarius pro-

uincialis,& solet Clasula hęc apponi in confirmatio ne prioris.

Facta igitur electione per Magistrũ ordinis, vel Prouincialẽ,vel per illum qui ad dictam confessario rum electionem habet à pręfatis Magistro,seu Prouinciali,cõmissionẽ: Sequitur tertium, nempe quod dicti prælati pręsentent electos confessores,vel per alios pręsentari faciant;& cuicumq;potest hoc munus committi.

Sed quæritur,an sit necessaria pręsentatio corporalis?ad hoc dicunt Canonistę quod requiritur talis pręsentia,& hoc est tenendum sine dubio.Ducuntur, quia Episcopi possunt non approbare electos, vel aliquem,aut aliquos ex illis si adest causa rationabilis,vt patet ex ipsamet Clementina dudũ:ac proinde si vult potest examinare electos,& id circo tenentur comparere,saltem si Episcopus velit,etiã si non examinentur ait Magister Soto.At,si Episcopus sit contentus,& dicit se eos habere vt legitime præsentatos,illud sufficere videtur vt diximus ex Armilla, idem tenet syluester,*verb.confessor 2.quęst.prima,& Nauarrus vbi supra.*Et ita per scriptum mitti possunt electorum nomina.Quod si Episcopus habet pro expositis &sic declarat,manẽt bene expositi in absentia,& gaudent priuilegijs legitime expositorũ,&sunt ipso iure cõfessores illius diœcesis pro qua sunt expositi,&non expirant per mortẽ Episcopi,vt infra dicemus. Aduertatur,quod inpetitione quæ Episcopo fit (nisi pręsenten-

ſententur) declaretur ei. Quod habeat illos in petitione contentos pro legitime expoſitis ac ſi omnia quæ ius diſponit, eſſent ad plenum ſeruata: alias non eſt tuta expoſitio. Vide Nauarrum, *cap.* 27. *nu.* 267.

Qui vero audiunt confeſsiones non ſeruata forma iuris ſed tantum quia Epiſcopus dixerat priori conuentus, cõfiteantur religioſi quòs nominaueris, tales non ſunt confeſſores à iure, & expirant mortuo Epiſcopo, vel eo qui dedit talem facultatem, nec gaudent priuilegijs legitimè expoſitorum.

Contra ſupra dicta arguitur, nam videtur hanc clementinam eſſe iam derogatam per conciliũ Tridentinum *ſeßione* 23. *capit.* 15. ſtatuens nullũ regularẽ poſſe confeſsiones ſęcularium etiam ſacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quę gratis detur obtineat: priuilegijs, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtãtibus. Ex hoc colligo primũ, ergo priuilegium Clementinę eſt iam derogatum, quia concilium inquit, non obſtantibus priuilegijs. Secundum, Concilij Tridentini decretum eſt lex generalis poſterior, ergo manet nulla lex prior, patet conſequentia, quia vt in iure diffinitur, Pontifex edens conſtitutionem conſequenter videtur reuocare aliam primam ipſi contrariam ergo. Ad primum reſpondetur, quod decretalis illa, *dudum*, eſt inſerta

in corpore iuris sicut sunt in sertæ alię leges ecclesiasticæ communes,& habet eamdem vim & virtutem quam habent alię leges; propter quod sub nomine priuilegij minime venit,quod est notum. Itẽ in proæmio Clementinarum præcipit summus Pontifex,quod omnes Clementinæ nulla excepta, recipiantur, vt in scholis,& in iudicio per eas gubernẽtur. Quod quidẽ solũ dicitur de legibus ecclesiasticis.

Ad secundum respondetur,notando quod est regula iuris,quod publicata lege generali non pro inde derogatur specialis si de illa nulla mentio fit,immo remanet specialis in sua vi & currit simul cum generali.Iusta regulã, *generi per speciem derogatur, de regulis iuris,in 6*.Verbi gratia.Est quædam lex regni antiqua,quod filij nobilium posѕint arma portare sine eo quod ab aliquo ministro iustitię posѕint ab his spoliari,promulgat rex aliam legẽ quod nemo sub pæna decem ducatorũ arma portet,nulla mentione facta legis specialis:incidunt ne filij nobilium inpęnam legis generalis posterioris si portãt arma?Minime quidem.cum ista lex posterior,sit Generalis,& prima specialis,& generi detrahitur per speciẽ.Ita similiter decretum Concilij Tridentini est lex generalis,siquidẽ ait, quod nullus regularis audiat confessiones secularium nisi ab ordinario approbationẽ obtineat: at,Clemẽtina Dudum,est lex specialis loquens solum modo cum duabus religionibus,scilicet prędicatorum & minorum,& sic Conciliũ lex generalis

ralis

ralis non derogat ſpecialē legem dictę Clementinę.
Sed adhuc arguitur *ex capitulo licet, de constitutionibus lib.6.* quod Princeps Condens legem, viſus eſt de ro gare priorem cum præſumatur habere totum ius in ſcrutinio pectoris ſui. Pro reſponſione eſt notandū quod ſecundum ius non dicuntur duæ leges contrariæ eo ſolum, quod vna ſit affirmatiua,& alia negatiua circa eamdem materiam. Sed dicuntur contrarię (vt ad nos attinet)duæ leges,quando ſunt in compatibiles,verbi gratia.Duę leges generales ſcilicet,cōpatres poſſunt contrahere matrimonium, compatres non poſſunt contrahere matrimonium. Et de his intelligitur quod Princeps edēs legem cenſetur contrariam de rogare etiam ſi ipſius nullam omnino mentionem faciat. At,nō loquitur de legibus ſimul compatibilibus vt ſunt vna vniuerſalis negatiua, & altera ſpecialis affirmatiua, vt in exemplo ſupra poſito.Et cum dicta Clementina ſit lex ſpecialis cōcernens fratres prædicatores & minores; & concilium Tridentinum ſit lex generalis negatiua, vtraque compatibiliter concurrere poſſunt.

Dubium.

AN Approbatio confeſſorū poſsit fieri ab alio quam ab Epiſcopo? Et non eſt difficultas de vicario Epiſcopi,cum ille tanquam vnus cum Epiſ

copo censeatur, eius enim iurisdictione vtitur, vnde non est dubium quin posit hanc approbationem dare, quod etiam vsus confirmat: nam concilium nō dicit, vt Episcopus per se ipsum approbet: potest ergo id facere per vicarium suum. Difficultas est de Capitulo sede vacante, & de aliquibus abbatibus qui in cęteris actibus iurisdictionem habent Episcopalem. Ratio dubitādi est, quia isti non sunt Episcopi, & verbum concilij videtur in rigore & propriè intelligendum.

Et auget difficultatem responsum quoddam congregationis Cardinalium quę in hoc casu respondit in hæc verba. Cum exponere confessores sit propriū munus Episcoporum, nullus alius potest in hoc se intromittere. Nihilominus sit.

Conclusio 1. non est dubium quin Capitulum sede vacante posit approbare, & exponere confessores, probatur conclusio primo ex vsu, ita enim faciunt per vicarium suū. Secundò probatur, quia hic actus approbandi nō est actus ordinis Episcopalis sed iurisdictionis, nō sibi specialiter delegatę à Pontifice, sed iurisdictoini ordinarię. Hoc enim illis tribuit concilium simpliciter ratione sui muneris: ergo eūdem actum iurisdictionis potest capitulum exercere, quia succedit Episcopo in iurisdictione Episcopali, nō vt inferior, sed vt ęqualis, vt traddūt canonistæ *in capit. cum olim. de maioritate & obedientia*, Vbi videri potest felinus *versic*, 6. Et confirmatū, quia hic actus

est

est valde necessarius ad administratione curæ Episcopalis quę cura & administratio commendata est capitulo. Ergo non est verisimile esse priuatum hac potestate, ita vt toto tẽpore sedis vacantis non possit exponi vel approbari confessor in illo Episcopatu, sed quod oporteat ad Summum Põtificem accedere.

Secunda Conclusio. Abbates qui etiam exercent iurisdictionem Episcopalem, ita vt quo ad actus ordinariæ iurisdictionis sunt exẽpti ab Episcopis, possunt exponere & approbare cõfessores intra suos terminos. Hanc conclusionẽ in primis probat vsus. constat enim plures Abbates huiusmodi hunc actũ exercere, vt compluti Regij, Pinciæ, & Metimnæ Campestris, quos non est verisimile vsuros fuisse hac potestate nisi in præfato Concilij decreto essent compræhensi. quod maximè confirmat, quia nunquam illis contradictum est. Secundo, ratio supra facta fere eodem modo procedit, quia iste est actus solius iurisdictionis, & hi prælati habent iurisdictionẽ Episcopalem, ita vt in hoc foro oues illorum nullum recognoscant superiorem illis, pręter summum Pontificẽ, ergo possunt hunc actũ exercere. & confirmatur primo. quia interdum in huiusmodi Abbatiis nullus Episcopus potest exponere confessores: sed non est verisimile hoc esse reseruatum Papæ: ergo est cõmissum Abbati qui ibi habetur veluti loco Episcopi. Vnde confirmatur secundo Vicarij episcoporũ hoc possunt

quia

quia Episcopi illos cõstituunt loco ipsorum, & similiter capitulum Cathedrale hoc potest quia succedit Episcopo: sed isti similiter constituti sunt à Pontifice quasi loco Episcoporum, & cum iurisdictione Episcopali, ergo possunt eumdẽ actum efficere. igitur cum nomen Episcopi indicto decreto iurisdictionem potius respiciat, quam consecrationẽ, vt diximus, complectitur omnem illum, qui iurisdictionẽ Episcopalem ita in ecclesia participat, vt supra se non habeat proprium episcopum pręter summum Põtificem. Ita Suarez. *tom. 4. in 3 part. disput. 28. Sectione quinta.*

Declaratio illa Congregationis Cardinalium non constat quam authentica sit. Verba autem citata facile possunt ad sensum supradictũ accomodari, quia etiam in illis verbis non explicatur, qui Pręlati, vel Capitula sub nomine Episcopi indicto decreto compręhendũtur, sed solum dicitur. A*lium, qui non sit Episcopus*, quod nos intelligimus, de quolibet, qui non sit Episcopus nec stricte, sed cum extẽsione à nobis dicta; ita vt excludantur omnes pręlati, tam inferiores immediatè subiecti Episcopis, quam Superiores. V. G. Cardinales, non habentes Episcopatum.

Dices, ergo nomine episcopi compræhenduntur in hoc decreto Generales, & Prouinciales Religionum, quippe qui iurisdictionẽ habent episcopalem respectu suorum subditorum. Respondetur negando sequelam. possunt quidem isti Religionum prælati suos subditos exponere. & approbare ad confessiones

nes ſuorum fratrum audiẽdas, non quia hoc ſpecialiter eis concedat Conciliũ per hęc verba; ſed potius quia, in hoc decreto, nihil ſtatuit de confeſsionibus Religioſorum; ſed tantum ſecularium, reſpectu quorum non poſſunt dicti pręlati religionum approbare etiam ſuos ſubditos. nec ad hoc compręhenduntur nomine Epiſcopi quia non habent authoritatem & iuriſdictionem epiſcopalem & ordinariam in populum fideliũ, quę nomine epiſcopi proprie indicatur. Item quia, ſicut non habent iuriſdictionẽ in ſeculares. ita non poſſunt actus iuriſdictionis circa illos exer cere approbare autem confeſſores reſpectu illorum eſt actus iuriſdictionis circa illos exercere: Et propter hoc non poſſunt approbare confeſſores pro confeſsionibus ſecularium; niſi ex Pontificis priuilegio vt dicemus dubio quarto ſequenti.

Priuilegia horum confeſso-

rum ſic expoſitorum ſunt hæc. Primum priuilegiũ quod ſunt perpetui tales confeſſores nec expirant per mortem Epiſcopi qui eos inſtituit, & approbauit. Ratio eſt, quia poteſtas & iuriſdictio eorum eſt à iure Sylueſter *verb. confeſſor ſecundo*, §. 4. Et in ſuper Pius Papa Quintus in ſuo motu proprio pag. 11. Sic declarat. Approbando (inquit) & de nouo concedẽdo ſtatuimus etiam quod, ille qui ſemel in vna diœ

cesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadẽ diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari vel presentari in dicta diœcesi debeat; tam quoad prædicationes faciendas, quàm quoad cõfessiones audiendas.

Secundum priuilegium est, quod Episcopus non potest eos reuocare, quia eorum potestas & iurisdictio est à iure, nempe à Clementina dudum. Et si in oppositum faceret Episcopus nihil valeret, quia in fraudẽ legis. Fallit tamen si religiosus confessor scãdalose viueret, & efficeretur surdus & huiusmodi, ducor, quia Clemẽtina designat confessores idoneos & vita probatos. Tertium priuilegium est, quod isti confessores poterunt absoluere sicut Parochi stãdo in iure communi: & Episcopi non possunt sibi reseruare absolutionem excommunicationum à iure cõmuni quarum absolutio nulli reseruatur. Syluester *verb confeßor secundo, §. quinto. Nauar. capit. 27. num. 264.* Secundum verò priuilegia absoluunt isti confessores ab omnibus cẽsuris, casibus, peccatis à quibus Episcopi absoluere possunt de iure communi: & hoc statim quod exponuntur in confessores à suis prælatis & ab Episcopis approbanẽ. Nec oportet, quod istis confessoribus fiat talis commissio à prelatis suis, quia iure priuilegiorũ ex mari magno summus Põtifex eis facultatem concedit.

Quartum Priuilegium horum confessorum est, ꝙ in illo Episcopatu vbi sunt expositi possunt audire con-

confeſsiones omnium fidelium vbicumque veniẽtium, & in omni tempore anni: quod quidem nec Epiſcopus illius loci poteſt, quia non eſt illorum fidelium extraneorum iudex. Ita Panormitanus *in cap. omnis vtriuſque ſexus.* Nauarrus *in capit. 27. num. 22. & 23.* Immo poſſunt confeſſores iſti Hiſpali expoſiti, confeſsiones parochianorum Salmanticæ audire. Ita Sixtus Quartus in compendio, *conceßione vndecima.*

Quintum priuilegium eſt, quod cum pręſentātur iſti confeſſores per ſuos prælatos, & ab Epiſcopis acceptantur, vel non acceptantur irrarionabiliter, ſtatim ſunt confeſſores, non ab Epiſcopo, ſed à iure communi Clementinę dudũ. Etenim prædicta Clementina tantũ petit quod fratres pręſententur coram Epiſcopo, Sylueſter *verb. confeſſor 2. §. 5. & 9.* Hoc tamen intellige cũ grano ſalis, poteſt namq; Epiſcopus (ſi vult) electos examinare, & aliquem vel aliquos ſi adeſt cauſa rationabilis, non approbare: vt patet ex ipſamet Clementina dudum: propter hoc enim diximus ſupra pręſentiam corporalem electorum coram Epiſcopo requiri At ſi Epiſcopi abſolute nolunt licentiã dare dicto modo petentibus, nihil refert, quia eis licẽtia authoritate Apoſtolica & iuris conceditur, vel ſi Epiſcopi nõ expectata pręſentatione præmonẽtes, dicant, nõ pręſentetis aliquos, quia non admittemus. Audire poterunt confeſsiones ſine alia pręſentatione. Vide Syluestrũ *vbi ſupra. § nono.* Et quanuis ſufficiẽs horum omnium ratio eſt

quia sic vult & statuit ipsa Clemẽtina; possũt nihilominus supradicta hac ratione confirmari. Hæc approbatio non est opus gratiæ, sed iustitiæ; est enim veluti iudicium, seu sententia iusta, ergo in iuriam facit Episcopus quando sine causa eam negat, & contra merita personæ petentis: sed actio in iusta nemini nocere debet; ergo, ea non obstante ille manebit approbatus. Et confirmatur, quia cõsensus debitus & in iuste negatus, in iure eamdem vim habet, quã cõsensus datus, vt patet *In capit. licet, de Regularibus*, Vbi propter hãc causam, regulari petẽti à suo superiore licentiam transeundi ad perfectiorem ordinem, sufficit petita, & non obtenta.

Sextum priuilegium est, quod potestas horum cõfessorum non suspenditur per Bullam Cruciatæ. Ratio est, quia per illam solum suspenduntur priuilegia Apostolica: potestas verò horum confessorum est de iure communi, vt patet ex verbis dictæ Clemẽtinę. Archidiaconus ait, quod isti cõfessores sunt à iure deputati super confessionibus audiendis sicut Curati: non tamen sunt Curati, quia nõ tenentur audire: & secularis ab istis absolutus nõ tenetur postea confiteri peccata sua proprio parocho. Et secundum iuristas isti confessores censendi sunt ordinarij & perpetui ad instar legati, *cap. legatos de officio legati, lib. 6.* Quanuis non possunt subdelegare. & ad instar inquisitorũ hæreticæ prauitatis. *cap. ne aliqui, de hæreticis. lib. 6.*

Et summopere notandum est ex summa Tabiena

verbo

verbo Absolutio primo. § 34. Quod nos fratres prędicatores & fratres Minores habemus à Papa priuilegiū, quod quando frater acceptatur à pręlato suo in confessorē habet omnes gratias & priuilegia in audientia confessionum, ac si essent pręsentati secundum normam Clementinæ dudum: quam gratiā concessam fratribus prædicatoribus lombardiæ se vidisse testatur.

Et si aliquis opponat, prędictam gratiam non esse in vsu, ac per consequens non valere. Respondetur, quod nos fratres prędicatores habemus priuilegium ab Eugenio quarto concessum, nimirum, quod si aliquando contingat per aliquem, vel per plures actus contra quęcunque priuilegia, indulta, gratias nobis concessas, aut illorum aliquid, a quocunq; cuiuscunq; conditionis, dignitatis, gradus, status existat ex negligentia, vel ignorantia pręsentium vel futurorū quibus hęc concedūtur, aut alia quauis causa fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter vel scienter; nullum tamen prędiudicium priuilegijs indultis, gratijs volumus (inquit) generari, sed in suo vigore permanere. &c. Hęc summus Pontifex, in priuilegijs nouis, fol. 253. quod ipsum concessum est à Pio Papa Quinto anno 1567. In Bulla pagina 19. & 20. exquo patet quod non valet deinceps opponere contra nostra priuilegia quod non sunt in vsu & per consequens derogata.

Tandē aduerte, quod Prouinciales mendicantium habent priuilegium vt posint concedere suis con-

cedere

cedere suis confessoribus aprobatis iusta Tri dẽtin normam, authoritatem dispẽsandi ad petendum debitum cum his qui ante matrimonium castitatẽ vouerant, hoc enim eis cõcessit Pius quintus viuæ vocis oraculo, vt testatur vera cruz. *1.p. speculi cõiugat. art. 15. Corduba summa, quæst. 135. punct. 2. Emmanuel in Bullam § 9. num. 145. & tomo 1. qq. Reg. quæst. 63. artic. 2. Enrriquez lib. 12. de Matrimonio, cap. 2. num. 9.* De alijs autẽ priuilegijs quibus gaudemus in audientia confessionũ tam quo ad dispensandum, quam quo ad absoluendum, vide priuilegia noua quæ imprimi fecit Reuerẽdissimus Stephanus vsus maris, & emmanuelem *tom. 1. qq. Regul. in varijs locis*, non enim vacat modo ea hic adducere. sunt tamen aliqua dubia circa supradicta.

Dubium primum.

AN Religiosus legitimè per suum prelatũ Episcopo presentatus, & ab illo approbatus possit, secularium confessiones contra ipsius prælati volũtem, audire?

Magister Cano in relectione de pœnitentia tenet partem affirmatiuam, quam probat sic. Si generalis ordinis, aut prouincialis faceret me iudicẽ alterius religiosi, non intelligo quo pacto inferior prelatus possit id prohibere, sicut si daret mihi (inquit) prouincialis facultatem cœnandi, aut instituteret me

vica.

vicarium conuentus, ignoro prorſus qua authoritate prior illud impedire poſsit, ergo.

Secundo arguitur in fauorem huius opinionis. Parochus non poteſt prohibere parochianum ſuū quominus confiteatur religioſo habenti priuilegiū ad audiendas confeſsiones vel alteri ſacerdoti ab Epiſcopo expoſito, & ab illo iuriſdictionem hebēti; quia hęc facultas eſt relatiua, &, ſi vni datur ad audiendas confeſsiones, alteri conſequenter datur ad confitendum, ergo religioſus expoſitus quippe qui à Papa habet iuriſdictionem, non indigebit licentia ſui prælati ad audiendas cōfeſsiones, maximè illius qui à ſummo Pontifice licentiam eligendi confeſſorem habet.

Concluſio, Pręlatus ex rationabili cauſa in aliquibus particularibus caſibus, & euētibus poteſt prohibere religioſum ſubditum ſuum per Epiſcopū approbatum & expoſitum, ne eligatur virtute Iubilęi, aut Cruciatæ ad confeſsiones audiendas, & ſibi in hoc non obtemperanti pœnas in fligere. Hęc concluſio eſt Magiſtri Soto *in 4. diſtinct. 18. queſt. 4. artic. 3.* & probatur primò, quia religioſi non habent vele, vel nolle ſine conſenſu pręlati. Secundò, quia monaſteriorum prælati poſſunt ferre leges & mandata ad Monaſteriorum ſuorum rectam gubernationem, neceſſaria, ergo cum hoc ſtatuant, & prohibeant ex rationabili cauſa, poſſunt tranſgreſſores punire, eo vel maximè, quoniam per talem expoſitionem & appro

approbationem ab Epiſcopo factã non tollitur obedientiæ votum quo religioſi ſuis obtemperare prælatis circa religionis obſeruantiã, tenentur. Tertio probatur, quia ſummus Pontifex per Iubilæum aut Bullam per quã concedit quod poſsint religioſi eligi in confeſſores,non cogit ipſos, nec eis pręcipit vt audiant tales confeſsiones (in hoc enim caſu teneret opinio Magiſtri Cano ſupradicta,cum præceptum ſuperioris maximè Papæ nõ poſsit infringi ab inferiori.) Sed ſuppoſita electione de ipſis facta: concedit eis facultatem abſoluendi, ergo benè poterũt prælati ex cauſa prohibere ſuos ſubditos quantumcumq; expoſitos ne confeſsiones audiant; & punire contra facientes.

His accedit priuilegium Iulij Tertij conceſſum pręlatis noſtri ordinis prędicatorum ad inſtantiam reuerendiſsimi Stephani Vſuſmaris, inquo dictus Pontifex reuocat licentias,& immunitates cõceſſas religioſis noſtri ordinis ad confeſſores eligendos, &confeſsiones audiendas quas ipſe magiſter ordinis reuocandas iudicauerit;& vndecumque emanaturas gratias ſine ſuperiorum licentia concedendas annullat,niſi manu Papę,aut de conſenſu Cardinalis ꝓtectoris,vel vice protectoris fuerint ſignatæ.Anno milleſsimo,quingenteſsimo,quinquageſsimo, quinto.Ergo nos fratres prędicatores quantumcumque per Epiſcopum approbati, & electi per Iubilęum, vel cruciatã non poſſumus confeſsiones cõtra noſtrorum

trorum prælatorum consensum, audire.

Ad primum respondetur concedendo antecedẽs ille enim religiosus institutus iudex, seu vicarius cõuentus à prouinciali non potest ab inferiori prȩlato, impediri vt cõstat, negatur tamen consequẽtia, quia quanuis religiosus habeat facultatem audiendi confessiones à Summo Põtifice, hȩc tamen facultas non derogat cõueniẽti ordini & institutioni vnius cuiusq; Religionis, vt diximus in probationibus cõclusionis, quod satis explicatur in Clemẽtina dudum, & in extrauag. inter cunctas, de priuilegijs. Vide Suarez *tom. 4. disp. 26. Sectione 1. nu. 11. & ludouicũ miranda in Manuali prȩlatorum, tom. 1. quæst. 45. artic. 12.*

Ad secundum Respondetur, quod quantum est ex parte iurisdictionis ita est, quod sicut Parochus non potest prohibere Parochianum suum quominus confiteatur Religioso habenti priuilegiũ, vel alteri sacerdoti ab Episcopo exposito; ita similiter religiosus qui à Papa habet licẽtiam & iurisdictionẽ non indigebit licentia sui prȩlati ad audiendas confessiones, at ex alia parte, quia Religiosus non est sui iuris & arbitrij vt in hoc vel illo opere occupetur, sed tenetur parere prælato suo; ideo indiget licentia, vel saltem non prohibitione vt possit in audiendis confessionibus occupari.

Dubium 2.

 An

AN Tales confeſsiones contra prçceptum ſuperioris auditę, ſint validę? Partē negatiuam videtur probare ſupradictũ breue Iulij tertij diffinientis licentias audiendi cōfeſsiones emanatas ab Epiſcopo, ſiue aliundè religioſis conceſſas; eſſe nullas ſi abſque prçlatorum licētia impetrentur. hoc tamen non obſtante ſit.

Cōcluſio, quando iam Religioſus eſt legitime per Epiſcopum approbatus & à ſuo prçlato illi prçſentatus, ſi poſtea per prohibitionem extraiudicialem ſui prælati in aliquo caſu mādetur, ne confeſsiones audiat ſæcularium, quanuis malè faciat confeſsiones audiendo & propterea ſit merito puniendus: confeſsiones tamen ſunt validæ. Hęc concluſio probatur, quia per huiuſmodi præſentationem & approbationē accepit religioſus iuriſdictionē à ſummo præ ato Papa iuxta Clementinā dudum; ergo confeſsiones prædictæ validę ſunt, vt pote authoritate Summi Pōtificis factæ, ſecundo probatur concluſio, nam per huiuſmodi legitimam approbationē adeptus eſt talis religioſus officium cōfeſſarij in ſuo ordine: in religione autē ſuauiter & bene omnia diſponente non poteſt quis priuari officio prędicatoris & cōfeſſoris niſi per ſententiam inconuictum vel confeſſum latam, quæ priuatio in noſtro prædicatorum ordine ad pœnam pertinet grauioris culpæ. Ergo cōfeſſores noſtri non priuātur ſimplici & extra iudiciali prohibitione prçlati ac per conſequens geſta per ipſos abſoluendo &

dispensando valent.

Ad argumentum ex breui Iulij tertij Respõdetur, quod per prædictum breue non irritat Summus Pontifex præsentationem approbationem & iurisdictionem quam religiosus à Sũmo Pontifice accepit: quoniam non vndique hęc iurisdictio & licentia à particularibus dimanauit, sed ab ipso iure indicta clementina contento. vide emmanuelẽ *in addit. ad bullam. fol. 64. & 65.*

Aduertendum tamen est, quod si talis religiosus etiam si sit ab Episcopo approbatus, si tamen absque licentia suorum prælatorum fuit Episcopo præsentatus; tunc si prælatus illi prohibeat cõfessiones audire, & ipse audiat, vltra peccatum inobedientiæ in regraui, potest prȩlatus per prȩdictũ breue Iulij tertij, irritas & nullas declarare tales cõfessiones, & addit Miranda *indicta quæst. 45. art. 12.* Quod in nostro prædicatorum ordine, & in alijs qui prædicto priuilegio perfruuntur, aut simile statutum habent authoritate Apostolica factum, confessiones factę fratribus per suos prælatos ad audiendas confessiones non expositis, seu licẽtiatis ipso iure sunt irritę & nullę, quamuis ipsi alias ab Episcopis sint approbati. vide ibi. Et insuper talis sic approbatus ab ordinario sine sui prȩlati licẽtia non potest absoluere à reseruatis, quia priuilegia concedẽtia confessoribus regularibus potestatem absoluendi à reseruatis Episcopis, aut Sedi Apostolicæ tantum modo loquuntur de cõfessoribus

qui a ſuis Prælatis coram ordinario prꝙſentantur,& ab ipſis approbationem conſequuntur. vide emmanuelē, *tom.2.quæſt.27.Ar.1.& tom.1.q.60.artic.3. & Enrriquez lib.3.de pænit.cap.9.num.6.*

Caſus Epiſcopis à iure reſeruati, ſunt quinq; ſcilicet excōmunicatio pro iniectione violenta in clericum quando non eſt atrox. Peccatum pro quo eſſet ſolemnis pęnitentia imponenda. Peccatum clerici propter quod incurrit aliquam irregularitatem. Incendiarij non denunciati,& diſpenſatio votorū. Alij ſunt caſus Epiſcopis reſeruati ex cōſuetudine,& ſecundum diuerſas patrias. hoc nota pro dictis & dicendis.

Dubium 3.

QVÆNAM & quanta ſit poteſtas & iuriſdictio confeſſorum ordinis noſtri in Religioſos eiuſdē ordinis? Et primo quid poſſunt ſecundum ius cōmune canonicum, ſecundo quid poſſunt ſecundum indulta & priuilegia illis conceſſa?

Prima Concluſio, Secundum ius commune religioſi expoſiti per pręlatos ordinis in Religioſos eiuſdem ordinis tantum modo poſſunt abſoluere a peccatis mortalibus exceptis illis quæ frangunt votum caſtitatis, paupertatis,& obedientię: conſuetudine namq; generali velut lege ſunt reſeruati, de quo latius infra in vltimo verbo huius prologi. poſſunt ſimiliter prę

fati

fati cõfessores absoluere fratres ab omni cẽsura iuris cuius absolutio iniure non reseruatur alicui.hoc dictum constat *ex capitulo nuper,de sententia excommunicationis*.Quoniam à censuris quarum absolutio Episcopo vel Papę reseruatur nullo modo valẽt eisdẽ irretitos absoluere.hęc ita sunt clara vt probationẽ non petãt

Secunda conclusio. Secundum priuilegia ordinis nostri integrum erat prędictis confessoribus à plurimis casibus religiosos absoluere; at talia priuilegia renunciata sunt in capitulo generali Salmanticæ celebrato,anno millesimo quingẽtesimo quinquagessimo primo,vbi dicitur,denunciamus nos renunciasse omnibus priuilegijs (pręsertim fratrum minimorum) in quantum tangunt authoritatem de audiendis confessionibus fratrum in præiudicium prælatorum.hæc ibi.vnde propter hanc dicti capituli renunciationem,potestas confessorum fratrum est iam restricta,& ad ius commune deducta,vt scilicet tantummodo valent cõfessores absoluere ab omni peccato mortali quod tria vota vel alia reseruata non tangunt,& ab omni censura quę nulli reseruatur.

Ex quo deducitur notandum, quod audire confessiones fratrum illos, qui in illorum confessores non sunt expositi,dicitur,pręiudicium pręlati: quia talis est gubernatio regularis.Similiter si fratres absoluerentur per expositos, sed à reseruatis pręlatis ordinis, absque licentia. Absolui tamen per dictos confessores non abistis casibus reseruatis in ordine,

sed

sed à censura Papæ reseruata: vel dispensare super irregularitate virtute priuilegiorum nostrorum, nõ est in præiudicium prælatorũ. Nulla enim iniuria ex hoc infertur obseruantię regulari; neque prę latis. Sicut si Magister ordinis reseruaret sibi decẽ casus distinctos ab illis qui communiter reseruantur in ordine; concederet que fratribus vt tali festo possint ab illis absolui per confessores ordinis: nulla iniuria aut præiudicium infertur prælato inferiori. Ita similiter & cęt.

Sed contra hęc immediate dicta potest obijci ex regula iuris in sexto. Videlicet, *cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus. regula. 54.* Sed religioso confessori est integrũ à reseruatis Pontifici absoluere, ergo à fortiori licet illi à seruatis prælatis ordinis absoluere. Ad hoc argumentum respondetur, quod regula illa iuris intelligitur de rebus quæ sunt de iure cõmuni. In istis enim cum in maiori includatur minus qui potest quod est plus, potest quidẽ quod est minus. In rebus autem quæ sunt de iure speciali, nempe de priuilegio, nõ tenet regula illa; summus enim Pontifex voluntarie concedit hoc per suum priuilegiũ quãuis sit maius, & prohibet illud ꝙ est minus.

Summus Pontifex Leo Decimus ex benignitate suę pietatis concessit facultatem confessoribus regularibus quorumcumque mendicantium seu Monialium confessiones audientibus, quod ea plenitudine eos, vel eas absoluant, & illi statui innocentię

restituant qua sanctitas sua faceret si ipsemet peccata in confessione auscultaret. Et quod post hac eadem authoritate Apostolica omnibus, & singulis sanctam benedictionem impartiantur nomine sanctitatis suæ. Forma autem benedictionis est huiusmodi. Authoritate tibi concessa, & mihi commissa, egote absoluo: & sic plenarie illi statui innocentiæ restituo, quomodo sanctitas Domini nostri Papæ faceret si ipsemet in confessione, tua peccata auscultaret, eadem authoritate Apostolica tibi sanctam benedictionem Papalem impartior. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Hoc priuilegiũ refert frater Ioãnes Baptista ex fratre Emmanuele Rodriguez & ex compendio priuilegiorum.

Dubium 4.

AN Religiosi audire valeant confessiones omniũ fidelium cum sola suorum prelatorũ facultate?

Et probatur pars negatiua ex Concilio Tridentino *sessione* 23. *capit.* 15. Inquo auferuntur nobis omnia priuilegia quibus poteramus audire confessiones secularium absque licentia, vel examine, vel approbatione episcoporum. Intentio enim sacri Concilij (vt ibi dicitur) fuit, vt Episcopi scirent per approbationem debitam & examen, scientiam, & qualitatem illorum qui suarum ouium confessiones erant

rant audituri, ergo absque Episcopi approbatione non licet religiosis secularium confessiones audire.

Conclusio, integrum est Prouinciali exponere in confessores sæcularium inforo conscientiæ, fratres suę prouinciæ. Et ipsi absoluere valent omnes Christi fideles ab omni censura peccato, casu Episcopo vel Papę reseruatis, exceptis de cęna Domini, absque eo quod ab ordinario exponantur. Hęc conclusio nõ aliter probatur quam ex priuilegio Clementis Septimi anno millesimo, quingentesimo, trigesimo, concesso Prouinciali sanctæ Crucis de la Isla Española, ac per consequens omnibus alijs prouincialibus quarumcumque prouinciarum, & vicario prouinciæ absente prouinciali: & illi quibus ipsi specialiter & expræsse commisserint nõ obstantibus quibuscumque. Et quia non limitat locum, nec personas idcirco talis Prouincialis, & fratres ab illo expositi virtute huius Breuis Clementis Septimi poterunt audire confessiones omnium fidelium vbicũque se repererint, Europę, Asię, Africę in foro conscientiæ tantum; quia cum priuilegium sit personale sequitur personam vbicumque fuerit. *de regulis iuris, in 6. reg.* 7. hanc Conclusionem tenent doctissimi patres frater Illephonsus de Noreña, & Magister Illephonsus à Veracruce in suis compendijs, *verb. Confessor, conclusione quarta.*

Et aduertunt prædicti patres, quod pœnitentes sic absoluti virtute horum priuilegiorum à fratribus, qui

qui tantum modo à suis prælatis licentiam habent, satisfaciunt pręcepto confessionis, nec tenentur illa peccata iterũ fateri proprio Parocho; sunt enim vere absoluti coram deo. Pro hoc agit glossa notabilis *extrauagantis, Sedes Apostolica, de officio delegati, verb. singulorum in fine.* Vbi inquit, quod illi qui confitẽtur per literas obtentas à Pęnitẽtiario Papę, inquibus dicitur, quod confiteantur quibus voluerint per trienium; non tenentur cõfiteri illa peccata proprio Parocho semel in anno; quidquid Clament Parochi, quia sic habet consuetudo hæc glossa. Dixi supra in foro consciẽtię. quia inforo exteriori si Parochus non vult huiusmodi confessiones pro legitimè factis habere, poterunt quidem de iustitię rigore; confessiones namq; illæ non sunt factę ab expositis inillo foro. Poterit tamen ille pænitẽs confiteri aliqua peccata illorũ quæ alias dixit, coram confessore exposito, & ab eo petat Schedulam quam Parocho exhibeat. Ad argumẽtum ex decreto Cõcilij Tridentini Respõdetur, quod postea Pius Papa Quintus, Anno millessimo quingẽtessimo sexagessimo sexto, cõcessit nobis nostra priuilegia etiam quo ad derogata & restricta per Conciliũ Tridentinum vt eis vti possimus inforo consciẽtię tantum vt diximus)& ita vti possumus dicto priuilegio

Et addit noster sapientissimus Noreña, quod non solum prouincialis, sed etiam alij prelati Regulares possunt exponere suos Subditos in secularium confessores absque licentia ordinariorum, & isti confes

sores valent absoluere in toto orbe terrarum inforo conscientię tantũ omnes Christi fideles ab omnibus censuris, peccatis, & casibus à quibus Episcopi ordinaria potestate possunt. est que hoc priuilegiũ personale. Sed quod Magis est, Iulius secundus cõcessit fratribus Minimis sacerdotibus (vt habetur authẽticè in mari magno eorum) vt possint audire confessiones quarumcumq; personarum, tam ecclesiasticarum quam secularium vbilibet, ac ab omnibus casibus, excõmunicationibus, suspensionibus, interdictis, ac super quacumque irregularitate Episcopo à iure vel ab homine reseruatis toties, quoties opus fuerit absoluere, ac dispensare; vota quæcumque commutare & relaxare. Et Pius Quintus (vt dixi) de nouo nobis concessit omnia priuilegia. Et Paulus Quartus expressit, etiam fratribus minimis cõcessa. Et aduertendum quod huic priuilegio non renunciauit capitulum generale salmantinum de audiẽdis confessionibus fratrum in prejudiciũ prelatorum Immo vero postea per Reuerendissimum Stephanum vsus maris petitum est hoc priuilegium; & incorporatũ cum alijs quæ ipsemet Reuerendissimus imprimi fecit.

Caueat tamẽ frater ordinis prędicatorum ne hoc minimorum priuilegio confissus, confessiones audiat seculariũ nisi habita prius sui prælati facultate, quia punietur pœna carceris innostris cõstitutionibus contenta, *distinctione secunda, capit* 12. *nu.* 1. quod ipsum prohibetur in capitulo generali venetijs celebrato, quod scili-

ſcilicet, prius examinetur &c. Factum tamen valebit quia non caret poteſtate. Ad argumentum patet ex dictis ſcilicet, quod Pius Papa Quintus cõceſsit nobis noſtra priuilegia, &c.

Dubium quintum.

AN QVIS habens caſum reſeruatum cum annexa excommunicatione poſsit virtute alicuius Bullę, cõceſsionis, aut priuilegij abſolui, prius ab excommunicatione, & poſtea à peccato? Et videtur quod ſic, quia ſecundum veriorem & cõmuniorem opinionem quam ſequuntur Durandus *in 4. diſtinct. 17 queſt. vnica, Magiſter* Cano *inrelectione de pænitentia, part. quinta tractatu de* Caſibus *reſeruatis.* Nauarro *in manuali, cap. 27. nu. 254* Scilicet, quod ſiquis aliquẽ caſum habet reſeruatum cui annexa eſt ex communicatio reſeruata, poterit ſuperiorem adire, & ab excõmunicatione abſolui; ac poſtea per quempiam alium confeſſorem approbatum poterit à peccato abſolui, nam excõmunicatione ſublata, reſeruata iam non erit amplius culpa. & hæc eſt conſuetudo Romana ait prædictus Magiſter Cano, & refert Angelus, ergo idem videtur pariter dicendum in noſtro caſu.

Oppoſitum tamen eſt verum & tenendum. & ratio adducta non obſtat, quia ſi Sũmus Pontifex, vel Epiſcopus aut eius vicarius abſoluunt ab excõmunica-

 tione,

tione, talis abſolutio non eſt Sacramentalis, ſed tantum iudicialis: & ideo poſſunt abſoluere illa abſolutione, ſcilicet, iudiciali, abſq; eo quod abſoluant à peccato, at dum confeſſor virtute alicuius Bullę abſoluit ab excõmunicatione; abſoluit quidem ſacramentaliter in ſacramento pœnitẽtię, aliter enim illud agere minime poſſet, niſi ad illud poſſe facere extra ſacramentum bulla aliqua concederet authoritatem. In multis enim Bullis (vt eſt cruciatæ) dicitur quod auditis cum diligẽtia eorum cõfeſsionibus, poſsint illos abſoluere a quibuſcumq; peccatis & cenſuris. Ita tenet Couarrubias *in cap. Alma mater, de ſentẽtia excommunicationis, part. 2. § 11. Nauarro in ſumma cap. 26. Corduba in ſumma, quæſt. 19. fol. 60.* Et Pius Quintus ſic declarauit in Iubilæo conceſſo, Anno 1568. quod incipit grauiſsima maximaquè pericula.

Dixi virtute alicuius Bullę: quia ſi excommunicatio nõ ſit reſeruata, & confeſſor habuerit authoritatem abſoluendi ab illa, bene poterit abſoluere in foro exteriori, ſicut ſolent curati communiter facere. Sic tenet Syluester, *abſolutio tertio in principio tertij notabilis.* Et fratres minores poſſunt id facere etiam non ſeruata cęremonia illa cum qua talis abſolutio fieri ſolet, per conceſsionem quandam, Leonis Decimi, & hoc in foro conſcientię tantum; quia in foro exteriori, omnino debet illa cęremonia ſeruari, ſi cõmode tamen fieri poterit, aliter enim non obligaret vt ait Nauarro *in manuali capit. 26. num. 9.* Itaq; ad rem noſ-

nostram reddeundo, dicimus, quod cum talis absolutio ab excõmunicatione debeat in sacramento cõfessionis fieri, & confessio debeat esse integra ex iure diuino in quo summus Põtifex dispensare nequit, necessarium erit omnia peccata similiter audire, & sic prius ab excommunicatione, postea à peccato in eadem confessione facienda erit absolutio.

Sed aduertendum est, quod confessores expositi secundũ Clementinam dudum, vel alias approbati ab Episcopo iusta Concilij Tridentini normam, possunt absoluere ab excommunicationibus quarũ absolutio in iure nulli reseruatur, etiã extra confessionẽ, quia istis non datur modus quod prius auditis peccatis absoluant ab excommunicatione.

Sed contra hoc militat doctrina supra adducta, nempe, quod confessio debet esse integra, de iure diuino, ergo præfati confessores secundum Clementinam dudum, expositi, non valent dimidiare confessionem absoluentes ab excommunicatione, & nõ à peccatis. Pro solutione notandum est, quod absolutio ab excommunicatione non est sacramentalis: sicuti omnium cõsensu receptissimum esse videtur in 4. sent. distict. 18. dum materiam excommunicationis tractantes post Divum Thomam ibi, *quæst. 2. art. 2.* tenent, hanc potestatem ad iurisdictionẽ non ad ordinem pertinere. & ita notatur *in cap. transmissam, de electione*, & fatentur multi, quod quoad iudiciale forum exterius Clericus non dum sacris initiatus potest absol

 uere

uere ab excõmunicatione. Quod absolutio ab excommunicatione non sit sacramẽtalis probatur, quia sacramentalis absolutio est pars sacramenti pęnitẽtiæ, quod quidẽ pænitẽtię sacramentũ ad peccata quę in iudicio animę secretè, & integrè sacerdotib⁹ detegũtur, remittẽda omnino pertinet, & sic ad vinculum quod propter peccati culpam peccator absq; vlla excõmunicatione obsolam diuinam offensam cõtrahit iuxta illud: *quorum remiseritis peccata, remissa erunt: quorum retinueritis, retenta erunt.* Non autem pertinet Sacramentum pœnitentię ad remittendum vinculũ contractũ ex iudicis exterioris sententia, ex quo constat absolutionem ab excommunicatione posse impendi extra Sacramentum vt in principio dubij dicebamus. Ad argumentum igitur respondetur, quod quando agitur de absoluendo excommunicatum à peccato, propter quod iure fuit excomunicatus, tunc absolutio pertinet ad forum Sacramẽti pœnitentiæ inquo tam ab excommunicatione quam à peccatis debet fieri absolutio, maximè si impenditur virtute alicuius Iubilęi, vel Bullę, inquibus communiter hic modus datur, vt dicebamus. Quando vero tantum agitur de absoluendo ab excommunicationis vinculo, bene potest fieri extra forũ animæ, vbi de peccatis per absolutionem Sacramentalem tollendis, non de censuris agitur.

Dubium 6.

Circa

CIRca materiam dubiorum pręcedentium de perpetuitate confessorum nostrorum conformiter ab literam huius prologi, se obtulit dubium. Video namque in hac Prouincia sancti Hippolyti vsum præualentem; quod si religiosus qui in conuētu de Oaxaca est à Priore expositus in fratrum dicti conuentus confessiones audiēdas: Si postea iste Religiosus asignetur in alium conuentum, & tandē post quinque, vel sex menses iterum reasignetur in dictum conuentū de Oaxaca ad huc perseuerāte in officio priore, qui eundem ibidem exposuit in confessorem fratrum, indigere noua expositione ad audiendas fratrum cōfessiones. quæritur quid iuris in hoc? militat enim contra literam prologi, vt clare patet.

De materia huius dubij dupliciter loqui possumus vel stando in iure cōmuni, vel secundum consuetudinē, primo modo, dicendū censeo quod dictus frater poterit absq; noua licentia & expositione audire fratrū confessiones in conuētu de Oaxaca. Ducor, quia siue Prior fecerit talem religiosum confessorē fratrum in nomine dignitatis, siue simpliciter vt fieri solet; illa licentia est gratia, & fauorabilis, quia in salutem animarū, vt docet Ioannes Andreas, *capit. non potest. de præbendis, lib. 6.* Ergo est perpetua, vt dicit glossa, *capituli si delegatus, de officio delegati, in 6. verb. morte. Et Philippus francus in capit. si gratiose, de rescriptis, lib. 6.* Inquit quod si cōcessio fiat simpliciter, & nō ad beneplacitum, non cessat morte concedētis: quia talis gratia est perpetua

tua

tua.& glossa *in capit. si delegatus, de officio delegati, in 6. verb. morte, & Ioannes Calder. dicunt.* Quod Capitulū si gratiose, de rescriptis in 6. vbi dicitur, quod gratia vsq; ad bene placitū concedētis cessat. &c. debet intelligi in gratijs & concesionibus ambitiosis & non in fauorabilibus cum ergo huiusmodi cōcesio & licētia sit fauorabilis vt pote in fauorem animarum: non cessat per mortem concedentis: ergo neque si religiosus cui facta est recedat à iurisdictione concedentis. Patet consequentia, quia gratia sicut est ista concesio; ex se & suapte natura est perpetua concessa personæ in fauorem fratrum dicti conuentus, ergo quanuis religiosus iste recedat ad tempus à iurisdictione prioris de Oaxaca non vitiabit istam gratiam & naturā eius probatur consequentia, quia huiusmodi absentia & discessus est accidentarius, & non contrarius concessioni quando postea dictus frater secundo aduenerit. eo vel maxime quia cōcessa est personæ quæ durat, iusta regulam iuris in *6. priuilegium personale personam sequitur. regula* 7. id ipsum tenet Henrriquez *lib. 6. de pœnitentiæ sacramento capit. 6. num. 7. litera* b. dicens, quod qui ab Episcopo approbatus est pro vna tantum vrbe aut oppido rusticorum, in quo non sunt difficultates negotiatorum aut militum; hic quanuis sæpe recedat ab ea diœcesi aut oppido, si reddeat retinet pristinam licentiam: nec ista licentia expirat morte Episcopi concedentis quia est quędam gratia. confirmātur hæc omnia ex hac litera prologi, *num.* 8. vbi confesso.

ſſores fratrum non expirant permortem eos expo-
nentis,ſed durant donec fuerint reuocati.

Si loquamur ſecundo modo videlicet,de conſue
tudine neceſſariũ videtur quod de nouo exponatur
talis religioſus in cõfeſſorem fratrum dicti conuen-
tus de Oaxaca.Probatur quia intentio illius qui pri
ma vice eum expoſuit fuit,pro tempore quo in illo
conuẽtu erat aſsignatus:&cum hæc poteſtas depen
deat a voluntate illam concedẽtis,non vltra proce-
det quamvoluntas illius ſit.actus enim agentiũ non
operantur vltra eorum intentionem,*capit. vltimo depre-
hendis,& leg. non omnes.ff.de rebus cred.*

Sed contra hoc arguitur.Si Religioſus prius aſsig-
natus in conuentu de Oaxaca,& inconfeſſorem fra-
trum expoſitus in eodem conuentu, confirmetur in
Priorem conuentus de Cuilapa: & poſtea finito eius
officio reuertatur indictum conuentum de Oaxaca,
poterit quidem abſq; noua alia licencia ſed cum an-
tiqua confeſsiones fratrum in illo conuentu audire.
Ergo ſimiliterReligioſus qui inde,abillo ſcilicet,con
uentu aſsignatur in alium,quando poſtea reuertitur
aſsignatus iterum in conuẽtu de Oaxaca, poterit au-
dire confeſsiones fratrum abſq; alia noua licentia,
antecedẽs probatur *ex cap.conſtitutis,de electione* vbi de-
ciditur,quod Monachus vnius monaſterij factusAb
bas alterius,in electione Abbatis prioris monaſte-
rij vocem non habet, etiam ſi tale ius ab Abbate &
monachisprioris monaſterij ſibi fuit conceſsũ.quod

ipsum declarauit glossa nostrarum constitutionum, *distinct. secunda, capit. 2. num. 6.* & ait, sic declaratum fuisse in Capitulo generali bononiæ, Anno 1305. At vero finito officio dicti Abbatis, reuertitur ad primum monasterium: in quo absque dubio & habet vocem ac cætera omnia quæ conuentuales illius conuẽtus habent, vt videmus in vsu, quare ergo non dicemus quod religiosus qui a conuẽtu de Oaxaca assignatur in alium conuentum, quando postea reassignatur in dicto conuentu de Oaxaca potest, absq; noua expositione audire confessiones fratrum istius conuẽtus? Ad hoc Respondetur primo, quod ita vsus in nostro ordine declarauit, nimirũ, quod talis Religiosus non possit audire confessiones fratrum conuẽtus de Oaxaca nisi iterum ei super hoc concedatur. ratio est, quia in prima licentia subintellectum fuit, quandiu fuerit conuentualis huius conuentus de Oaxaca exponitur ad audiẽdas confessiones fratrum. Secundo Respondetur, quod quanuis sic videatur concessum fratri qui eligitur in Priorẽ alterius conuentus; quod videlicet, exponitur ad audiendas confessiones fratrum in conueutu de Oaxaca quãdiu fuerit Subditus prioris illius: at quia ille Religiosus desiuit simpliciter esse Subditus & conuentualis conuentus de Oaxaca, per assignationem in alium conuẽtum, non est integrum illi audire confessiones fratrum ibi, absq; noua licentia. Secundus autem frater qui in priorem de Cuilapa electus fuit & cõfirmatus, non desiuit esse

Subdi

Licebit tamen (ait summus Pontifex) superioribus, determinare pœnitentias graues quibusdã peccatis, etiam non reseruatis, à confessarijs imponendas; quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint. Atque ita per quoscumque regulariũ superiores, quicumque illi sint obseruari mandauit.

Ex qua summi Pontificis constitutione & decreto patet, nostram constitutionem in hac litera prologi ablatam esse; dispositionem que supradictam Alexandri Sexti restrictam & moderatam manere, vt scilicet, Prouinciales, & generales per se solos, neque priores iam vllatenus posse casus sibi reseruare: sed (vt dictum est) in capitulo generali & prouinciali cum consensu patrum vocalium ibi pro electione facienda conuenientium; hoc enim dicitur, & est capitulum prouinciale, vt supra num. 8. dictũ manet.

Aliqui dicunt summum Pontificem per illam cõstitutionẽ statuere, quod omnes supra dicti casus sũt in religionibus reseruati ; ita vt quanuis in dictis capitulis possint reseruari alij casus à supra dictis etiam eiusdem materię supradictorum casuũ, vt puta, in materia lapsus carnis, possunt reseruari tactus impudici: supradictis tamen casibus semper firmiter manentibus, & in nullo mutatis. Ita Emmanuel Rodrig. *tom. 1. qq. reg. quæst. 21. artic. 2. Capuccinus in suo compendio, verbo casus reseruati.*

Veriorem tamen reputo oppositam sententiam; videlicet, nõ statui à summo Pontifice, vt omnes hi

casus

casus sint in religionibus reseruati, sed permitti tantum, vt superior religionis posit hos casus reseruare, aut omnes, aut eorum aliquod, prout subditorũ vtilitati expedire prudẽter in Domino iudicauerit: prohiberi autem ne prælati regularium, prȩter hæc peccata, alia sibi reseruent, propria, scilicet, authoritate. Addit enim statim idem summus Pontifex, si ꝙ aliud præterea peccatum graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate, reseruandũ videbitur; id nõ aliter fiat, quam generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura discussione, & consensu. Ita Suarez, *tom. 4. in tertiã part. disputat.* 28. *sectione*, 3. *num.* 11.

Sed quid dicendum si Prior in suo conuentu prohibet sub excommunicatione ipso facto in currẽda illius absolutionem sibi reseruando, vt v g. ne religiosus cum è monasterio cum licẽtia egreditur, aliquam domũ ciuitatis ingrediatur sine speciali prælati licentia, vel quid simile. Dubitatur an post hanc Clementis Octaui constitutionẽ posint priores conuentuum hanc reseruationẽ facere? videtur enim non posse sine consensu capituli prouincialis, quia omnis casuum reseruatio illis interdicta est; hȩc autem est cuiusdam casus reseruatio, nam, reseruata excommunicatione, non potest religiosus ille absolui à sua culpa nisi à suo prælato, quod est contra Põtificis intentionem. At que ita aliquibus viris doctis visum est. At, dicendum censeo, hanc potestatem nõ

esse

esse ablatā prelatis Religionū. Ducor, quia summus Pōtifex expresse loquitur de reseruatione culparū, dicit enim. Nemo ex regularium Superioribus peccatorum absolutionē sibi reseruet, exceptis ijs. &c. in casu autem dicto non reseruatur peccati absolutio sed censuræ, quę lōge diuersa est, & ad diuersum forum & iurisdictionem spectat.

Nec obstat, quod perse loquēdo non potest impendi absolutio à peccato non ablata cēsura: hoc namq; accidētarium est; sufficit enim quod non sint idem, vt ab vna ad aliam non sit extendenda prohibitio, præsertim cum respectu prælatorum sit onerosa, & stricti iuris, vsum iurisdictionis restringens. ijs accedit, quod non est dubium, quin integrum sit prelatis huiusmodi excōmunicationes ferre, sicut antea poterant: talis autem excōmunicatio est ab homine, cuius absolutio veluti ex natura sua est reseruata iudici ferenti: ergo sicut per Pontificis constitutionem non est ablata potestas ferendi excōmunicationem ab homine, ita nec prohibita est talis censuræ reseruatio: at quia opposita opinio non caret probabilitate, ideo prælatus ferens sententiam excōmunicationis potest hanc sententiam suam & mētem declarare, & tunc absque dubio operatur pręcise circa censuram, & non circa culpam, quare si ita fiat, non videtur hoc esse prohibitum ex vi decreti Clementis Papę Octaui.

Dubium. 2.

VTRVM, ex quo iam ſublata eſt prioribus poteſtas reſeruandi caſus ſibi, ſit etiam ſublatum eis, quod poſsint eligere confeſſorem qui eos abſoluat a reſeruatis?

Pars affirmatiua probač primo, nullus poteſt abſoluere à caſibus reſeruatis ſuperioribus, abſq; licentia ipſorum Superiorum, ſed (iuxta ſupradicta) capitula generalia & prouincialia ſunt quę reſeruant ſibi caſus; ergo Priores vt pote qui inferiores nec poſſunt abſoluere nec abſolui abſq; licẽtia Capituli generalis, vel prouincialis.

Si dicas, conſuetudinem iam eſſe receptam, quod Priores, & abſoluant à caſibus reſeruatis, & abſoluantur; & ius declaratur per vſum, & quod conſuetudo dat iuriſdictionem non habenti, *cap. dilecti de arbitris.*

Cõtra hoc arguitur. Nam Bonifacius octauus, *in capitulo ſi Epiſcopus, de pęnitẽtijs & remiſsionibus*, ſtatuit, quod nulla poſsit cõſuetudine introduci quod aliquis præter ſui ſuperioris licentiam confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſsit abſoluere, vel ligare, ergo.

In hoc dubio, collector priuilegiorum mendicantium, *incõpendio, titulo, accedere ad monaſteria monialiũ*, ſequens opinionem Angeli, *verb. confeſſor.* 3. inquit, quod Prouinciales, Cuſtodes. Priores, Guardiani non ſunt de numero illorum prælatorum exemptorum quibus conce-

concedit ius *in capitulo ne pro dilatione pœnitentiæ, de pœnitentijs & remißion.* Vt posint ad libitum eligere confessorem. Et pro sua sententia allegat hostiensem, Panormitanum, & alios.

Oppositum tamen est tenendũ cum Syluestro *verb. confessor primo, §.8. & Magister Soto in 4. distinct. 18. quest. 2. art. 5.* Ait enim Magister Soto, quod delegatis à superiore, qui per se non habent ordinariam iurisdictionẽ absoluendi, possunt ipsi superiores vt libuerit peccata reseruare: vt Episcopus sacerdotibus qui nõ sunt parochi, & prælatus in religione suis sacerdotibus. Nam cum illi nullam habeant iurisdictionem nisi quam à superiore accipiunt, potest superior eã illis taxare, & moderari vt libuerit. Si autem illi inferiores potestatẽ habeãt ordinariam, vt sunt Parochiarum curati, profectò non potest pro libito saltẽ Episcopus: nam cum ipsi sint ordinarij, quam ordinariã potestatem non habent ab Episcopis, sed à iure diuino, nõ potest superior illos sua potestate de fraudare. Hęc Magister Soto. Et Margarita confessorum fol. 8. Rosella *verb. confessor, 3. Corduba in additionibus ad cõpendium* dicunt, quod inter prȩlatos inferiores quibus in dicto iure conceditur licentia ad eligendum confessorem, continentur dicti prælati: quod quidẽ ex litera eiusdem iuris satis cõstat, inquit enim. Ne pro dilatione pœnitentię periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & alijs superioribus nec non minoribus prȩlatis exemptis; vt etiam

prẹter sui superioris licentiam, prouidum, & discretum sibi posint eligere confessorem. Hẹc ibi. Quæ verba, nempè, præter sui superioris licentiam: cum post omnia ponantur & nihil distinguant; videntur sine dubio omnes prẹlatos minores exemptos cõprẹhendere, etiã non immediatos summo Pontifici. Nam si (vt ait Collector) requireretur quod tales prẹlati essent subiecti immediate Papẹ, non ponerẽtur illa verba, scilicet, prẹter sui superioris licentiã. Et hanc opinionẽ tenet Panormitanus *in eodem capit. ne pro dilatione, &c.* Dicens, quod prẹlatus ibi sumitur in lata significatione: & cum hoc non sit priuilegiũ sed constitutio iuris communis, contra quam superiores sine licèntia sedis Apostolicæ non possunt aliquid ordinare: inde est, quod Capitulũ generale, neque prouinciale non possunt tollere à prioribus dictam potestatem.

Ad primum argumentum respondetur, quod benè probabat si priores haberent potestatem, & iurisdictionem delegatam, cum tamẽ illam habeant à iure, vt dictum est, non indigent licentia superioris, scilicet, Capituli generalis seu prouincialis. Vide Sãchez *tomo tertio de Matrimonio, disputat. 3. num. 3.*

Ad replicã ex bonifacio Octauo *in capit. si Episcopus* Respondetur, quod intelligitur de subditis, nõ verò de prẹlatis vt sunt priores, guardiani. Isti enim etiã si fuerint hospites in alieno loco, posũt sibi eligere confessorem absque superioris illius loci licentia.

Vide

Vide Emmanuelem Rod. *tom. 1. qq. Reg. quæst. 20. artic. 28. & Ludouicum miranda in Manuali prælatorum, tom. 2. quæst. 33. articulo, 6.*

Dubium 3. difficile.

VTrum, in nostro ordine prædicatorum possit religiosus absolui per Bullam Cruciatę à casibus reseruatis absque licentia, & voluntate sui prelati?

In hoc dubio Magister Ludouicus Lopez *in secunda parte sui instructorij conscientię, cap. 8.* docet, ita practicari in prętorio cruciatæ, scilicet, quod virtute bullæ, religiosi etiam mendicantes posint sibi cõfessorem eligere, & per sic electum à casibus reseruatis & censuris absolui. Secũdo inquit, quod interindum per suos prelatos non intimatur aliqua reuocatio aut declaratio Papalis, aut authoritate Papali expedita in contrarium, non debent inquietari prædicti religiosi sumentes Bullam: nec impediri à facultate sibi concessa in Bulla eligendi confessorem.

Probat suam sententiã primo, authoritate Magistri Soto, *in 4. distinct. 18. quæst. 4. artic 3. ad primum.* Vbi ait, quod licet frequentia horum priuilegiorum aliquid detrimenti Religioni (vt prelati aiunt) solita sit afferre; nam videtur quod libera facultas inscio prelato confitendi alteri, non nihil in commodi regimini soleat inferre: nihilominus postquam Papæ placet, parendum est.

Secundo probat, quoniã satis apertè bulla cruciatę exprimit se concedere omnibus religiosis etiam ordinum mendicantium, eos hoc nomine nominando: quod si illam sumpserint contribuentes pro ea infra scriptam in Bulla eleemosinam, possint sibi eligere confessorem, qui etiam à casibus & censuris reseruatis possit eos absoluere, ergo. Noster Sapientissimus Noreña, *in suo compendio verb. cruciata*, dicit, quod fratres mendicantes non possunt accipere Bullam cruciatę, nec illa vti postquam acceperint absq; suorum prælatorum licentia, vt dicitur in eodem compẽdio, *verb. absolutio ordinaria quo ad fratres, num. 12. & sequentibus, & verb. cruciata*. Si vero de licentia legitimi prælati fratres Bullam acceperint, secus dicendum est, quibus verbis addit Magister à veracruce, si datur licẽtia quo ad reseruata.

Pro declaratione huius dubij notãdum est primo, valorem priuilegiorum esse multum variabilem, ac per consequens de eis non prȩcipitãtes sed inquam plura mentis aciem figentes loqui oportet. Quoniam sæpe valori primi priuilegij per secundũ derogatur & sic de cæteris, & huius non alia est ratio nisi quia vnus Papa non potest manus alterius ligare quin faciat in his, quod sibi placuerit.

Secundo notandũ est, quod quando in aliqua Religione est priuilegium, vt nullus eius frater possit absolui à casibus reseruatis in ordine per Bullã Cruciatæ, vel per alia priuilegia nisi de ipso priuilegio fiat

fiat expręssa mentio de verbo ad verbum: tunc dicto primo priuilegio non derogatur per secundum scilicet, per Bullā cruciatæ nisi de ipso primo fiat mētio specialis, vel per verba generalia quæ equipolleant particularibus, dicendo, scilicet non obstantibus quibuscumque in cōtrarium facientibus, etiam si de eorum de rogatione oporteret particularem mentionem fieri.

Tertio est notandum, quod si post Bullā Cruciatæ vel alia priuilegia per quæ derogatum fuit primo ordinis priuilegio, summus Pontifex iterum de nouo concedat dicto ordini omnia sua priuilegia non obstantibus quibuscumq; in contra facientibus; tunc cessat valor Bullæ Cruciatæ quo ad hoc vt religiosus qui eam accepit posit absolui à casibus reseruatis. Ducor hac ratione, per talem nouam concesionem concesit summus Pontifex dicto ordini omnia priuilegia quę habebat, vt ei erant per sedem Apostolicam concessa, sed inter illa priuilegia erat vnum, vt nullus frater posit per Bullā Cruciatæ absolui à casibus reseruatis, ergo per talem concesionem cessauit Bulla. His suppositis fundamentis sit.

Conclusio. Religiosus ordinis prędicatorum nôn potest absolui à casibus reseruatis in suo ordine, virtute BullęCruciatę, aut cuiuscumq; alterius indulti. Hęc Conclusio probatur, nā Iulius III. anno millesimo quingentensimo quinquagesimo quinto, decima septima die Ianuarij ad petitionem reuerendisimi

dissimi generalis ordinis nri Stephani vsus maris concessit,&ordinauit:quod si quæ priuilegia à sede Apostolica emanauerint,per quę concedatur fratribus,posse absolui à reseruatis in ordine suo, (nisi suorum superiorum consensu,vel nisi manu summi Pōtificis,vel de consensu protectoris vel vice protectoris signata fuerint talia priuilegia) nullius roboris sint statuit,& decreuit. Est hoc breue in priuilegijs authenticis quæ imprimi fecit ipsemet reuerendissimus vsus maris.

Ex quo patet,quod Bullæ Cruciatę quæ à die datę huius breuis &concessionis Iulij Tertij emanauerūt quas religiosus ordinis nostri accepit, nullius sunt roboris,nisi in ipsis Bullis,vel in originali earum ꝙ transmittitᷣ commissario generali Cruciatę habeatᷣ, quod religiosus ordinum mendicantium possit illā accipere, eaq; vti in absolutionibus à casibus reseruatis pręlatis sui ordinis non obstantibus quibuscūque in contrarium facientibus, etiam si oporteat de ipsis mentionē facere particularem de verbo adverbum,alijsq; insolitis,& in consuetis.Probatur hoc ex Syluestro *verb. exemptio §. vndecimo.* Vbi hoc probat ex multis doctoribus iuristis: &ipsamet ratio dictat ꝙ vnum quodque tollatur per suum contrarium,&nō aliàs.Sed nisi in Bulla Cruciatæ habeantur supradictæ non obstantiæ nō tollitur Clausula sui contrarij, nempè priuilegij Iulij Tertij;ergo manet in suo robore & vi, derogante seu anullante quamcumque

Bullam

Bullã, vel priuilegiũ quantũ ad supradictã clausulam de eligendo confessorẽ quoad reseruata in ordine.

Qua propter, confessor qui inter audiendas confessiones religiosi dicentis se habere Bullam Cruciatę sibi concedente posse à casibus reseruatis absolui sit cautus & solers indagator, an Bulla quæ sibi allegatur contineat verba tanti ponderis & momenti, vt per ipsa clarè derogetur dicto priuilegio Iulij III. aliàs tàm ipse quàm pœnitens in foueã cadent. Ab soluentes enim à casibus reseruatis sine autoritate, nullam faciunt absolutionem, & incidunt in pœnam absoluentium à casibus non concessis. Ita Alexander Sextus in priuilegio in dubio primo allegato. Pęna autem ponitur *in capit. religiosi, de priuilegijs*: & est, quod remanent excommunicati ipso facto.

Nec credat dicẽti sibi sufficiẽter & clare derogari dictum priuilegium Iulij tertij, per suam bullã cruciatæ, nisi talis esset persona, vel nisi à tali persona respõsum accepisset vt nefas esset non acquiescere, omnia hæc confirmari possunt ex Panormitano, *in capit. cum ad hæc, de clericis non resident.* Vbi inquit, quod priuilegium grauiter lædens ecclesiam vel tertium, non valet, nisi in illo fiat mentio de hac læsione, quia in dubijs non debemus præsumere quod concedat aliquid cum alterius dispẽdio. ergo si clarè non dicatur in bulla quod Religiosus eam accipiens absolui valeat à casibus reseruatis; & clare, liquide & sufficiẽter per suam bullã derogari appareat dicto breui, nullo

 modo

modo poterit confessor talem Religiosum absoluere? Immo verò in Bulle originali oppositum huic continetur, scilicet *in hac nostra derogatione nollumus comprehendere similes, vel dißimiles facultates concessas mendicantium ordinũ superioribus quo ad fratres suorum ordinũ: nec per illam aliquod praeiudicium ipsis praelatis afferre: quoniã illa sic durare volumus.* Sed antea praelati mendicantium habebãt priuilegia vt nullus eorum frater acciperet Bullam cruciatae, nec ea vti posset sine licẽtia sui prelati, vt concesit Leo Decimus, & Innocẽtius octauus, & extat etiam breue Iulij tertij supradictũ, ergo. Ita etiam tenet Emmanuel Rodrig, *tomo 1. qq. Regul quaest. 21. Artic. 10.* nempe quod per Bullam cruciate non suspenduntur priuilegia prelatorum quantum ad hoc. nam in suspensione generali priuilegiorum indultorum, gratiarum, & indulgentiarum quae fit a Cõmissario generali dicitur, exceptis tamen quae concessae sunt ordinum mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres. quae exceptio fit à dicto Commissario virtute facultatis sibi datae in eadem Bulla. Nec valet (inquit) aliquorum licet doctissimorum virorum opinio, quod scilicet, dicta clausula exceptiua, ad indulgẽtias tantum referri debeat, ita quod velit Summus Põtifex per eam, quod indulgẽtie concesse fratribus mendicantibus minime per Bullam suspendantur, non vero priuilegium eligendi confessorẽ, & absoluendi à reseruatis. Nam respõdetur, quod illa clausula exceptiua ponitur in fine suspensionis in qua suspẽduntur

non

non solum indulgentiæ,sed etiam alia priuilegia,& in dulta,cuius modi est, priuilegium de eligẽdo confes sorem de potestate ad absoluendum à reseruatis.& clasula in fine posita refertur ad omnia pręcedẽtia, vt notant iuristę.& per hęc respõdetur ad secundam rationem Magistri Ludouici Lopez ex Magistro So to de sumpta.

Et adhuc est aduertendum,quod dato per aliquas Bullas vel indulta Apostolica derogatum fuisset dic tum breue Iulij tertij quoad hoc quod Religiosus qui Bullam cruciatæ accepit,absolui posſit a reseruatis: at vero postea Anno millesſimo quin gentesſimo sexagesſimo septimo per Bullã Pij Papę quinti pro prio motu vocatam,concedũtur de nouo omnia pri uilegia per suos antecessores ordinibus concessa,non obstantibus priuilegijs in contrarium facientibus. ergo conceditur de nouo priuilegium Iulij tertij per quod anullãtur omnes gratię cõcessæ fratribus men dicantibus vt absolui posſint à casibus reseruatis,ac per consequens bullę non valent. hoc totum proba tur per secundum & tertium notabile.

Animaduertant tamẽ prælati & confessores quod si à concesſione dictæ Bullę Pij Papę Quinti,emana uerunt alię Bullæ Cruciatæ,vel alia Apostolica indul ta per quę clarè & sufficienter derogetur dicto pri uilegio Iulij Tertij;tunc religiosus qui illa in dulta Apostolica & Bullam Cruciatę accepit,poterit absol ui à casibus reseruatis in suo ordine:quippè tunc nu

 llius

Huius valoris constat esse priuilegium Iulij Tertij, vt pote iam derogatum per summum Pontificem. Sciat similiter religiosus qui dictam Bullam Cruciatæ accepit per quam à casibus reseruatis absolui poterat; quod si iterum summus Pontifex concedat de nouo omnia priuilegia ordinibus mendicantibus concessa non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, vt solet apponi in similibus concessionibus: tunc quidem minime Bulla suavti potest nec per eam absolui à casibus reseruatis in ordine suo, reuixit namque breue Iulij Tertij, ac per consequens derogata fuit dicta Bulla, Sed sic est quod summus Põtifex Clemens Papa Octauus de nouo confirmauit & concessit nobis omnia priuilegia quomodolibet à suis prædecessoribus concessa non obstantibus quibuscumque, &c. Ergo manet firmum supradictũ breue Iulij Tertij, ex quibus constat, quàm variabilis est valor & vis priuilegiorum cum facile eis derogetur. Patet etiam quanta peritia & notitia priuilegiorũ requirit in illo qui de eis eorũq; vsu tractaturus est.

Secundò probatur conclusio ex Breui Pij Quinti, anno millessimo, quingentessimo, septuagessimo, primo; quod incipit. *Romani Pontificis circunspecta benignitas, &c.* In quo strictè prohibet ne fratres ordinis prędicatorum possint eligere confessorem, & absolui à reseruatis virtute Bullę Cruciatæ sine licentia suorũ prælatorum. Vltimo probatur conclusio, ex breui Sãctissimi Domini nostri Clementis Octaui, edito anno

millesſ-

millesſimo quingenteſsimo nonageſsimo nono: in quo perpetuo declarauit ſumusPontifex quodBulla Cruciatæ, nec aliquod quodcumque indultum quã-tum ad clauſulam eligendi confeſſorem, &c. Nulli fratri vel moniali ſuffragatur. Quod quidem breue receptum iam fuit in capitulo generali Romę cele-brato anno milleſsimo ſexcenteſsimo primo, & in toto ordine publicatum, ergo, vide fratrem Ludoui-cum de Miranda *in manuali prelatorum regularium, tomo. 2. quęst. 34. artic. 15. concluſ. 2.*

Sed contra ſupradicta obijciunt cõmuniter multi etiam viri docti, quod his breuibus non obſtantibus ſtatim veniunt & publicantur Bullę Cruciatæ conce dentes illas recipientibus poſſe virtute illarum ab ſolui à reſeruatis Ad quod reſpõdetur primo, quod in illis non eſt clauſula derogatoria, quod (iuſta iam dicta) requiritur vt breui Papæ derogetur. Secundo reſpondetur, quod hoc eſt arguere maximam in ſũ mo Pontifice in conſtantiam Nã ſi Menſe Iannuarij v. g. edidit ſuum breue derogatorium omniũ bulla rum & priuilegiorum concedentium vſum Bullę, & abſolutionem à reſeruatis non obſtantibus quibuſ-cumque: & Menſe Februarij publicetur Bulla Crucia tæ non faciens mentionem alicuius breuis deroga-torij: quomodo qui in priuilegijs verſatus eſt, dicet, per talem Bullam derogatum fuiſſe omnibus breui bus in contrarium facientibus? Principibus namq; conuenit illud verbum. Semel loquutus eſt Deus; &

 quod

quod scripsi scripsi. Et debet Princeps habere vnũ Calamum, & vnam linguam: quia scriptum est, quę procedunt de labijs meis non faciam irrita. Vnde si quandoquè pro varietate temporum oporteat Principem suas leges mutare. hoc nunquam sine magna deliberatione fit. & quanuis (vt aiunt iuristæ) in Principe hoc sit speciale quod scilicet, absque causa possit suum priuilegium reuocare: debet tamẽ constare de volũtate principis volentis reuocare. & clausula non obstantibus, hoc operatur, nam primum priuilegium, posteriori priuilegio cõtrario tollitur de priori mentionem faciente, & non aliter. & non solũ prioris priuilegij, sed etiã clausulæ derogatoriæ (si quæ ei insit) mentionem facere debet priuilegium secundũ, vt valeat; in tantũ, quod si duplex clausula derogatoria adsit, vtriusq; mentio fieri debet, & ita Sixtus Papa Quintus & alij Summi Pontifices in confirmatione priuilegiorum Regularium, in clausula non obstantibus, non solum fecerunt mẽtionem de clausulis derogatorijs. sed etiam de clausulis derogatoriarum derogatorijs.

Tertio probatur conclusio, nam Capitulum generale Salmantinum Anno millesimo quingẽtesimo quinquagesimo primo, renunciauit omnibus priuilegijs pręsertim minimorum, in quantum tangunt authoritatem de audiendis confessionibus fratrum in præiudicium prælatorum si sine licentia fiat, ergo iam nihil possunt & valent, quia renunciata sunt.

Sed

Sed contra hoc arguitur ex Regula illa magistrali scilicet *inferior non potest tollere priuilegium concessum a superiori*, vt notat Nauarrus, & Panormitanus, *in capit. nisi specialis, de officio legati*. Ergo Capitulum generale non potuit per suam renunciationem tollere vsum priuilegiorum Apostolicorum, nec aliquod nobis præiudicium inferre. Eo vel maximè, quia non renunciauit authoritate Apostolica sed ordinis tantum; & sit etiam certum minores nõ posse tollere neq; minuere, neque abrogare quod à maioribus gestũ est, nisi in casu quo minores abuterentur priuilegijs, tũc enim suspendere possent priuilegia, nam priuilegiũ meretur amittere qui male, accepta vtitur potestate. Ad hoc argumentum respondetur, quod illa regula intelligitur quando inferior tale priuilegiũ cõcessum tollit, cõtra voluntatem illius cui concessum est, aut, quando is qui habet priuilegium relinquit illud, absque dubio potest per inferiorem tolli vsus dicti priuilegij; nam vt habet regula iuris *priuilegium non confertur in inuitum*. Sed sic est, quod in Capitulo generali continetur interpratatiua voluntas totius ordinis, & totius prouinciæ cui concessa sunt priuilegia, ergo absque authoritate Apostolica possunt ab illo tolli, & abrogari.

Aduertendum tamen est, quod si postea Summus Pontifex ista priuilegia renũciata concederet fratri in particulari, vel Prouinciæ non obstantibus quibuscumq; in contrarium facientibus, valerent quidem

dem illis, ratio est manifesta. Quia Summus Pontifex est supra Capitulum generale, & est caput illius.

Ex supradictis constat, quomodo se debeāt Religiosi habere ne scrupulis agitentur, non enim possunt vllo modo vti bulla, neque aliquo priuilegio, quo ad abso lutionem à reseruatis in ordine, & (vt iam diximus) absoluentes manent excōmunicati. & nullam faciunt absolutionē. Aduerte tamen quod constitutiones extrauagantium cum non sint publicę notę, excusantur ignorantes in earum transgressione quia tales non præsumuntur peruenisse ad notitiam cuiuslibet, ita baldus *in lege, leges sacratissimę, capit. de legibus*. Quod valde nota quia scitu dignum, de quo quam communiter sermo euenire solet inter religiosos.

Habemus tamen priuilegium ab Innocencio Septimo concessum ad petitionē magistri Ordinis, priorumque prouincialium, & conuentualium quo prę fatus Pontifex concessit nobis fratribus prædicatoribus ex licentia nostrorum prelatorum itinerantibus: si contingat aliquem pręsbiterum idoneū eiusdem ordinis non habere: quod tunc quemcumque alium præsbiterum idoneum, religiosum, vel sæcularem in eorum confessorem valeant eligere, qui eos absoluere licite & libere valeant à suis commissis, etiam à casibus reseruatis in ordine. Et huic priuilegio non renunciatur per Capitulū generale Salmantinum, quia non est in præiudicium prelatorū, ipsis enim videntibus & petentibus impetratum, &

con-

concessum est. Vltimo nota pro tota materia casuũ reseruatorum,quod cum in articulo mortis confessores habeant à summo Pontifice facultatem absoluendi à quibuscumque reseruatis: semel ab eis absolutio pręstita valuit,tamquã ab eis qui pleno iure potuerunt absoluere. Neque tenetur se iterum exhibere superiori etiam si mortem euadat: cum obligatio iam semel extincta amplius non reuiuiscat. *Capit.quæris, de consecratione distinct. quarta & ibi glossa, vers. contrahatur.* Et *Paludanus in 4.distinct.1.quæst.1.artic.1.cõclus.3.*

Dubium 4.

QVO nam tempore incipit valere priuilegium Apostolicum per quod derogatur Bullę Cruciatę sic, vt religiosus qui illam habet, minimè ea vti possit? V.g. religiosus habet Bullam Cruciatę per quam ei concedebatur posse absolui à reseruatis: postea summus Pontifex concedit aliquod priuilegium derogatorium dictę Bullę sicut fecit Iulius Tertius, Pius Quintus, & Clemens octauus. Quæritur modo, quando dicemus non valere absolutiones factas à casibus reseruatis in ordine? à die datæ priuilegij, an postquam prælatus dictum priuilegium notũ fecerit fratri habenti Bullam Cruciatę?

Communis iuristarum opinio *in capitulo, cognoscentes de constitutionibus, & capit. nouerit, de sententia excommunicatio-*

 nis

nis est, quod ad hoc quod facta contra legem Papę Ro
mæ promulgatam non valeant, sufficit quod quis
operetur contra eã scienter vel ignoranter postquã
Romæ fuerit promulgata.

Nihilominus opinio contraria tàm multorum iu-
ristarum vt Panormitani *indicto capitulo cognoscentes, de
constitution. num. 7. magistri Soto de iustitia & iure, pag. 15.* Quã
aliorum theologorum, est tuta & secura, quæ inquit
opinionem communem iuristarum tunc habere verũ
quando lex Papę per episcopatus & diœceses publi-
cata fuerit. Tum quia hoc est pium, tum etiam quia
quãdo summus Põtifex vult quod statim liget, illud
expręssat & dicit, quod à die datę suæ constitutionis
liget & obliget sua lex. Ita fecit Paulus Papa Quartus.
Interrogatus enim quando decreta, Concilij Triden-
tini cęperunt obligare, respondit, quod à Chalendis
Mayy, anni millesimi quingentesimi, sexagesimi
quarti, quando dictum concilium fuit publicatũ Ro-
mæ, & ab eo acceptatum. Ergo quando summus Pon-
tifex non excipit, neque expręssat in sua constitutio
ne & lege quod statim liget, vult quod non obliget
nisi post sufficientem promulgationem in diœcesi-
bus factam.

Et potest opinio iuristarum interprętari quod in-
telligatur in foro exteriori, & non in foro interiori &
cõscientię. immo addit Magister Soto notabile quod-
dam punctum, nimirum quod si quis post suspensio-
nem Bullæ absoluitur virtute eius, antequã promul-
getur

getur apud ipsum qui absolutus est, valida quidem erit absolutio etiam quādo sciuerit. ducitur quia lex pertinēs ad iurisdictionem oportet venire ad notitiam omniū ad hoc quod obliget. Vnde quādo in ipso priuilegio non exprimitur quod statim àdata eius incipiat obligare. tunc requiritur ad hoc quod derogetur Bullæ cruciatę, quod in capitulo generali, vel Prouinciali publicetur: & denuntietur fratribus ordinem vel prouinciam accepisse dictum priuilegium derogatorium Bullę quo ad absolutionē à reseruatis in ordine: sicut fecit capitulum generale Romę celebratum anno 1601. denuncians, se recipisse breue Clemētis Papę Octaui. & etiam sufficit quod prælati per conuentus suos notum faciant fratribus dictum priuilegiū, legendo ipsius originale vel transumptum eius authenticum, in capitulo conuentus: quia tunc sufficienter promulgatur.

Et scire oportet quod si Religiosus alterius prouinciæ vel conuentus vbi non est publicatum dictū priuilegium veniat in Prouinciam seu conuentum vbi iam est publicatum dictum priuilegium : non poterit talis Religiosus absolui per Bullam cruciatæ à casibus reseruatis. quia ibi non valet priuilegium & bulla. ibi namq; est iam bulla derogata. Aduertant similiter Religiosi vtētes priuilegijs & indultis Papæ quod in capitulo generali Neapoli celebrato, anno 1600. titulo *declarationes*, dicitur. Declaramus quod alias in capitulo generali Romę 1553. declaratū fuit, nempè

nullum breue siue oraculum Apostolicũ poni debere in vsum in aliqua prouincia, nisi sit de licẽtia Magistri ordinis obtemtum, & ab ipsa prouincia postea acceptatum: & hoc ex speciali licentia & concessione Iulij Papæ tertij, vt patet ex prima denunciatione eiusdem capituli.

Dubium 5.

RElígiosus quidam petit à Prelato facultatẽ eligendi confessorem, quam ipse prelatus concedit. Dubitatur, an per istam facultatem sic concessam possit dictus religiosus absolui à casibus reseruatis, & ab alijs prelato concessis?

Pro huius dubij declaratione notanda est doctrina Nauarri *in capitulo* 27. *num.* 26. dicentis, quod Episcopus concedẽdo suos casus sibi reseruatos non videtur concedere absolutionem à censuris reseruatis, cum à diuersis non fiat illatio. & aliud est peccatum reseruatũ Episcopo, aliud vero censura reseruata. neq; etiam concedendo absolutionem à suis casibus & censuris, videtur concedere absolutionem ac dispensationem votorum, aut irregularitatum à quibus ipse potest: quia votum & irregularitas non sunt casus, nec censuræ ipsi reseruatæ: & ita ex illis non infertur ad hæc nec è contra, vt aduertit Emmanuel Rodriguez, *tomo primo qq. Regul. quæstione* 20. *artic.* 27. Hoc supposito sit.

Conclu-

Concluſio, Prælatus concedens facultatē alicui vt poſsit eligere confeſſorem ſibi, non videtur cōcedere illi facultatē vt cōfeſſor ab eo electus poſsit illum abſoluere à caſibus reſeruatis & cenſuris, à quibus ipſe prælatus iure cōmuni, aut particulari, aut conſuetudine generali, vel ſpeciali poteſt abſoluere. probatur concluſio ex fundamēto poſito. Nam ſi Epiſcopus quando alicui concedit vt poſsit eligere confeſſorem, non videtur concedere illi authoritatē vt poſſit à caſibus ipſi Epiſcopo reſeruatis abſolui: idem a fortiori dicendum venit in noſtro caſu. Secundo probatur concluſio ex Bonifacio octauo, *in capit. ſi Epiſcopus, ſupra allegato*, in quo dictus Pōtifex ſtatuit. quod ſi Epiſcopus vel Prælatus ſuo ſubdito conceſſerit vt poſsit eligere confeſſorem idoneum, ille quem is elegerit; in caſibus qui eidem Epiſcopo, ſeu prælato ſpecialiter reſeruantur nullam habeat authoritatem ac poteſtatem, & ſubdit rationem idem Summus Pontifex, ſcilicet, quia in generali cōceſsione non veniunt illa quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus in ſpecie idem habetur, *in cap. Si opus, de pœnitent. & remiſſ.* Neceſſarium igitur eſt, quod prælatus dicat. Concedo tibi licentiam vt eligas confeſſorem cui omnem meam authoritatem commito ad tuas confeſsiones audiendas. hæc cōceſsio ad reſeruata etiam extēditur, iuſta Nauarrū vbi ſupra. & hæc bene nota inquibus communiter erratur. Vide Miranda in Manuali prælat. *quæſt. 33. artic. 6. Concl. 2.*

Nomine casus reseruati debet intelligi casus certus &moraliter probabilis,non de incertis casibus. Itaq;non obstāte reseruatione alicuius peccati absolute facta,potest absolui ille qui dubitat, an tale peccatum commiſſerit:quia reseruatio, quæ onerosa est, restringitur ad casum certum: & qui tunc absoluit, quāuis dubitet an peccatum tale fuerit commiſſum, certus est non esse reseruatum,& ita tutam & tutiſsimam partē sequitur absoluendo.Sic loquens de obligatione voti ait Suarez,*tomo 4.in tertiam part.lib.4.capit.5. num.15.*

Nomine casus reseruati,semper intelligas peccata externa,non tamen interna,ac solo corde retenta. quia quanuis mihi certum sit,ecclesiasticam prȩlatorum potestatē extendi ad peccata pure interiora reseruanda:eo quod reseruatio non habeat rationē pænȩ veram &propriam,sed est negatio,vel adēptio iurisdictionis absoluendi inforo interiori ; existimo tamen quantumuis peccatum hȩresis, aut alia quæcunq;enormiſsima àquouis prȩlato reseruentur,nullo modo censeri reseruari peccata mere interna,nisi indubitatis,atque expreſsimis verbis declaretur huiusmodi peccata reseruatione comprȩhēdi.ratio est, quia cum alienum valde sit à suaui ecclesiȩ gubernatione,peccata interiora reseruari (pro vt omnes fatentur) ea reseruatio præsumenda non est,nisi verbis expræſsis declaretur.Sed sic non declarata,est pie interprȩtanda de peccatis in actum externū prodeuntibus

tibus. Præterea, quia cum peccata interna ſint, tum frequentiſsima, tum etiam occultiſsima, abſurdum eſſet ea reſeruare, vt bene tradit Magiſter Soto *in 4. diſt. 18, quæſt. 2. artic. 5.* Immo eſſet culpa, vt docet bartho lomæus à Ledeſma, *in ſumma Sacram, vbi de confeßione, dub. 16.* Sed in dubio non eſt pręſumendū ſuperiorē reſer uantem abſurde procedere, aut peccare, ergo. & ita hanc partem ſequuntur Alcozer, *ſumma capit. 12. puncto ſecundo*, & refert alios Sanchez, *lib. 2. in præcepta de calogi: capit. 8. num. 4.*

In noſtro prædicatorum ordine non eſt integrum prælatis aliquid præcipere, ſeu ordinare cum hac pœna, vt qui tale fecerit, abſolui non poſsit à peccatis ſuis. Sic dicitur in hoc prologo num. 9. ſi vero pręlatus dicat, ego tollo poteſtatem a confeſſoribus ſic, vt non poſsint confeſsiones fratrum, vel fratris audire ſed ego ſolus, in tali vel tali caſu: tunc quanuis male faceret confeſsores tamen non poſſent audire confeſ ſiones illius qui tale cōmiſsit. Ita Pater Illephonſus de Noreña. Regula tamen hoc iuſta conſtitutionem Clementis Papę Octaui de caſuum reſeruatione.

Dubium 6.

ANSI Deficienti prælato, ſiue alio habente po teſtatē abſoluendi a reſeruatis in ordine, Reli gioſus ſimplex ſacerdos, ſeu approbatus (non tamen

valens

valens a reseruatis absoluere) audire cæpit confessionẽ Religiosi in articulo, aut periculo mortis constituti: & ante absolutionem adsit prelatus cui peccata reseruantur, possit Prior Religiosus cõfessionem inceptam perficere?

Cõclusio est affirmatiua. ad quam asserendam ducor, quia ille prior Religiosus simplex sacerdos, seu approbatus non tamen valens absoluere à reseruatis, veram habebat iurisdictionẽ quando prælato deficienti cæpit audire confessionem, nec eius aduentu expirauit, quia res non est integra, sed confessio cępta. iure namq; cautum est iurisdictionem delegatam, quę morte delegantis omnino cessat, minime cessare re non integra, quia ea vti cæptum est, *capit. gratum, & capit. relatum de officio delegati.* Et quanuis textus loquantur de iurisdictione inforo exteriori, at idem merito dicunt de iurisdictione fori interni, ac proinde non cessare iurisdictionem confessoris quo ad confessiones cęptas. Ita Paludanus, *in 4. dist 17. quæst. 4. artic. 3.* Diuus *Antoninus 3. part. titu. 17. cap. 9. Margarita confessorum, quæst. moralib. fol. 113.*

Et confirmatur ex doctrina Magistri Petri de Ledesma in *summa sacram. vbi de pœnitentia capit. 12. post quintam conclusionem, inter dubia quæ mouet circa licentias audiendi confessiones ab Episcopo conceßas, dubio 2.* Vbi ait, esse valde probabile habantem licentiam audiendi confessiones ad tempus, posse eo transacto prosequi confessionem anteceptam, ergo etiã in nostro casu inquo nullo iure

cauetur

cauetur facultatem confessarij in prędicto casu esse, donec veniat prçlatus seu legitimus cõfessarius: sed absoluta est facultas, cum defficit copia legitimi confessoris. Atque esset grauissimum onus constituti in eo articulo, ipsum cogere vt confessionem legitime cæptã, repetat cum vix possit vnifateri. & ideo hanc partem sustinet Henrriquez, *lib. 6. de pænitentia cap. 11. nu. 8. & Zambrano de casibus articuli mortis cap. 4. dub. 5. num. 4.* dicit esse satis probabile. Qui tamen limitat hoc, dummodo post absolutionem impensam ab hoc confiteatur aliquod veniale legitimo cõfessori qui super venit cum nouo dolore, vt ab eo de nouo absoluatur. ratio eum mouẽs est, quia in eo euentu articuli mortis tenetur quispiam tutam eligere partem: non est autẽ tuta prior absolutio. Sentit enim prędictus author, *vbi supra num. 5.* esse satis probabile cessare iurisdictionem illius simplicis sacerdotis quãdo legitimus confessarius aduenit. Sicut Magister Petrus de Ledesma proxime allegatus ait esse satis probabile licentiam ad tempus concessam audiendi confessiones expirare etiam, quo ad confessiones cęptas eo transacto.

Nihilominus existimo non esse necessariũ vt aliquo modo confiteatur confessori superveniẽti. De casibus reseruatis cõfessis Religioso approbato manif festum est absolutionem semel ab eo pręstitam valere, (vt dixi in fine dubij tertij) De mortalibus confessis sacerdoti simplici probatur, primo quia omnes confitentur aliqua venialia simul cum mortali-

 bus,

bus, ac proinde respectu venialium est omnino tuta, cum quilibet sacerdos certam circa venialia iurisdictionem habeat, & quamuis careat ille cõfessor iurisdictione circa mortalia, ea indirecte virtute illi9 absolutionis remittuntur. Secundo quia existimo certam esse iurisdictioné simplicis sacerdotis in hoc casu & casus propositus a Magistro Ledesma est valde diuersus. Non enim simplici sacerdoti in articulo mortis cõceditur iurisdictio ad tempus. videlicet, donec veniat legitimus confessor, sed absolutè iura omnia eam concedunt quando non fuit copia expositi. immo concessio aliter facta esset valde aliena à ratione, & Ecclesię pietate, nam obligaret in tantis angustijs constitutum ad bis confitendum, & iurisdictio illius sacerdotis esset dubia & à futuro euentu pendés. Si tamen talis infirmus casum ratione excõmunicationis reseruatum haberet, & ante absolutionem superueniret superior cui excõmunicatio erat reseruata non posset sacerdos qui confessioné audire cæpit, siue simplex siue expositus sit, absoluere ab illa excommunicatione, sed id à Superiore superuenienti pręstandum est: & deinde Sacerdos ille quicumq; sit, posset à peccatis absoluere. Ratio est. quia confessarius tenetur illi pęnitẽti id onus iniungere, vt quamprimum cõmode posSit, se legitimo Superiori pręsentet. Atque ideo absolutio illa ab excõmunicatione nulla alia ratione conceditur, nisi quia tempore quo pręstanda est, abest Superior. Ergo cum tunc ad

sit,

ſit,& commodè poſsit pęnitens ſe illi præſentare,tenetur vtique.

Neque hoc eſt grauamen aliquod pęnitentis cum non cogatur peccata repetere, nec confiteri habẽti iuriſdictionem incertam ad abſoluendum à peccatis & ex futuro euentu pendentem:ſiquidẽ in hoc caſu concedimus poſſe confeſſorem illum à peccatis abſoluere: & tantũ cogimus vt Superiori pręſenti eam, excommunicationem declaret.ad quod tenetur ipſe pænitens etiam ſi poſt abſolutionem ſuperior veniret;vt pote qui cum eo onere ſolũ abſolui poterat. Quod ſi ſuperior ille nolet abſoluere ab excõmunicatione niſi integra ſibi cõfeſsio repeteretur:exiſtimo poſſe Priorem ſacerdotem abſoluere.Ratio eſt,quia ſuperior ille Pontifice inferior non poſſet iuriſdictionem perficiẽdæ confeſsionis in illo articulo mortis cæptæ,cõceſſam cuilibet ſacerdoti reuocare,aut limitare , & iam pænitens obligationi ſuę ſe pręſentandi ſatisfecit.Et ſi aliud diceremus , incidendum eſſet in abſurdum proxime illatum,nempè,vt iuriſdictio illa confeſſarij quo confeſsionẽ cępit,eſſet incerta,& pendens ex futuro euentu,nimirum,ex voluntate Superioris ſuperuenientis.

Fatendum tamen eſt cum Zambrano,*eo dubio 5.num.* 2.quod ſi iam ſimplex ſacerdos in eo articulo à peccatis abſoluit,non poteſt tamen ſuperuenienti legitimo confeſſore audire peccata oblita:vel quę Eger non potuit tunc confiteri, & ſic à reliquis abſolutus

 eſt:

est: sed ea legitimo confessori aperienda sunt; quia est noua confessio & à Priori independens.

Quod si pænitens in eo articulo sacerdoti simplici mentitus est in ea confessione,&ita inualidè absolutus,& superueniat legitimus confessarius,adhuc existimo posse eum(detecto illo mēdacio)à sacerdote illo simplice iterum absolui,ducor, quia iste reuera habuit iurisdictionem ad priorem illam confessionem, & dum absolutio valide non est impensa,non censetur finita.Idem enim est actum non fieri,& non fieri valide. Sicut licentia à Parocho obtenta assistendi alicui matrimonio,non finitur eo matrimonio irrito existente. Ad quod cōferunt multa adducta per Tiraquellum,*leg. Boues,§ hoc sermone, limitatione prima, ff. de verborum significatione*.Vbi late ex multis probat concessionem simpliciter prolatā non finiri primo actu irrito *& limitatione* 21.*num.*4.Vbi ex multis probant potestatē delegatam non extingui primo actu,quādo Delegatus inutiliter absq; sua culpa per errorē pronūciauit.

Restat modo dare differentiam inter casum reseruatum absque censura,& casum reseruatum ratione excōmunicationis,vt ille maneat per absolutionem in illo articulo extinctus absque onere comparendi superiori cui est reseruatus:iste autē absoluitur cum illo onere vt diximus.Ratio differētiæ est,quia pro illo articulo plena iurisdictio est iure diuino cōcessa omnibus sacerdotibus ad absoluendum.

Item, quia nemo potest obligari ad hoc quod bis

suum

suum peccatum manifestet. Ita Paludanus, *in 4. distin. 20. artic. 2. concl. 3.* quæ ratio pro illo articulo mihi videtur probabilis, quia pro illo talis necessitas est simpliciter, extra illum enim casum hęc necessitas non est absoluta sed volũtaria, quia Subditus simpliciter non obligatur ad confitendum prius inferiori sacerdoti sed potest expectare superiorem. In articulo autem mortis omnino tenetur confiteri cui potuerit; & ideo, si tunc obligaretur cum dicto onere, simpliciter cogeretur dicere duobus peccatũ suum, quod est certe grauissimum & intolerabile onus. Et quo ad hoc fauet vsus Ecclesiæ: secus tamen est in peccato reseruato ratione excõmunicationis, cum enim censura includat pœnam pertinentẽ ad forum contentiosum, solet illo modo reseruari.

Dubium 7.

SOLENT Priores in magnis festiuitatibus concedere in capitulo absolutionem à casibus reseruatis, vt fratres possint vsq; ad Missam maiorẽ absolui si fortè illis irretiti inueniantur, Religiosus autem habens huiusmodi casum, vel non cõfitetur illo die, vel confitetur fictè, vel dimidiate. Dubitatur modo, an talis Religiosus absolui possit altera die. Vel an per illam fictam confessionem ablata fuit casuum reseruatio?

Hoc dubium duas habet partes. quo ad primam Magister Soto, *in 4. dist. 18. quæst. 2. Artic. 5.* inquit. Solent Priores in Religionibus in festis præcipuis sic indulgere facultatē. Possint fratres sacerdotes Cras absoluere authoritate mea, & non vlterius. tunc transacto illo die, nullus manet confessor qui authoritatē illam habeat audiendi cōfessiones, & absoluendi. Qua propter, consultius est non illis verbis vti ad facultatem illam concedendam; sed vt à peccatis hucusque commissis quicunq; possit absolui à confessoribus expositis. presertim quia secundum illam cōcessionis formam, qui quacumq; de causa non confitetur illa die non potest postea absolui. Hæc Magister Soto.

Ex quo constat, quod si Prelatus quando illam indulgentiam concedit, vt scilicet, absolui possint Religiosi à casibus reseruatis crastinadie, & addit, & non vlterius: qui intra illum diem non est confessus, non potest postea absolui ab illis casibus. quia iam clare constat de voluntate prælati per illa verba, & non vlterius.

Si autem non addit hęc verba, & non vlterius, tunc transacto illo tempore poterunt fratres qui tunc habebant casum reseruatum confiteri cui voluerint de confessoribus: quia iam illi casus non remanent amplius reseruati. illa enim indulgētia non fuit conditionalis. scilicet, si Cras confiteberis, sed absoluta.

Sed Dices, ad quid igitur apposuit prælatus illud adverbium, Cras? Videtur enim superfluum si transacto

facto Crastino die adhuc est integrum Religioso confiteri. Respondetur, quod ponitur ad hoc quod Religiosi purius, & fęlicius festiuitatem illam celebrent, si fortè aliquod habent impedimentum.

Contra hoc arguitur. quia id non ad impletur, non enim est confessus dictus Religiosus illa die sua peccata, ergo illi non prodest indulgẽtia. Et addit Pater Emmanuel, *tom. 1. qq. reg. quest 21. artic. 7.* Quod ex verbis concessionis factę in cõsimilibus festiuitatibus satis constat, eam authoritatem concedi in ordine ad purificandas conscientias fratrum, vt cum maiori puritate, diuina posśint prędictis diebus ministrare: & prelatos minime dictam authoritatẽ vele concedere qui purificãdis suis conscientijs minime incumbunt.

Ad hoc respondetur, negando consequẽtiam. ratio est, quia finis præcepti non cadit subpræcepto. & ita quanuis non ad impleatur, non propterea non habetur indulgentia concessa. hoc patet in illo qui fecit omnia quæ mandantur in Iubilæo in peccato tamen mortali: qui quidem absoluitur, & absolutus manet ab excommunicatione reseruata.

Sed Contra, quia iste facit id quod mãdatur in Iubilęo, Religiosus vero cui Prior indulgentiam concedit vt absolui posśit à reseruatis tali die, non ad implet id quod in Indulgentia mandatur & ita non est simile. Ad hoc respondetur. quod prelatus non concedit casus sibi reseruatos propter hocquod religiosi eius Subditi illa die confiteãtur tanquam propter

causam

causam finalẽ: Causa enim finalis quę eum mouit fuit benefacere suis subditis, & relaxare rigorem qui in casuum reseruatione habetur. vt si fortè aliquis ex suis fratribus quia casus habebãt reseruatos non legitime confitebantur peccata sua. Hęc certè est causa finalis concedendi huiusmodi absolutionem: quæ causa semper militat siue ille frater confiteatur illa die, siue non. Quod autẽ addit prælatus, scilicet, quod possint fratres absolui Cras, non est causa finalis, sed impulsiua & dissimulatiua dictæ causę finalis, quę si non fiat, non propterea annullatur actus. Hoc cõfirmatur ex doctrina Panormitani, *in cap. post translationẽ. de renunciatione. num.* 18. nimirum, quod siquis legat petro decem aureos, vt emat sibi caligas, dato quod Petrus non emat caligas, valet legatum. Ducitur, quia emere caligas fuit causa impulsiua: causa autem finalis fuit legare, pietatemq; facere. Ita similiter in nostro casu: Causa finalis in concessione absolutionis à reseruatis fuit, relaxare rigorem in huiusmodi reseruatione: vt si fortè propter metum vel verecundiam ficte confitentur, vel sacrilege accedunt ad sacramenta, rectè & rite cõfiteantur peccata sua, iustè & sanctè accedant ad dominica sacramẽta. Impulsiua autem causa est, confiteri illo die, quod quanuis non fiat, non propterea non valet Legatum Pium, vel Indulgentia pia. & idem Panormitanus, *in capit. verum de cõditionibus appositis,* inquit. quod si causa respicit vtilitatẽ tertij, vel vtilitatem piam, in dubio præsumitur finalis. & hoc de

prima

prima parte dubij.

Circa secundam partem, videlicet, si frater confite tur illa die fictè vel dimidiatè, an per talem confes sionē sit ablata reseruatio casuum, ita vt postea pos sit cuicumq; confessario confiteri: Pater Emmanuel Rodrig. *tomo primo, questione articulo supracitatis* tenet, quod si tempore Iubilæi, aut bullæ quis inualidè apeccatis reseruatis absoluatur; minime sublata fuit ipsa reser uatio. Ducitur, quia cum confessor virtute Iubilæi, & bullæ posit tollere reseruationem inforo conscien tiæ virtute absolutionis; existente nulla absolutione, consequitur nullitas ablationis ipsius reseruationis, præcipuè cum Iubilæus & bulla cōcedant absolutio nem à reseruatis non quomodo cumq; pęnitentibus sed verè pęnitentibus. Illi autem quiscienter tacent peccatum mortale, aut non habent debitam disposi tionem, verè pęnitētes minime possunt nuncupari. exquibus infertur (inquit) quod quando prelati Re ligionum in aliquibus festiuitatibus cōcedunt suam authoritatem, vt eorum subditi posint absolui à ca sibus reseruatis, si ipsi intra tempus concessum om nia peccata reseruata absq; debita contritione con fiteantur: aut sciēter celato aliquo peccato mortali minimè remanent liberati à dicta reseruatione. & transacto tempore dicto, tenentur ea confiteri confes sario non cuicumq; sed potenti absoluere ab eisdem reseruatis ——

Oppositum tamen censeo dicendum. quod nimirū

quando Religiosus fuit absolutus à reseruatis per habentem potestatem absoluendi ab illis, existente nulla absolutione propter defectũ dispositionis, non tenetur amplius dicta peccata reseruata cõfiteri prę lato, aut habenti eius authoritatem, sufficit enim ea confiteri cuicumq; idoneo confessori, licet non habeat authoritatem absoluendi ab illis casibus, hanc sentẽtiam tenet Caietanus, *verb. casus reseruatus*, *Syluester verb. confessio primo* § *19. Adrianus quæst. 4. de confeßione* § *Si petas*, *Nauarrus cap. 26. num. 13.* Reseruatio enim quid odiosum est, & sic sufficit ipsum peccatum esse cognitum & reuelatum prælato aut alteri cuius potestatẽ habet. vt sic cesset reseruatio. vel vt ait Armilla, *verb. Casus, num. 4.* Quia iam semel iudicatũ fuit ante tribunal cui erat reseruatũ crimen. quod etiam tenet vega minimus. *in summa verb. casos reseruados*, *Casu quinto*: & idem est dicendum, quando pænitens aliquod pecca tum malitiose tacuit. Et quando pænitens multa habet peccata reseruata, & vnius aut duorum fuit oblitus, in hoc enim casu omnium peccatorũ etiam oblitorum volunt pręlati tollere reseruationem, pro vt affirmat Nauarrus vbi supra. Et idem dic quãdo pænitens tempore Iubilęi, vel Bullæ concedẽtis absolutionem à reseruatis, propter ipsius negligentiã & defectum fuit invalide absolutus, omnia peccata reseruata confitẽdo. In hoc enim casu, finito tempore Iubilæi, aut Bullę aiunt grauissimi Theologi illam inualidam confessionem operari, vt reseruatio peccato-

rum

rum tollatur.

Casus qui cōmuniter in nostro ordine reseruātur sunt, peccata mortalia exteriora contra nostra tria vota essentialia, obediētiam videlicet, castitatem & paupertatem, de quibus ad profectum omnium Religiosorum, aliqua scitu digna statim dicam, iusta mentem & doctrinam Diui Thomæ & aliorum doctorum melius sentientium.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

De Hac materia vide Caietanū 2. 2. quæst. 104. art. 2. & omnes summistas *Verb. obedientia, & verb. præceptum. llamas in Methodo curationis. 3. part. cap. 6. § 17. & sequentibus.* Supponendum est, obedientiæ votum præcipuum esse inter tria substātialia vota Religionis, quia per obedientiam offertur deo propria voluntas, quę est potior & maior quam corpus proprium quod homo offert deo per continentiam, & quam exteriora bona, quę per votum paupertatis offeruntur. Sic Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 186 artic. 8. Mirāda in Manuali prelat tom. 1. q 26. per totam.* Dubitabis quādo frater ordinis prędicatorū agit cōtra istud votum ita vt peccet mortaliter? Ego enim voui pręlato quod ero obediēs, deficio tamen in multis in quibus non obedio, quæritur quando pecco mortaliter, vel quādo excusor a peccato mortali? Respōdetur, quod ego non voui obedi-

re prælato simpliciter, & absolute sed secundum Regulam beati Augustini, & constitutiones fratrũ prædicatorum, quarum transgressio non inducit peccatum mortale nisi fiat ex cõtemptu, vel contineat præceptum expręssum per verba pręcipimus in virtute spiritus sancti & sanctæ obedientiæ, vel sub pæna excommunicationis latæ, vel ferẽdæ, vel aliquid aliud diuinę vel ecclesiasticæ legi contrarium. Vide quæ diximus supra litera; *Regula nostra & constitutiones nostrę non obligant. &c.* Quæ omnia dubijs sequentibus clariora patebunt.

Dubium I.

AN Religiosus obtemperare teneatur prælato pręcipiẽti ea inquibus ipse pręlatus potest dispẽsare, videlicet, quod comedat carnes, quod loquatur in loco silentij & huiusmodi?

Probatur quod non primo, talia facere non est secundum regulam, sed Regulę relaxatio, ergo in talibus non tenetur subditus prælato suo obedire, & si in hoc potest pręlatus Regulã relaxare; sequitur quod etiam est integrũ prælato alia quę non sunt expręssa in Regula, pręcipere, Quod est falsũ. Pręlatus enim solum mihi præcipere potest vt obediam secundum Regulam.

Secundo arguitur ex Diuo Bernardo *in lib. de dispensatione*

satione & præcepto, dicẽte. Votum meum non minuat prę latus. Sed pręcipere supradicta est minuere votum Religiosi subditi, ergo id non licet prælato.

Pro huius dubij solutione notandũ est, quod operationes cuius cumq; Religiosi subdũtur Prę lato quo ad duo. Primo quo ad exercitium illarum, quia scilicet prælatus potest, illas vel earũ omissiones præ cipere exequẽdas à Subdito. Vt sunt ire ad chorum seruire infirmis, &c. Secundo quo ad qualitatẽ operationum: quia nimirum prælato integrũ est, de operatione illicita facere licitam dispẽsando. Vt comederebis feria sexta. Loqui tempore silentij, & huiusmodi quæ secundum Regulam sunt operationes illicitę Quas tamen secundum Regulam potest prę latus quando ei videbitur; licitas facere huic subdito dispensando.

Secundo est notandum, quod hæc dispensatio dupliciter potest fieri, vno modo absolute sine causę discutione, aut sine cura dispensandi: sed quia sic videtur prælato superficietenus. Vt cõmuniter fit in his leuibus. alio modo cum causæ vrgentis discutione.

Conclusio. Si prælatus præcipiat aliquid cõtra vel præter Regulam dispensando primo modo, non tenetur Subditus obedire, sed potius debet sequi statum suę Regulæ & Religionis. Ratio est, quia dispensatio absque causa legitima & sufficienti ad relaxationem legis, non est dispensatio sed dissipatio, nisi forte dispensans sit princeps in his quæ sunt mere iuris po-

 sitiui

sitiui. Si vero pręcipiat aliquid secundo modo, videlicet, dispēsando cum causa legitima. Sic tenetur Subditus illi obtēperare. probatur primo quia ait Diuus Thomas 22. *quæst.* 186. *artic.* 2. Dispensante præceptore, tenetur obedire. Secundo quia ex quo accessit legitima causa dispensandi, opus illud pro tunc non est contra aut præter Regularem vitam: quoniam secundum Regulam habet prælatus potestatem dispēsatiuam, vt patet in hoc prologo, supra *verb. Prælati. &c.* Dispēsatione autem facta, Regula non obligat, & ex alia parte subest causa pręcipiēdi vt fiat hoc opus propter aliquem finem subordinatum Regulari vitæ ad quam omnia hominis pręcepta ordinantur in Religione. Consequens est vt nulla ratione excusetur Subditus ab huiusmodi obediētia, quia nihil prohibitum in Regula dispensabile tamen à prelato est, quod non posit dispensatum ad ea quæ sunt Regulæ ordinari. Ita Caietanus 22. *quęst.* 104. *artic* 5. ad 3. Itaq; de his quę sunt infra Regulam & quę relaxationē inducunt, vt comedere carnes, indui camisia, siue lino &c. sit Regula generalis. quod si Prelatus pręcipiat ea in quibus ipse dispēsare potest, & adsit rationabilis causa, vel dubium sit an posit dispensare, & an sit causa rationabilis: Religiosus tenetur obedire, carnes comedere camisia indui, silentiū frangere. Doctrina est omnium cum Panormitano, *in capit. literas de restitut. spoliatorum. & innocent. in cap. veniens de iure iurando.* Immo iuxta mentem Diui Thomę, in mādatis sanctę Ecclesiæ si adsit causa iuf

ſa iuſta, vt grauis infirmitas, vel imminens cognita; tenetur Religioſus obedire prelato precipiẽti vt comedat carnes dieb⁹ ab eccleſia vetitis, & vt non recitet officium diuinum. immo teneretur ſine iuſsione prelati id facere. Vide Syluestr. *verb. Religio 6. quæſt. 6.* & Ludouicum Miranda, *in manuali prelat. tom. 1. queſt. 26 artic. 8. concluſione 2.*

Sed quid ſi ſtãte precepto prelati adhuc ſubditus habet conſcientiam errantẽ, quid iuris in caſu dubij, & alijs ſimilibus? obligat ne magis conſciẽtia errans quam preceptum prelati. Relictis varijs opinionibus relatis à Vaſquez .1.2. *diſputatione 61. toto capit. primo*, breuiter ſic diſtinguo. Si talis conſciẽtia in culpabiliter erret, ſic plus obligat quã præceptum prelati, & ita is conſcientiam ſequendo minime peccat, vtpote que inuincibiliter errat: obediendo autem peccat contra dictamen illius conſcientie quandiu illud non de ponitur. Si vero culpabiliter erret, plus etiam obligat ſi de obligatione intenſiua loquamur, ideſt, de ſtrictiori precepto, & ſub grauiori culpa. quia agens contra conſcientiam peccat contra proximam Regulam humanarũ actionum, & qua mediante precepta quecunq; vires obligandi obtinent. in ſuper peccat cõtra preceptum Dei, quod directè violat frangendo obligationem quam falſo conſcientia errans proponit. At non obediens prælato directè frangit præceptum humanum, & quanuis in directe violet preceptũ Dei cuius nomine prelatus iubet. verum hanc tranſgreſ

ſionem

ſionem non vult directè ſed indirectè quatenus culpabiliter errat. Hoc autē intelligitur cęteris paribus. quia ſi non facere quod dictat conſcientia ſit ſolū veniale, at non obedire prælato credat eſſe mortale, magis obligauit præceptum prelati. Si autem de extenſiua obligatione, id eſt ad plura obliganti ſermo ſit, plus obligat præceptū prælati, nam imponit prǫceptum deponendę conſcientiæ erroneæ vincibilis, & obediēdi; illa vero conſciētia erronea ſolam obligationem illi parendi producit.

Ad primum patet ex dictis, nimirū, quod ex quo acceſsit prelati diſpenſatio, illa facere eſt ſecundum regulam ac per conſequēs tenetur Subditus obedire prælato talia prǫcipienti. Ad ſecundum reſpondetur quod Diuus Bernard9 ait, votum meum non minuat prelatus ſine neceſsitate. inſinuans, quod quādo adeſt neceſsitas poteſt præcipere prælatus, maximè cum prǫcipiat ſecundum Regulam.

Dubium 2.

ANSI Subditus dubitat prelatū habere ius prǫcipiendi ſupradicta dubio prǫcedenti, vel alia huiuſmodi ſtante hoc dubio nihilominus Subditus teneatur obedire?

Pars negatiua probatur, nam ſi dubiū eſt an cadat ſub poteſtate Superioris, ergo etiam eſt dubium an

cadat sub obediētia inferioris. hæc enim sunt correlatiua quę eodem modo se habent, & altero posito, ponitur & alterum.

Ad dubium respōdetur, quod tenetur subditus obedire. Ratio est, quia propter dubium subditi non perdit pręlatus ius suum quod alias habet, sed si subditus non dubitaret, teneretur obedire, ergo etiā si dubitet. presertim quia cum obediētia sit perfectissima virtus, non tenetur prælatus reddere rationem omnium suorū pręceptorum; nec expedit ab illo exposcere. Itaq; ob huiusmodi dubium non est pręlatus spoliādus posessione sua. Sicut nec eo quod dubitem rem esse meam possum alterum possessione sua priuare: sed oportet rem ita certam esse vt parum aut nihil dubij supersit. Sicut etiā coniux opinans matrimonium esse nullum, nequit coniugem posidentem priuare possessione, & ita tenetur ei semper debitū reddere, donec nullitatis matrimonij certus sit. Vt latè probat Sanchez, *lib. 2. de matrimonio, disputat. 44. num. 3.* Quod si dicas licere amplecti opinionem probabilē, etiam probabiliori omissa. Id fateor, atq; ita si sit duplex opinio probabilis, altera dictās non teneri tunc subditū obedire, & altera docens teneri posset Subditus vtriuis illarum conformari, non obstanti maiori contrariæ opinionis probabilitate. At existimo non reperiri opinionē contrariam nostræ cōclusioni Et notandum est valde plusquam temerarium esse asserere, subditum iudicare debere, seu ad iudicium

eius pertinere an prelatus rectè præcipiat,&sufficiẽ ti causa,& rebene perspecta: ac iudicare an id quod pręcipitur, conducat ad obseruantiam Regulæ (nisi euidentia in contrariũ appareat.)quia Prelatus non tenetur,nec sępe ita cõuenit subdito exponere,& rationẽ reddere quibus de causis &casibus,ad tale quid præcipiendum moueatur. alias hoc esset obediẽtiam Religionis funditus euertere,ac subditum iudicẽ sui prælati constituere,& statũ Religionis transvertere. Confirmatur ex dicto Diui Benedicti,Scilicet,quod si Pręlatus aliquid impossibile præceperit, tentãdum est.Hoc tamen dictum explicat D.Thomas,12.*quæst.* 13.*artic.*5.*ad* 3.Quod ideo dicitur,quia an aliquid sit possibile Subditus non debet suo iudicio diffinire,sed in vno quoque iudicio Superioris stare.

Ad argumẽtum respondetur.quod correlatiua solum se habent eodem modo quo ad esse & non esse, non tamen quo admodum & conditionẽ essendi.stat enim prælatum culpabiliter præcipere,& Subditum laudabiliter obedire.Ita in proposito stat dubium de potestate prelati præcipientis cum certitudine obligationis obediendi in Subdito.

Sed contra hoc est argumentum, quia potest dari casus inquo Pręlatus mihi pręcipiat aliquid licitum Ego autem dubito an habeat ius præcipiẽdi,quo dubio stante non teneor obedire.Verbi gratia,pręcipit mihi prælatus reuelare crimen secretum fratris,ego autem dubito an habeat alios testes ad illum iudicia

liter puniendũ, vt id iuridice pręcipere posſit. (dato in re illos habeat) ergo ſtante dubio ſubdito non tenetur obtemperare pręlato.

Reſpondetur, Verum eſſe diſcurſum, & ſic limitanda eſſe ſupradicta, vt ſcilicet, intelligantur, niſi inde alteri periculum ſpirituale, vel temporale in perſona, rebus honore immineat. tunc enim in tali dubio non eſt obediendum. Quo vſque de illo ſubditus ſufficiẽter edoctus ſit, vel de abſentia talis periculi. Ratio eſt, quia nullus ſe poteſt alicui Superiori obligare, neque ei tenetur obedire in pręiudiciũ tertij, neq; ſui ipſius. Ita Corduba, *lib. 3. qq de conſcientia, quæſt. ſexta*, & Magiſter Soto, *de tegẽdo ſecreto, memb. 3. quæſt. 2.* & hoc etiã ſi prælatus mihi pręcipiat ſub excõmunicatione latę ſententię. niſi ipſe pręlatus me ſufficienter certificet de prædicto dubio vt ſciam ipſum alios teſtes habere & non me malignè neque contra ius inteſtem adductum cogere, vt teſtimonium perhibeam veritati ita corduba, *vbi ſupra. Aragon ſecunda ſecundæ, quæſt. 33. articulo 8. Emmanuel* R*odrig. de ordine iudiciali capitulo ſeptimo.*

Sed pro maiori huius doctrinæ intelligẽtia, notandum eſt. quod quando eſt dubium probabile an licitum ſit quod prælatus præcipit, non ſemper eſt illi obediendũ, ſed ſequenda eſt pars minus periculoſa. Ita Salas poſt alios *prima ſecundæ tractatu 8. diſputat. vnica, ſectione 17. num.* 155. conſequẽter & benè addit Magiſter Soto *vbi ſupra.* Si quis dubitat an iudex vel pręlatus legitime inquirat contra perſonam aliquam dignisſimam,

mam,

mam, cuius vita vel fama sit pretiosa reipublicæ, quamuis opinetur & probabilius legitimè inquirere: si tamē probabile putat non legitime inquirere, non tenetur crimē manifestare. Quia in dubio periculum illius personę præponderat præcepto superioris. Sed si criminis detectio & punitio sit necessaria cōmuni bono, vt in crimine hæresis, vel læsæ maiestatis solet contingere: parendum est dubio. Ratio est quia damno priuato, cōmunis salus cum pręcepto Superioris, in dubio pręponderat. Idem docet Salon 2.2. *quæst.* 69 *art.* 1. *controuer.* 3. & probatur, quia minus periculum eligendum est.

Dubium 3.

AN Pręlatus ordinis nr̄i posit in generali præcipere sub formali præcepto ne Religiosi vescantur carnibus?

Pars negatiua probatur primo, non est integrum prelato facere vt ea quæ sunt purę constitutiones, obligent nos ad culpam, sed hoc facit prælatus pręcipiendo sub præcepto ea quæ sunt merę constitutiones, ergo. Antecedens patet, quia Religiosus Dominicanę familię promittit obedientiam secundum Regulam & cōstitutiones, quę non ad culpam sed ad solam pænam obligat eorum transgressores.

Secundo arguitur ex Diuo Bernardo, *lib. de dispensatione*

tione & precepto. dicente. Votum meum non adaugeat prelatus sine mea volūtate. Sed precipere sub formali præcepto illud quod est mera constitutio est adaugere votum subditi, & contra subditi voluntatē, ergo illud non potest precipi à Prelato.

Tertio arguitur ex eodem Bernardo, *eodem libro*, scilicet, nihil mihi præcipiat prælatus eorum quæ non promisi. Sed ego tantum promisi seruare regulam & constitutiones quæ ad solam penam me obligant; ergo non potest prelatus suo precepto facere quod me obligent ad mortalem culpam.

In hoc dubio Magister victoria 22. *quest.* 186. *artic.* 9. tenet, quod prelatus non potest precipere ingenerali quod fratres non vescantur carnibus, sub præcepto seu anathemate, alicui autē in particulari potest precipere, quia alias periret obedientia. Fundamētum eius est, primum argumentum suprapositum.

Conclusio tamen est affirmatiua. quæ probatur primo, omnes prelati habent authoritatem condendi statuta quibus precipiant ea, quæ ad commodiorem Regulę obseruātiam spectant. (vt supra dictum manet) etiam si in Regula expræssè non contineantur. ergo à fortiori eis integrū est precepto premere suos subditos ad obseruantiam eorum, quæ expresse continentur in Regula quam professi sunt. hanc conclusionem sic probatam tenet Emmanuel Rodrig. *tom.* 1. *suarum qq. Regularium. quæst.* 26. *artic.* 4. Secundo probatur conclusio. Profitentes nostrā Religionem promittūt

 vitam

vitam Regularem iusta nostram regulam & constitutiones, quæ non obligant nos ad culpam nisi propter præceptum, vel contemptum. Ergo tunc peccabunt mortaliter huius promissionis transgressores, quando prelatis quid quid intra eorum Regulã præcipientibus obedire contẽpserint. vel citra contemptum: pręcepto obedientię restiterint. Consequẽtia est euidens. Et confirmatur, nam si frangere silentiũ, vel vesci carnibus obligant ad culpam si ad sit contẽptus, quare non obligauit si adest pręceptum? Tertio probatur conclusio non plus potest pręlatus in præcipiendo huic vel illi oretenus, quam in pręcipiendo omnibus per statutum vel pręceptum. Sed iusta sententiam Magistri Victoriæ integrum est pręlato, huic inparticulari præcipere sub mortali vt non vescatur carnibus, ergo similiter potest pręcipere omnibus in generali. Vide Panormitanum, *in cap. super eo, de regularibus, & glossam in Regula, quod omnes tangit.* Vbi dicitur, quod monachis professis qui renunciauerũt proprię voluntati austerior regula posset indici, etiam ipsis non approbantibus. & citat innocentium, *in dicto capit. super eo.* Vltimo probatur ex Magistro Bandello in prologo, *verb. nisi propter præceptũ.* vbi ait, declaramus quod Priores in suis conuẽtibus possunt ex rationabili causa in his quæ ad Regulam, vel cõstitutiones explicite vel implicite pertinent pręcepta verbo, & scripto facere, quę transgressores obligabunt non solum ad pænam, sed etiam ad mortalem culpam, dicitur,

citur,quia ex voto nostræ professionis tenemur Regulam,& constitutiones non contemnere,& pręceptis pręlati nostri in his quę sunt secundum Regulam & constitutiones obedire. ergo.

Ad primum argumentum respondetur,quod Religiosus nostri ordinis promisit obediētiam secundum regulam quæ non obligat ad culpam,nisi propter pręceptum vel cōtemptum.Culpa autem quæ in huiusmodi transgressione reperit̃ non respicit trangressionem constitutionis pręcise, sed transgressionem constitutionis præceptæ sub formali præcepto pręlati præcipientis ipsam rigorose obseruari: quod quidē iure optimo fieri potest.In voto enim obedientię intelliguntur & clauduntur statuta,& ordinationes quas prælati possunt facere intra regulam. Per quod votum Religiosus transtulit suam voluntatem in superiorem & Prælatum.Ita Panormitanus,& innocentius,*in dicto capitulo super eo, de regularibus.*

Ad secundum argumentũ ex Diuo Bernardo Respondetur,quod in casu dubij propositi non adauget prælatus votũ meum sine mea volũtate.Illud namq; fuit volitum antecedēter in sua causa,nempe in voto obedientię, in quo intelliguntur pręcepta & ordinationes quas pręlati postea faciunt quando necesse est,& eis videtur expedire.

Ad tertium ex eodem Sancto Bernardo respondetur retorquendo argumentum.Nihil mihi pręcipiat pręlatus,eorum que non promisi,ergo potest pręci

pere

pere prelatus ea, quę promisisti, sed promisisti obe dientiam secũdum Regulam fratrum prędicatorum in qua prohibetur essus carnis, ergo potest hoc prę latus sub anathemate & præcepto tibi pręcipere.

Dubium 4.

PRelatus pręcipit sub formali pręcepto vt nullus ingrediatur cellam alterius. Dubitatur, an si Religiosus ingrediatur ad colloquendũ, reus sit fracti præcepti?

In hoc dubio aliqui opinãtur huiusmodi pręcepta seu statuta fundari in pręsumptione, & consequẽter non obligare in consciẽtia si veritas sit in cõtrarium Lex enim quantumcumque iusta non obligat in isto foro, scilicet conscientię nam intentio pręlati pręci pientis non est obligare seu ligare subditos si veritas sit in contrariũ, propter æquitatẽ (secundum sacros Canones, distinct. 8. cap. si veritate) Secundum quam intẽtio legislatoris est interprętãda. Sed sic est quod præcepta seu statuta Regularia prohibentia ingres sum cellarum horis quibusdã silentio deputatis, sunt posita ad vitanda peccata quæ ex huiusmodi ingres sibus possunt evenire, ergo non obligant si veritas est in contrarium. Idest, si ingrediantur non ad commi tendum dicta peccata. cum supradicta præcepta videantur (vt dictum est) in pręsumptione fundari. qua sublata cessat obligatio.

Sed

Sed qui hoc opinātur, toto cælo videntur aberrare. primo quia lex vetans noctu arma defferri, ad vitandas rixas tendit, & tamē non desinit obligare virum ita pacificum vt in eo rixę periculum omnino cessaret. Secundo, quia præcepta hæc non fundantur præcise in præsumptione; sed sunt determinata non solum ad peccata vitāda; sed etiam ad vitanda colloquia statutis horis quæ cōmunitatem perturbant vnde etiam si ingrediātur ad colloquia honesta, nihilominus peccant tanquam rei fracti præcepti.

Itaque aduertendum maxime est, quod non omnis lex desinit obligare ex eo quod in pręsumptione fundatur. Pro quo nota, quod duplex est lex pręsūptioni innitens, quædam in qua legislator in quouis casu singulari aliquid pręsumit, & ratione illius aliquid cōstituit. Et huiusmodi est præsumptio cui Pontifex innixus, *in cap. is qui fidem, de sponsalibus,* statuit matrimonium censeri initum copula post sponsalia subsecuta. presumpsit enim insingulis casibus eam copulam affectu maritali haberi. Et talis lex in quovis casu in quo pręsumptio est falsa non obligat in conscientia, & in hac presumptione non fundatur prędictum præceptum (vt diximus) Altera est inqua non pręsumit legislator fraudes, seu delicta insingulis casibus, sed quia prudenter existimat in re aliqua, nec raro nec paruam ocasionē pręberi, vt fraudes & alia damna sequantur, legem generalē constituit qua huiusmodi euitet. & hæc pręsumptio fundamentum est

cuiuscunq; legis, quādo ergo pręsumptio est hoc modo, non desinit lex obligare eo quod in vno vel altero casu singulari præsumptio falsa sit. quia defficiēte legis ratione in vno vel altero casu singulari, adhuc tamen obligat lex, dum in cōmuni non defficit. Huiusmodi pręsumptio reperitur in casu nostro. Pręlati namq; nostri prudenter existimant in hoc cellarum ingressu non parua inconueniētia reperiri contra Regularem statum, & contra silentium certis horis, & talibus locis seruandum: ideo legem statuunt generalem qua huiusmodi evitent. Defficit tamē hęc lex in vno vel altero casu. non quidē in illo posito in capite dubij, nimirùm quādo Religiosus cellam ingreditur ad colloquendum, hunc enim vetat lex & pręceptum vt diximus. Sed in casu quo quis ingreditur cellam alterius ad confitendum, vel alterius confessionem audiendam & huiusmodi, & si ingreditur ad aliqua opera charitatis, v. g. ad curandū infirmum tunc nullum peccatum cōmittit, cum leges ecclesiasticę non obligent ad obseruationem festorum, & ad missam audiēdam in diebus festiuis, quando ex hoc charitatis officiū circa infirmos impeditur. Adhuc tamen obligat lex dum in communi non defficit.

Alia dificultas est, Religiosus conuētualis dubitat an præceptum sit impositum in conuentu de ingressu cellarum. & facta sufficienti diligētia adhuc res dubia manet. tenetˀ ne talis religiosus ad illud? Vasquez *in prima secundæ quæst. 19. articu. 6. disputat. 65. toto capitulo tertio & dis-*

*disputat.66.cap.*1.censet,sic dubitantem teneri lege, aut prçcepto. Fundamētum eius est.quia in dubio extra materiam iustitiæ, est semper amplectendũ id quod tutius est,nec suffragari possessionem.Idem cēset salas,*prima secundę,quæst.*21.*tractatu* 8.*disputatione vnica,sectione* 25.*num.*258.Cum hac limitatione,nisi dubitans ille,prçceptum exequi nequeat sine magna incōmoditate & periculo.nititurq; eodem fundamēto. Sed multo verius est prçceptum &legem tunc temporis non obligare, non solum prçceptum humanum vt prçlati, sed neq;naturale,aut diuinum positiuum.Intali enim dubio tota possessio est pro voluntatis libertate. Et probatur ratione,nemo obligatur lege nisi illi sit sufficienter proposita.at quando post sufficientem diligentiam manet quis dubius an sit lex vel prçceptum non sunt illi sufficienter proposita, ergo & si ingenere aut speculatiue maneat dubius quis an sit lex aut prçceptum: in particulari tamen seu practicè est certus se non obligari tali prçcepto. Sic docent Suarez, *tomo quinto in tert.part.disputat.* 40. *Sectione quinta. Henrriquez libro* 8.*de Eucharistia,cap.*45 *num.*3.*Emmanuel sa. verb. dubium, num.*2. *Sanchez Libro primo in prçcep. de calogi. cap.*10. *num.* 32. Atque eodem modo dicendum est nec legem neque prçceptũ obligare quoties de illis dubium est an hçc res comprçhendatur sub illis.quippe tunc per inde prorsus est ac dubitare an lex,& præceptum sint imposita de eare. Itaq; dictus Religiosus dubius de præcepto,certus est se non teneri illo.

Dubium 5.

STATVIT Prælatus & præcipit sub excõmunicatione ipso facto incurrenda, ne fratres scribant ad moniales, dubitatur, an maneat excõmunicati Religiosi scribẽtes, etiam si addictas moniales literæ non peruenerint?

Et videtur pars affirmatiua vera. Nam de facto Religiosi scripserunt literas, & illas misserũt, quod in præcepto & statuto cauetᷣ sub anathemate, ergo manent excõmunicati etiam si ad manus monialis literæ non peruenerint.

Conclusio, stante prędicto statuto, etiã si Religiosi scribant literas & illas mittant ad moniales: dum tamen addictas moniales non peruenerint, non manẽt excõmunicati. Hanc conclusionẽ tenet Nauarrus, *lib. quinto consil. titu. de sententia excommunicationis*, & probatur. quia verba sunt intelligenda cum effectu etiam extrinseco quem intendit legislator. qui per suam legem non intẽdit ligare vltra finem à se prętensum. nam vt dicitur in iure *leg. in alijs. ff. de acquirẽdo rerum dominio, capitulo finali, de præscrip.* actus agẽtium non operatur vltra eorum intentionem. at intentio & finis in quem prçlatus dictam excõmunicationem tulit fuit, vitare talia vel talia in conuenientia, quę si literę ad manus monialiũ peruenerint, sequerẽtur. Ergo cum finis iste penitus cesset in nostro casu, cessabit etiam

lex

lex quo ad illum finē:cum cessante causa cesset etiā effectus.& confirmatur, quia vt dicitur *prima,quæst. 1. capitulo Marchion.siue Marciō.* Non putem⁹ in verbis scripturarum esse euangelium,sed insensu.non insuperficie sed in medulla.non in sermonum folijs sed inradice rationis,igitur verba legis secūdum finem eius sunt interpraetanda:& verba cum effectu sunt intelligenda *capit.hæc verba.de pænit distinct.prima*,tum etiā,quia vt colligitur ex capitulo *cum incunctis,& capit. perpetuo, de electione.* pæna legis humanæ posita contra facientem aliquid,non habet locum nisi illud perficiatur. peccaret tamē Religiosus mittens tales literas propter periculum incurrendi excōmunicationem cui se exposuit;in illam tamen minimè incidet, vt dictum est,nisi prędictæ literæ ad monialē peruenissent.dixi illum peccare mortaliter propter periculum cui exponitur.Nam si is qui periculo damni tēporalis incurrendi exponitur, quia nimirum aggreditur opus eo tempore,& loco,& talibus circunstantijs vt vix illud damnum effugere valeat,peccat:à fortiori peccabit qui periculo tanti mali spiritualis exponitur. certissimum namq; est,opus ex se veniale,aut indifferēs,in mortale transire,si operans occasioni ita proxime exponatur,vt eum in mortali ac proximo peccandi mortaliter periculo constituat.hoc constat ex illo Eccl 3.*qui amat periculum,peribit in illo.*& ratio est,quia salutem spiritualem contemnere conuincitur,se tam probabili eius amittendę periculo obijciens. atque

ita docent. D. Bonauentura *4. distinct. 17. par. 3. art. 2. quæst. 1 Caietanus, & Armilla in summa, verbo Periculum. Castro libro 2. de iusta hæret. punitione, cap. 17. Nauarr. summa latina cap. 3. num. 14. Corduba in summa quæst. 4. Suarez tomo 4. in tertiam par. dispu. 32. sectione secūda Sanchez libro 1. in pręcepta decalogi, cap. 8. nu. 1.* Cum ergo talis religiosus scribēs literas, & illas mittens prębuit moralem proximam occasionem perueniendi ad manus monialis, consequens est, illum mortaliter peccare. Quippe tali morali proximo periculo incidendi in excōmunicationem se exposuit. & cum necessario fatendę sint circunstātiæ illius peccati, cuius periculo quis se exposuit. vt bene tradit Alcozer *in summa cap. 20. fol. 74.* inde est, quod tenetur Religiosus talem circunstātiam & periculum fateri. quippe in moralibus, eiusdem malitię est constituere se in morali periculo admittendi alicuius criminis, atque illud admittere. nam eodem pręcepto, quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoq; ad proximum periculum illius vitandum.

Ex doctrina & probatione cōclusionis deducitur, quod Religiosus qui in electione alium Religiosum suffragatorē sub ornauit, non incurrit in pęnas constitutionis Pij Papę quinti, si suffragator sub ornationi non consensit. Sicut qui mittit sagitā in Clericum, non remanet excōmunicatus si ictum errauit. Requiritur enim quod actus ratione cuius pęna incurritur sit perfectus. Et iusta hanc doctrinam intellige constitutionē nostram infra, *distinctione prima, cap. 18. ex tribus*

capi.

capitulis generalibus. Videlicet, quod si quis frater subdit' vel Pręlatus inducat aliquem fratrem per se, vel per alium ad electionem cuiuscumq; pręlati, vel officialis nostri ordinis: si in hoc depræhensus fuerit, pęna grauioris culpę puniatur; & sic per triennium omni voce actiua & passiua priuatus. Hęc constitutio. Quæ quidem intelligenda venit de inductione ad electionem subsecuto effectu. Ad argumentum patet ex dictis ex quibus soluentur innumeri casus similem materiam concernentes. Vide Emanuelem Rodriguez, *tomo secundo, qq. Regul. quæst. 57. articulo 2. prope finem.*

Dubium 6.

PRÆCIPIT Pręlatus in virtute Spiritus Sācti & sanctę obediētiæ, vt nullus eius subditus transeat per talem locum. Ego tamen scio prælati intentionem & causam propter quam tale pręceptū tulit. Vtrum si transeam per talem locum, reus sim fracti præcepti?

Probatur quod sic. Nam adest pręceptum pręlati & causa rationabilis ac religiosa præcipiēdi, ergo obligat quemcumque.

Ad hoc dubium respōdetur, quod si Subditus scit intentionē prælati & causam quæ eum mouit, quam ipse non dedit, neque per suum transitum sequetur inconueniens quod prælatus cauere intēdit: non frangit

git præceptum talis Religiosus transiens per talem locum. Verba enim deseruiunt intētioni. idest, verba sunt explicanda propter intentionem. *capit. sedulo, de verborum significatione.* Sed intentio prælati (quanuis in generali tulit præceptum) fuit impedire ne talis vel talis religiosus in particulari qui causam dedit, transeat per talem locum, ergo religiosi innocentes, & intentionem prelati cognoscentes, non peccant, neque preceptum frangunt. hoc tamen intelligendū est secluso scandalo. Ita Armila, *verb. obedientia.*

Sed quia multos, circa intellectum illius axiomatis; nimirum, *verba deseruiunt intentioni,* vidi errare, & circa aliud, quod idem est, *leg. non dubium, cap. de legibus,* quod est, *is in legem delinquit, qui verba legis amplectens cōtra legis voluntatem & intentionē nititur ire.* Notandum duxi, quod hę Regulæ sano modo intelligēdæ sunt: ne dictis & communi omnium sententiæ aduersentur. nam implens præceptum ob finem malum, verè adimplet; cum tamen contra legis intentionem agat, quæ est, vitam hominis componere. Et apertius, qui semel in die ieiunij comedit, curans ita stomachum replere cibis, vt nihil prorsus famis patiatur, vere implet preceptum: cum tamen legis intentionē quę est fame aliqua carnem macerare defraudet. tandem quia cōmune axioma est, finem præcepti non cadere sub precepto, ac proinde præcepti transgressor non erit seruans precepti verba, non tamen eius finem: ideo Regulæ istæ intelligendę sunt de voluntate, & intentione in-

trin-

trinseca legis,qua intendit obligare ad aliquid tan- quam ad materiam prçcepti.non autem de volũtate & intentione legis,qua intendit aliquid vt finem il- lius materiæ præceptæ, qui dicitur extrinsecus finis legis. quod optime explicuit Sãctus Thomas 12.*quæst centeßima articulo nono ad* 2.*& in secundo sentent.dist.*28. *quæst. vnica artic.*3.*in corpore, & in tertio sentent. dist.*36.*quæst. vnica, artic.*6.*in corpore.* dicens intentionẽ legislatoris esse du- plicem. Alteram de qua intendit prçceptũ indicere, alteram autem ad quam intendit per prçceptum in- ducere. Et primam solam cadere sub præcepto. nec omnis fraus legi facta est illicita; sed illa sola qua materia lege præcepta violatũ.quare omnes illç cau- telç quæ à iuris peritis inueniuntur, vt violantes ex- trinsecam legis intentionem;non fiant materię legis transgressores,licitç sunt.nec enim iure suo vtens po test dici fraudem cõmittere.vt latè probat Sanchez *libro* 3.*de matrimonio, disputat.*18.*nu* 29.& idem prosequitur *lib. primo, in præcepta de calogi, cap.*24. *num.* 4. in casu nostri dubij,finem prçcepti seruat Religiosus,si secluso scan dalo per dictum locum transeat.vt diximus.

Aliud dubium paruum est simile præcedẽti.An sci- licet,præceptũ positum à priore conuentuali,seu lex generalis edita à Prouinciali,vel à capitulo prouin- ciali in odium tamen particularis Religiosi sit iusta, &ab omnibus subditis obtemperanda? Videtur quod nõ, ex Iasone dicente. Quod si statutum esset genera- le,factum tamen in odium priuatæ personę,posset ab

eo appellari, & opponi exceptio doli. & probat *ex leg. prima, § finali, ff. de exceptione doli.* in quam sententiã allegat Bartolum, *in leg. omnes populi. eo titu. quæst: quinta in principio,* & alios iuris peritos.

Ad hoc dubium respondetur, quod statutum & lex Superioris potest esse iusta & firma, etiam si fiat in odium priuatę personæ. dummodo id, quod prelatus statuit & pręcipit sit alias bonum cõmune cęterorum prospiciens. Hoc dictum probatur. nam finis mouens prælatum ferentem legem, non nocet mandato, seu legi, quando alioquin id, quod ipsa lex seu mandatum pręcipit, cõmune est, & bono cõmuni consentaneum. Ergo si pro iustitia legis & pręcepti non debemus respicere animum legislatoris, sed materiam quam pręcipit, (neque talis animus per legem proponitur) Subditi non debent sequi animum, sed prelato obedire, & exequi quod à prælato præcipitur. Ad iuris peritum Iasonem Respondetur. Quod sua doctrina pertinet ad forum contentiosum, in quo agitur de apellationibus. nos autem loquimur in foro conscientiæ.

Dubium 7.

AN Religiosus reus, aut testis interrogatus sub pręcepto formali in rebus parui momenti, peccet mortaliter celando veritatẽ? Ad hoc dubium respon-

pondetur, quod non peccat mortaliter. quippe pręlatis Regularibus non est integrum in rebus minimis præceptum ponere ad culpam mortalem obligans. Ita censet magister victoria 22. *quæst.*186. Vbi inquit, quod si sit leuis materia qua pręcipitur, non obligat pręceptum ad mortale. esset enim lex iniqua. benè quidem potest pręlatus legem facere, & ordinationē de rebus leuibus, non tamen sub pręcepto, aut excommunicatione, & idem dicit de Episcopis. & in quæst. 69. artic. 2. inquit, quod hoc intelligitur constando de leuitate rei. quoniam si dubium esset timendum est. Idem tenet Emmanuel Rodriguez, *tomo 3. qq Regul.* immo ait dictus pater, quod obligauit tunc pręceptum. Hoc dictum limita, nisi ex hoc sequatur graue damnum proximo: quod sępe ex rebus minimis solet Religiosis contingere. Ita Aragon 22. *quæst.* 69. *articulo secundo.* Si vero confirmetur iuramēto, tunc mortaliter peccabit. quippe iuramentum etiā inre parua cum mendatio est peccatum mortale. Sic Magister Soto *De tegendo secreto, membro secundo, quæst.* 7.

Pro confirmatione doctrinę Magistri victorię Nota, quod peccatum veniale non transit inmortale ex eo quod novum pręlati pręceptum, aut diuinum naturale illud prohibēs accedat. Sed erit duplex sola venialis culpa. quia cum id peccatum sit solum veniale ratione leuitatis materię, nec hanc pręceptum super additum mutet, nequit fieri ob eam rationē mortale. Et hoc clarius cōstat in voto. quod si sit peccati venia-

ni alis vitandi non obligat tale votum ad mortale, sed ad veniale. Ratio est, quia votum emissũ de aliqua re nõ aliter obligat quam lex lata adeo, vel ecclesia circa illam, sed lex de leui materia non obligaret ad mortale, sicut nec obligat ad mortale lex de vitandis verbis otiosis, ergo. Item quia quanuis omnia ad Religionem spectantia habeant ex ea parte magnam excellẽtiam, non tamen omnia illa sunt æqualis necessitatis in latitudine Religionis: sed sicut materia illa parua modicus honor exhibetur Deo, ita commissio cõtra illam est modica irreuerentia. Vide Sanchez, *lib. 4. in præcepta decalogi. cap.* 12. & ita impugnato Almain, tradit Azor, *tomo* 1. *institutionum moralium, lib.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 10 Hoc autem intelligitur attẽta sola noui pręcepti ratione. nam potest esse vt ex noua ratione qua prælatus mouetur ad id præcipiendum, materia efficiatur grauis: & pręceptũ obliget ad mortale. Quia sæpe contingit vt materia pręcepti sit secundũ se leuis & in capax obligationis sub mortali, tamẽ ex circunstantijs boni cõmunis ad iunctis quas pręlatus intẽdit sit grauis, & cadat sub obligatione peccati mortalis, vt ratione scandali vitandi, seu iacturæ boni cõmunis Religionis, & periculi transgressionis votorum. &c.

Circa Priorẽ assertionem est difficultas alia. Quid iuris, si Subditus interrogatus fuerit à prælato, etiam cum iuramento an intrauerit in quandam domum; & reuere talis Religiosus ingressus fuit innocenter

tamen,

tamen,& absq; vllo sinistro fine. Scit etiã Religiosus Subditus Prælatum ex confessione ipsius occasionem sumpturum ad eum puniendum? Respondetur, quod non tenetur veritatem propalare. Ita colligitur extraditis à Magistro Soto vbi supra. Quia quanuis superficie tenùs videatur negare veritatem,& mendatium iuramento confirmare quod est intrinsecè malũ: non tamen ipsam negat. Cum respõdeat secundum intentionem iudicis interrogantis. Qui præsumitur Regulatus iuribus inquirere de ingressu, malo fine perpetrato: sicut ei fuerat ab alijs fratribus, vel sæcularibus visitatus.

Aduertãt tamen Religiosi id quod supra notatum est, nimirum, quod si Prælatus præcipit fratri in iudicio, vt dicat aliquid de quo iustè & iuridicè interrogatur: tenetur sub peccato mortali dicere, & propalare. Etiam si ei non præcipiatr̃ sub præcepto formali expresso, aut sub excõmunicationis pena. Ratio huius. Quia tunc ipsamet lex diuina obligat illum vt dicat veritatem iudici in iudicio iuridice interroganti Ita Diuus Thomas *secunda secundæ quæst. 69. & Caietanus, & victoria in eodem loco.* & hoc ipsum excepit constitutio nostra in hoc prologo num. 4. quando dixit. præceptum nullum in Regula (nisi ratione trium votorũ, aut diuinæ, vel ecclesiasticæ legis) cõtineri volumus:

Dubium 8.

AN Præcepta & censurę priorum prouincialium ligent Subditos alterius prouincię si fortè contra eas agere contingat, & idem de præceptis & censuris priorum cõuentualium an ligent hospites alterius conuentus? videtur pars affirmatiua vera, *ex capitulo vltimo de foro competẽti, & capit. primo de raptoribus*. Per quæ capit. non Subditi, ratione delicti efficiuntur Subditi, & glossa *in capitu. Romana Ecclesia, de sententia excõmunicationis, in 6. verbo sententiæ*, ait Archiepiscopi excõmunicatio cõtra furantes: ligat etiam non sibi subditos scientes dictam excommunicationem.

Pro huius dubij declaratione notandum est, quod censura & præceptũ possunt dupliciter poni. vno modo per modum statuti, quod fit per capitulum Synodale, & per capitula generalia & prouincialia nostra. Alio modo per modum sententiæ, hoc est, tanquam ab homine. his suppositis.

Prima Conclusio, censuris & præceptis primo modo posßitis procul dubio ligantur Subditi & non Subditi agentes scienter contra dictas censuras seu præcepta. Hanc conclusionem tenet Panormitanus *in cap. à nobis, de sententia ex communicationis, num. 7.* & ratio est, quia cum statutum habeat actum succesßiuum, & semper loquatur: vinculum sumit tẽpore delicti. Ideo in continenti cum non Subditus delinquit. efficitur de iurisdictione statuentis, & ligatur statuto suo. & hoc quando statutũ est aptum compręhendere subditos, & non subditos: vt in casu huius dicti capituli *à nobis*, quem

statim

ſtatim referam.

Secunda Concluſio. Religioſi agentes ſcienter contra præceptum ſeu excõmunicationem Prioris prouincialis, vel conuentualis ſecundo modo poſitã, videlicet per modum ſentẽtiæ, (Religioſi inquam non ſubditi) non ligantur illis. & hic eſt caſus dicti capituli, *Romana Eccleſia, de ſententia excõmunicationis, lib. 6.* & Clarius *in dicto capit. a nobis eo titulo.* vbi dicitur, quod quidam Epiſcopus protulit ſententiam excommunicationis ſub hac forma quiſquis furtum fecerit ſit excõmunicatus. Quæſitum fuit à Dño Papa an ligẽtur hac ſententia non Subditi huius Epiſcopi: & reſpõdit quod non. Et ita tenet Panormitanus ibi: & concludit his verbis. Et hinc illud nobiliſsimum dictum, vt non ſubditi delinquẽtes in territorio, non incidant in pœnam ſententię. Sylueſter etiam *excõmunicatio ſecundo, notabili 4.* tenet cum Panormitano. ducũtur. quia cum ſententia vires ſumat in continenti, non poteſt comprehendere niſi Subditos contra quos fertur. Fateor quidem poſſe dictos prelatos hoſpitibus pręcipere ne faciãt tale quid quod expedit non fieri, habent enim tunc iuriſdictionem ſuper eos, minime tamẽ ligantur dicti hoſpites cẽſuris antea latis quarũ vires iam tranſierunt. Ad argumentum ex gloſſa *capituli Romana eccleſia.* Reſpondetur, non valere, deſtruit enim ipſum textum dicentem. ſententię ab Archiepiſcopo ſuiſq; officialibus generaliter promulgatæ, tantum ligant ſubditos huius iuriſdictionis Archiepiſcopi. hæc ibi.

Circa

Circa modum ferendi has censuras, Notãdum est, quod non sufficit quod excommunicatio sit lata ab Episcopo, & in scriptis cum subscriptione notarij, ad hoc quod liget, Sed ad huc requiritur promulgatio publice facta, vel Corã testibus, nec obstat quod de mandato Episcopi fuit importis Ecclesię fixa, debet enim de hoc constare authenticè per firmam pręlati & notarij asserentis quod de mandato talis prælati lata est excõmunicatio, & in portis ecclesię fixa, testibus n.n. & huiusmodi publicatio dicitur notificatio, & hoc suficit. Quippe non debet pręlatus legem intimare in auribus vnius cuiusque populi, sufficit namq; in loco publico promulgari. Et sic declarauit vsus ferentium aliquod mandatum, vel sententiam communẽ excommunicationis, quod per præconẽ & notariũ in loco publico publicet. Et si iudex est ecclesiasticus, in ecclesia legit eius mãdatũ. Non enim fertur excõmunicatio quãdo incamera Episcopi ordinatur & anotorio scribitur, nec leges conduntur quando in consistorio Episcopi seu alterius Principis ventilantur & ordinantur, sed cum postea authẽtice promulgantur; vt ait Magister Soto, *lib.1. de iustitia. quæst. 1. artic. 4.* Quia tunc promulgatur lex dum sub pręcepti forma fertur, & authenticè intimatur illis quibus imponitur. Vnde ante promulgationem qua Subditis innotescit, non eos ligat. Et tunc authenticè promulgatur cum prælatus per notariũ & coram testibus præcipit, vel cum notarius publicè legit & notificat. Et si

fig-

figit literas in loco publico debet ibi expræssari quo modo mandatum in eis contentum fuit publicatum de mandato Principis tali die, mēsis & anni, & nomina testium qui ibi pręsentes fuerunt scribi, alias nō constat absentibus de promulgatione. Et quanu postea dictas literas legant, nesciunt merito an fu rint promulgatæ, vel non; quippè sola scriptura mandato, quod nimirū, talis pręlatus præcipit su pœna excommunicationis, non demonstrat nisi orc nationem factam à prelato in Camera, vel consist rio: non verò declarat promulgationem talis exc municationis, & ideo non ligat. Leges enim tunc in stituuntur, quando subditis authenticè publicantu *distinct. 4. capit. in istis.*

Hæc dixerim contra abussum aliquorum iudici qui excommunicationes in camera scriptas statir affigi portis Ecclesiæ absque aliqua publicatione notificatione mandant, tales quidem excommunic tiones minime ligant. Quia perfixionem illarum i Ecclesię portis, non constat de promulgatione. Po tuit namque persona aliqua particularis ex suo m tu illas ibidem affigere. Id circo debent coram test bus notificari, vel à notario in ecclesia legi; & vt ab sentes excusationem non habeant de eorum notiti ibid : scribi publicatio, & testes, dies mensis, & annus. Fallit tamen hic modus publicandi excommunicationem vel præceptum apud regulares: vsus namq; dedit eis iurisditionem.

Hoc in loco veniunt explanãda aliqua scitu digna pro intelligendis excommunicationibus tàm summi Pontificis, quàm capitulorum generalium & prouincialium, atque nostrorũ prelatorum; vt sic multi religiosorum scrupuli vitentur. Et maximè quando in extrauagantibus Papę seu in concilio, vel in capitulis nostris generalibus dicitur. Qui præsumpserit, vel qui ausus fuerit tale quid facere; sit excommunicatus. Vel qui contenderit ratione priuilegiorum, vel consuetudinis. &c.

Caietanus *in prima secundę, quæst. 72. articulo 9.* declarat huiusmodi terminos locum habere, quando non ex simplici corde, vel ignorantia pura, vel ex apparẽti sibi excusatione quis facit cõtradictas cẽsuras, quod idem confirmat *in summa, excommunicatione 73. & excommunicatione 81. in medio. Et verbo præcepti transgressio in fine.* Et ratio eius est, quia qui taliter operatur non dicẽdus est, audatia, vel pręsumptione facere, & sic in conscientia non ligari. Quod etiam tenet *excommunicatione 63.* Et omnium vnica & potissima est ratio. Videlicet quia non est credendũ de pia matre ecclesia, bonas animas sic operantes vele ligare per suas censuras tàm hostili vinculo. Consulit tamen quod absoluantur ad cautelam.

At verò plus extendi potest huiusmodi excusatio ad hoc quod in foro conscientię excusetur quis agẽs contra censuras Papæ: Caietanus enim vt patet in locis

locis citatis,solum excusat quando qui agit contra censuras Papę,agit bona fide,ita quod non peccauit mortaliter in illo actu contra dictas censuras. Dicit enim Caietanus. Non est intentio piæ matris ecclesię ligare bonas huiusmodi animas tam hostili vinculo. Et excommunicatione 82. ait, quia ibi non est audacia, & idem *excommunicatione 73. & excommunicatione 81.* inquit,qui ingrediuntur monasteria monialiũ sine licentia,etiam scientes excommunicationem positã putantes tamen in aliquo casu licere,excusantur ab excommunicatione; quia non præsumunt.

Sed amplius potest extendi.Vt siquis agat contra cẽsuras ecclesię aut prelatorum ex ignorantia vincibili & culpabili, taliter quod mortaliter peccauit contra dictas censuras; (si non fuerit ignorãtia crasa & supina) non incurrit taliter operans in censuras etiam Papę.Ratio est,quia talis non est inobediens ecclesiæ formaliter, etiã si actus qui prohibetur sit secundũ se malus.Vt furari,percutere. Doctrina hęc est Syluestri *verbo ignorantia §. 8. & excommunicatio decimo §.3. & Nauarri capitu 27.num.16.*Et probatur primo. Excommunicatio petit claram contumaciam & inobedientiã,hac enim prorsus ratione dicunt iura quod debet moneri tèr,sed quando quis transgreditur excommunicationem per ignorantiam vincibilẽ non clarè constat de contumacia & inobedientia, ergo. Secundò probatur argumento theologico sic. Plus nos ligat præceptum fidei,quàm pręceptum excom

 mu.

municationis Papę, sed non incurrimus hęresim operando ex ignorantia vincibili mortali contra fidẽ, sed requiritur crassa, & supina, ergo idem dicendum venit in excommunicatione, quod scilicet non incurrit quis eam quanuis operetur ex ignorantia vincibili mortali. Consequentia est bona, minor autem probatur à doctoribus *in secunda secũdæ quæst. 11. de heresi.* Tandem probatur, quia pœnæ sicut sunt restringendę, ita earum declaratio debet esse restricta. Non negamus opinionem contrariam esse communem vt notat Syluester. At, hæc nostra est vera: tum authoritate eam tenentium, tum etiam propter rationes factas. Caietanus 2.2. *quæst.* 72. *artic.* 9. accedit ad opinionem communem, hoc autem est quia putat ecclesiam posse excommunicare absque eo quod pręcesserit admonitio. Quod reijcitur à magistro Victoria & Soto *in* 4. *sent.* de quo vide Couarru. *in capit. Alma mater, part.* 1. *num.* 5. Hęc dixerim, quia deseruiunt ad multorum casuum particularium dicisionem.

Dubium 9.

AN Religiosi subditi extra Prouinciam seu conuentum existentes, ligentur pręceptis vel censuris suorum prælatorum? v.g. in hac prouincia est pręceptum impositũ ne religiosi tale quid exequãtur. Religiosus quidam se contulit in aliam prouinciam ad aliquod negotium per agendum, vbi com-

misit

misit tale delictum à suo prouinciali prohibitũ per præceptum, seu excommunicationem. Quæritur an ibi sit reus fracti præcepti & excommunicationis? Et tandem. An in tali aliena prouincia teneatur obedire præcepto sui prelati si forte ad illum per scripturam miserit?

Pars negatiua vtriusque partis quesiti probatur. Subditi Episcoporum extra territorium existentes non ligantur eorum censuris, vt patet *ex capit. nouit, de officio legati, & capitulo cum Episcopus, de officio ordinarij in 6.* Ergo neque religiosi subditi extra territorium, seu prouinciam existentes ligantur præceptis vel censuris suorum prælatorum. Patet consequentia ex paritate rationis. Quia vt supra diximus in hoc prologo, *verbo Prelati, &c.* Prouincialis potestas & authoritas Episcoporum potestati, æquiparatur. Et cum in in vtroque eadem reperiatur ratio; consequenter eadem debet esse iuris dispositio, vt ait Panormitanus *in capit. nihil, de electione, nu. 9.* & id circo quando de potestate nostrorum prælatorum loquimur, argumẽtamur à simili, more iuristarum; nec inefficax est argumentum in ter ipsos.

Confirmatur ex dictis in capit. *vt animarum periculis, de constitutionibus, in 6. §. statuto.* Vbi palam constat, legẽ, aut canonem, vel statutum minime vim habere extra territorium statuentis: cum id habeat vim à potestate ipsius statuentis & legis latoris, quæ nõ egreditur proprium territorium, ergo.

 Pro

Pro huius dubij solutione notādū est primò, quod magister generalis, Prior prouincialis & conuentualis sunt (vt sępe dictum est) ordinarij pastores, cum iurisdictione in vtroque foro: non tantum ex priuilegio, sed ex iure communi canonico. Quam iurisdictionem possunt delegare. Vt tradit Syluester *verbo excommunicatio secundo §. 5. & magister Soto in 4. distinctione 22. quæst. 2. artic. 1. conclusione prima.*

Secundò notandum, quod ad hoc quod Iudex aliquam ferat censuram, debet esse in suo territorio, & non extra, vt constat *ex capit. nouit, de officio legati, & capi finali, de constitutionibus, in 6.* ratio est, quia sententia requirit causæ cognitionem, & ad contentiosam pertinet iurisdictionem, *secunda, quęst. 1. capit. nemo.* Ea autem quæ causę cognitionem desiderant, fieri debent iudice pro tribunali sedente, *3. quæst. capit. inducię § à iudice.* In aliena autem prouincia seu diœcesi pro tribunali sedere, contentiosamque iurisdictionem exercere non possunt, *nona, quæst. 2. capit. Episcopum.* Ab hac regula excipiuntur prelati regulares respectu suorum subditorum: nō quia iurisdictionem habeant sine territorio, vt ait Emmanuel Rodriguez *tomo 2. qq. regul. quæst. 59. artic. 1.* Sed quia totus mundus est eis pro territorio, vt bene Syluester *verbo excommunicatio secundo, § 15* quia persona est eis religata. Et ita extra prouinciam & vbicumque religiosus se repererit, ibi suus prelatus habet territorium: est enim iurisdictio eius voluntaria & non contentiosa. Ea autem quę spectāt

ad

ad voluntariam iurisdictionem, extra prouinciam exerceri possunt, *ff. de officio p̃ cons. leg.* 2. Episcopus enim potest dispensare cum suis subditis existentibus extra diœcesim, quia cum illi domicilium non mutauerint, est verus illorum prelatus. Sic Alcozer *summa, capit.* 16. *Vbi de votorum dispensatione conclusione* 5. *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de voto lib.* 6. *capit* 11. *num.* 10. *Sanchez lib.* 4. *in præcep. de cal. capit.* 37. *num.* 32. Potest etiã ab Episcopo dispensari, quanuis extra diœcesim sit, cum subdito existenti in diœcesi. Et ratio vtriusque partis est, quia & si iurisdictio contentiosa petat vtrumque intra terminos diœcesis esse: at voluntaria, qualis est dispensatio, potest extra territoriũ & diœcesim exerceri. Ergo cùm prælati regularis iurisdictio respectu suorum subditorum voluntaria sit; & ex alia parte non habeat territorium determinatum, sed totus orbis sit eis pro territorio, consequẽs est, quod prælatus habet iurisdictionem in subditũ suũ vbicumque existentem. Per hanc doctrinam potest saluari dictum prefati patris Emmanuelis Rodrig. videlicet quod prælati regulares habẽt iurisdictionem sine territorio, intelligendus est, sine territorio determinato; quia totus orbis est eis pro territorio.

Sed dices. Ergo Prior sancti Pauli Hispalensis potest, iuridice cognoscere de causa sui subditi, cũ strepitu & figura iudicij, in conuentu de regina, vel in aliquo alio, & coram Priore illius conuentus illum apprehendere, & condemnare. Patet consequentia.

Quia

Quia cum totus orbis ſit prælatis regularibus pro territorio (vt dictum eſt) etiam ille conuentus de regina erit territorium Prioris ſancti Pauli Reſpōdetur, negando ſequelam, quia in hoc caſu læditur alienum territorium nempè prioris illius conuentus, qui ibi ſuam habet iuriſdictionē. Et quando iudici & prȩlato alicuius territorij non ſeruatur ſua iuriſdictio, confunditur ordo eccleſiaſticus, quod omnia iura abhorrent. Secus eſt quando prȩlatus regularis non exercet ſuam iuriſdictionem in prioratu alieno vel coram prȩlato illius conuentus. Vel quando per Epiſtolā miſsiuam prȩlatus ſub præcepto prȩcipit ſuo ſubdito vt ad eum reuertatur. Quoniātunc licet aliquātulum lædatur territorium alienum in executione iuriſdictionis; venit tamen tollerandum propter obſeruantiam regularē quȩ aliquando talia petit. Immo ipſum bonum commune hoc exigit, cui expedit ne delicta maneant impunita: & etiam vt vitētur futura mala, & ſcandala oportebit talia exequi in alieno territorio.

Sed contra ſupradicta arguitur *ex capit. cum Epiſcopus, de officio ordinarij in* 6. Et ex ſacris canonibus determinantibus quod non ſolum Papæ licentia eſt neceſſaria ad ædificationem monaſteriorum; ſed etiā Epiſcopi, cum in ſuo territorio debeant ȩdificari. Ergo non ſolum totus orbis ſed neque conuentus in quibus reſident ſunt prælatis regularibus pro territorio; ſed ſunt interritorio Epiſcopi. Ad hoc argumen-

mentum respõdetur, quod quãuis monasteria & con uentus sint de diœcesi Episcopi quantũ ad situm, non tamen quantum ad iurisdictionẽ. quam etiam si con cedamus habere Episcopum in conuentibus, eam tamen habent in habitu, vsus vero eius impeditur per amplissimam nostram exemptionem: ratione cuius impedimenti, absolute non habent Episcopi ibi iurisdictionem. Addo, quod clerici peccantes intra diæcessim contra præceptum, statutum seu excõmunicationem Episcopi, in loco tamen exempto, videlicet in aliquo mendicantium monasterio, non ligantur tali censura. v. g. tulit Episcopus excõmunicationem contra ludentes ad taxillos. Si subditi eius laudant in locis exemptis à iurisdictione Episcoporũ (vt est capella ducis burgundiæ, *in capitu cum capella de priuilegijs* & monasteria locaquè fratrum Mendicantium, vt *in compendio priuilegiorum verbo exemptio.*) non incidunt in dictam excõmunicationem. Ita tenet Geminianus, *in cap. vt animarum, & cap. si Episcopus, de officio ordinarij.* Ratio est, quia locus exemptus æquiparatur loco, extra territorium existenti. Sicut enim si Subditus illius Episcopi peccaret in alia diæcesi non ligaretur dicta excõmunicatione, iuxta predictum capitulum *vt animarum*. Sic ludendo ad taxillos in prædictis locis exemptis minime incidet in excõmunicationem. Et pro hac sententia facit. *capitu. cum Episcopus, de officio ordinarij. in 6.* vbi dicitur, non dubium quin Episcopus in quolibet loco suæ diœcesis non exempto potest suam iurisdictionem

 exer-

exercere. Vbi nota illud, *non exempto*. Ergo a contrario sensit, in loco exempto non potest illam exercere. & pro hoc vide singulare priuilegium concessum monachis Sancti benedicti in Italia *verbo exemptio, conceß. 33.* Vbi conceditur eis, & prohibetur ne Episcopi in eorum locis. missas, aut alia diuina officia celebrēt, nec ordines conferant, vel causę agitentur etiam ciuiles, vel quod ibi non incarcerentur, vel detineantur personæ ecclesiasticæ, & nota hæc quia singularia.

Dubium 10.

AN RELigiosus transgressor pręcepti formalis pręlati cōmittat duas malitias necessariò confitendas. Alteram contra obedientiæ votum, alteram autem contra promissionem factam pręlato ei obediendi, seu (quod idem est) contra pręceptū pręlati?

Pars affirmatiua probatur primo. In voto obediētiæ reperiūtur duę rationes essentialiter distinctę, duarum distinctarum virtutū, Religionis scilicet & obedientiæ, ergo in transgresione talis voti reperiuntur duę malitiæ, duęque rationes vitij distinctæ, irreligionis scilicet, & in obedientię. Confirmat̃ hoc argumentum. Si Petrus promittat Ioanni se illi daturum centum aureos coram scriba & testibus, & postea Deo voueat se hanc promissionē adimpleturum, Petrus non ad implens promissum procul dubio duo cōmit

tit

tit peccata;alterum contra virtutem Religionis,alterum autem contra iustitiam.Ergo idem contingit in casu dubij in ordine ad deum.

Secundo arguitur.Religiosus transgrediens votum paupertatis,donando aliquid,duplex peccatum admittit,alterum sacrilegij contra paupertatis votum, alterum vero furti,donando quod suum non est.Et si fornicatur,committit etiam duplicem culpam,alteram sacrilegij contra votum,alteram vero intemperantię contra virtutẽ castitatis.Ergo idem dicendum venit de Religioso trãsgressore voti obediẽtię. quippe quod est etiã solẽne,& illis duobus perfectius.

Confirmatur,Religiosus per votum solemne tradit se totaliter deo,ergo quando frangit tale votum admittit duplex peccatũ;&contra Religionẽ, & quia aufert àdeo quod suum est.& ei iam tradditũ. Hanc partem affirmatiuam tenent Caietanus *22.quæst.88.art 5.dubio vltimo,circa sollutionem ad 3.Vasquez 12.quæst.72.artic.6 disputat.98 cap.3.num.7.*Qui addit,hoc posterius peccatũ, videlicet cõtra pręceptum Superioris,pertinere ad diuersas species,iuxta diuersas materias diuersaque motiua superioris imponentis illud pręceptũ. Sicut intransgresione aliarum legum & pręceptorũ contingere videmus.& reddit rationem.quia in Religione pręter obediẽtiam voto debitam superioribus,est in illis eo ipso quod iuxta constitutiones in pręlatos eliguntur,communicata potestas a Pontifice ad præcipiẽdum:ac proinde ratione solius pręcepti obliga-

 bunt

bunt subditos ex precepto illius virtutis ad quam actus preceptus pertinet. Quod vel inde constat, quia superior Religionis potest sub excõmunicationis pæna præcipere, quam ratione solius voti imponere nequiret. Hec Vasquez.

Conclusio. Religiosus qui præceptum prælati transgreditur, vnum tantum cõmittit peccatum sacrilegij contra virtutem Religionis. Hanc cõclusionem tenet Magister Soto, *lib. 7. de iustitia & iure, quæst. 2. artic. 3. in solutione ad 1. & Magister* Petrus *de Ledesma in summa sacramẽti tractatu de pænitẽtia, cap. 19. & in 2. par. summæ tractatu de voto, cap. quinto.* & probatur primo, Religiosus nullo alio titulo & ratione tenetur prælato obedire. nisi ratione voti solemnis quod Deo fecit obediendi prælato, loco ipsius Dei. Nam ante tale votum nulla prorsùs erat obligatio. Ergo transgrediens prælati præceptum, tantum modo peccat contra virtutem religionis. Antecedens probatur. Quia ante tale votum nulla precessit promissio, nec vllum fuit pactum inter prælatum & religiosum, ratione cuius teneretur religiosus illi obedire. Ergo solũ modo ratione voti Deo facti tenetur illi obtemperare. Secundo probatur. quando quis emittit votum de re voluntaria quæ tantum est consilij, & non precepti si transgredit tale votum, vnum tantum peccatum committit. Sicut quando quis frangit ieiunium quod vouit, alias non obligatoriũ, ergo idem dicendum est in casu nostro: vtrobiq; enim vna tantum virtus. scilicet Religio violatur. Tertio probatur

batur ratione magistri Cano. Sic deo frangitur fides in transgressione pręcepti, sicut mulier quæ promisit procuratori quod nubet Domino eius, si frangat talem promissioné: sed si mulier non ad impleat promissum, non peccat duplex peccatum, sed vnum tantum contra dominum procuratoris. Ergo Religiosus qui transgreditur pręceptum Pręlati veluti procuratoris dei, tantum peccat cōtra ipsum Deum, cui se voto obligauit, & cui frangitur fides.

Sed vtramque opinioné sic conciliat Thomas Sanchez, *lib. 4. in pręcep. decalogi, cap. 11. num,* 25. Si Superior vtraque potestate vtens velet obligare, verior est (inquit) Prior opinio dicens transgresioné esse duplicem culpam. Vt si prelatus aliquid præciperet in virtute obedientiæ, & subpæna excōmunicationis. quia tunc per virtutem obedientiæ exigit obedientiā sibi voto debitam: per pænam auté, quam vt solus prælatus ecclesiasticus imponere potest, exigit obedientiam vt Prelatis talibus debitam. Si auté solum præcipiat in virtute obedientię, vel absolute pręceptum imponat, credit veriorem esse aliam opinionem dicentem esse vnicum peccatum contra votum. Quia cum non constet intentionem prelati esse vtroq; modo pręcipere, non strictius, sed fauorabilius in dubio iudicandum est. Vide ibi. quæ conciliatio mihi non placet iusta supradicta, Impertinés enim videtur illa potestatum præcissio, in re ita morali. maxime cum talia præcepta absolute semper imponantur.

Ad primum argumentũ respondetur. negãdo consequentiam, quanuis enim in voto solemni obedientię reperiantur duæ rationes distinctę, duarũ distinctarum virtutum, ambæ tamen rationes sub præcepto minime cadunt. Solum enim reperitur ibi pręceptũ Religionis, non obedientię. obediẽtia vero in tantum obligat, in quantũ Deo fuit promissa in manibus pręlati, & pręlato loco Dei. Ad confirmationem Respondetur, negando consequentiam. Incasu namq; antecedentis duo debita reperiuntur, alterum homini alterum vero ipsi Deo, & vnum superuenit alteri. In casu autem consequentis, vnum tantum debitũ reperitur scilicet in ordine ad deum ratione voti solemnis: ante quod nullum aliud debitum erat respectu pręlati. Itaque per solum votum solemne promisit deo obedire suis prælatis vsque ad mortem. Aduertendum est, quod si incasu antecedentis promissio fuerit simplex, malitia contra illam erit venialis tantum contra virtutem veracitatis: at malitia contra votum mortalis.

Ad secundum argumentum, negatur etiam consequẽtia, & ratio differẽtię est quia castitas antequam solemniter deo voueatur, cadit quidem sub pręcepto decalogi, cui superuenit solemne votum castitatis. Vnde Religiosus voti castitatis transgressor duo crimina committit contra duas virtutes, Religionẽ scilicet & castitatem. Et similiter votum paupertatis in sua totali ratione includit abdicationem & alienatio

nem

nem rerum temporalium,& priuatſe Religioſus earum dominio,transferens illud inconuentū qui poſt religioſi profeſsionē verus dominus manet omnium bonorum quæ Religioſus acquiſierit vſque ad mortem.Vnde Religioſus qui pecuniā in quātitate abſq; ſui prælati licentia expenderit, dupplex peccatum committit: alterum contra Religionem voti ſolemnis paupertatis,alterum vero contra iuſtitiā,quippe expēdit rem alienam inuito Domino.Et ex alia parte manifeſtum eſt,quod ante votum omnes tenētur non erogare iniuriam alicui.At quando votum obedientiæ violatur, non vulnerantur duæ virtutes,ſed virtus religionis tantum, vt dictum eſt.

Dubium II.

AN Religioſus qui abſque prȩlati licentia à conuentu egreditur in ciuitatē ad deambulādum, peccet mortaliter?

Aliqui dicunt quod ſi Religioſus aliquis recedat à monaſterio abſq;ſui prȩlati licētia,etiam cum animo reddeundi,peccat mortaliter.ducūtur primo quia furatur ſeruum alienum inuito Dño ſuo. Tum etiam quia talis Religioſus eximit ſe ab obediētia ſui prælati,quam vouit ſolemniter;quæ eſt res grauiſsima in Religione,ergo ex genere ſuo peccat mortaliter. Concluſio,prædicta violatio clauſuræ Regulariter loquendo

quendo non est peccatum mortale, sed tātum modò veniale, nisi quando fit ex contemptu Regulæ & perfectionis, aut ex transgressione pręcepti specialis Superioris. Hęc conclusio est Nauarri *Super capi. statuimus 19. quæst. 3. num. 34. & 35.* quam & probat ex sententia D Thomæ *22. quæst. 186. artic. 9.* Vbi asserit contēta in Regula non obligare ad mortale, nisi quo ad tria essētialia Religionis vota, & quo ad pręcepta formalia ipsius siue superioris. Nam regularis (inquit) nō vouet obseruare sub peccato mortali regulam, aut omnia contenta in ipsa; sed obedientiam secundū illā viuendo simul in castitate, & paupertate. Atque ita obseruantiæ alię extra continentiam & paupertatē non ligant ex voto, nisi præcipiantur ab ipsa Regula formaliter, siue à superiori secūdum ipsam. Cum igitur de his sit obseruatio dictęclausurę, satis clarè colligitur, quod ipsa non obligat ad Mortale, dum tamē absit contemptus, vel non fiat cōtra præceptum formale superius dictum. Et confirmatur, nam licet ius omne, etiam statuat, seu potius confirmet clausuram prædictam, non id facit addēdo illi vim pręcepti, sed per modum cuiusdam generalis statuti, ita quod non sit præceptum de eius obseruantia. sed de obseruantia Regulę seu statuti particularis, & obseruātia legis generalis. Hęc Nauarrus vbi supra. Quibus addit, esse mortiferam violationem clausurę quoties cumq; fit cum notabili scādalo, vel damno monasterij, & tunc non quatenus est violatio regulæ, seu iuris cōmunis,

aut

aut specialis non intendētis obligare ad mortale; sed quatenus est violatio iuris diuini, & naturalis, de non scandalizando proximo, eidemque notabiliter non lędendo. quod pręcipit septimo præcepto decalogi. *exod. 20. Math. 18. & in cap. de præscrip.* huic doctrinæ assentit frater Ludouicus de Miranda, *in Manuali prelatorum, tom. 1. quæst. 32. artic. 2. cōclus. 2. & Antonius* Fernādez *de Moure in examine theologiæ moralis. par. 4. cap. 16. §4.* & citat D. Thomam 22. *quest. 19. artic. 1. & Nauarr. lib. 5. consil. tit. de Apostatis cons. 1.* Difficultas tamen est, an sit licitum alicui Religioso confugere ad prælatum Superiorem absq; licentia prelati inferioris propter eius austeritatem, vel ob aliam causam? pro vna parte videtur pars negatiua vera quoniam ille eximit se ab obediētia sui prælati. Pro alia vero videtur licita talis fuga quia ille Religiosus habet ius recurrendi ad Superiorem quando male tractatur à suo inferiori pręlato ergo,

Circa materiam huius dubij multi viri docti & timorati nostræ dominicanæ familiæ putant, neutiquam esse peccatum mortale ex genere. Idem sentit Emmanuel Rodriguez, *tom. 1. qq. regul. quest 30. art. 3.* Dicit enim, quod si non apparet magna mentis euagatio, sed fugit ad superiorem prælatū propter minoris austeritatem, non peccat mortaliter, neque pęna fugitiui est puniēdus. Præsertim quia non est petenda licentia ab eo, ad cuius grauamen tollendum pergitur ad superiorem. iuxta glossam, *in cap. cum Pastoris. 2. quæst. 7.* Et cōfirmari potest opinio hęc. Quia dictus

tus Religiosus non eximitse ab obedientia quam so-lemniter vouit vadit enim ad suum prelatum.

Opposita sententia videtur probabilior. quod vi-delicet est peccatum mortale ex genere: quanuis in indiuiduo posit esse veniale. Ita cẽset Magister Ba-ñez *2.2.quæst.12.artic.1.dub.1.* & probatur, Religiosi qui sic confugiunt ad Superiorem prelatum, cõmuniter pu-niuntur ab illo grauibus penis, si vero tantũ esset ve niale peccatũ non puniretur ita seuere, ergo est mor tale ex genere. Antecedens constat ex consuetudine & insuper in capitulo generali Vallisoleti celebrato anno 1605. Titulo cõfirmationes, mãdatur. quod fugi-tiui in nulla prouincia recipiantur nisi in carceribus. qui postquam taxatas penas luerint, ad suas prouin cias seu conuentus remittantur. Quod quidem man datur sub pena suspensionis ab officio tam Patribus prouincialibus, quam prioribus seu presidẽtibus con uẽtuum, seu domorum. Hoc ipsum ordinatũ fuit in ca pitulo generali Rome celebrato. Anno 1601. ergo. Pre terea in Concilio Tridentino. *Sessione 25. cap. 4.* Haben-tur hæc verba: non liceat Regularibus à suis conuen tibus recedere etiam prætextu accedẽdi ad suos su-periores, nisi ab eisdem missi, vel vocati fuerint, qui vero sine predicto mandato in scriptis obtẽto reper tus fuerit, ab ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Hinc coligitur argumentum. Tam rigorosa pæna non imponeretur a Cõcilio, nisi propter peccatum mortale. Ergo ita confugere est

pec

peccatum mortale.

Ijs accedit rigor Capituli generalis bononię cele bratoˀanno 1564. Sic ſtatuentis. Nec à noſtris conuentibus quicunq; abſq; præſidentis licentia recedere liceat, etiam prętextu adeundi ſuperiorem, niſi ab eo fuerit evocatus: quod ſi contrarium fecerit, tãto tem pore pœnæ grauioris culpæ ſubiaceat, quanto extra conuentum abſque licẽtia fuerit commoratus ergo.

Deinde probatur concluſio. Nam ex natura rei ſequitur ex tali receſſu ad Superiorem magna perturbatio in Religionibus, & graue ſcandalum inter Religioſos. ergo eſt peccatum mortale ex genere.

At, quanuis ſupradicta vera ſunt, & ille receſſus ſecundum ſe & ex ſuo genere ſit peccatum mortale, in indiuiduo tamẽ poteſt eſſe veniale. Vt ſi ſubditus perſona grauis fugit ad Superiorem ex eo quod pręlati inferiores nimius ſęuiũt in ipſum, tyranice procedentes, non dicitur fugitiuus, nec peccat mortaliter Huic doctrinę Fauet Baldus. *in cap. ad noſtrã, de appella* Ait enim, quod Abbate nimis ſęuiẽte in monachos, eis licet fugere de monaſterio. & hęc eadẽ refferuntur à Nauarro *lib. 2. conſiliorum, titu. de appellat. conſil. 4. nu. 4.* Et in hoc caſu currit ſententia & ratio Emmanuelis Rodriguez ſupracitati.

Ad argumentum in oppoſitum reſpondetur. Quod talis Religioſus non habet ius recurrẽdi ad Superiorem, id enim iure aliquis poteſt, quod licite poteſt. In illo autẽ caſu tum propter ſcandalum, tum etiam

propter perturbationē Religionis non est licitum ad Superiorem recurrere.

Sed quid si Religiosus occultat habitum suum dolose & malo animo ad discurrendum, vel vagādum, est ne excommunicatus? Panormitanus *in capitu. Deus qui, de vita & honestate clericorum.* Sequitur partem negatiuam. Ducitur hac ratione. nulla fertur in iure excommunicatio aduersus occultātes habitum, sed aduersus dimittentes temere tātum, ergo occultans habitum non est excommunicatus. Confirmat hoc argumentum, quoniam pœnæ sunt restringendæ non ampliandæ. Ergo excommunicatio quæ fertur contra dimittentes habitum, non compræhēdit occultātes.

Oppositum tamē est veriùs, videlicet quod talis occultans habitum est excommunicatus per capit. *vt periculosa ne Clerici vel monachi in 6.* Quam sententiam sequitur Glossa in Clementina *de vita & honestate clericorum, capitu. 2.* Et est communis sententia Canonistarum, quam etiam tenet Magister Bañez *loco supra citato, dubio secundo.* Et probatur ratione. Si talis religiosus occultans habitum non esset excommunicatus, frustraretur finis & intentio illius canonis, ergo est excommunicatus. Antecedens patet. Quoniam hęc habitus occultatio materia est sufficiens ad vagandum occultata persona, ergo. Secundo probatur optima ratione. Occultatio habitus in hoc casu est dimissio habitus formaliter loquendo, ergo incurritur excommunicatio. Antecedens probatur. For-

male

male habitus est, quod sit distinguẽs religionem; sed occultans habitum non distinguitur an sit huius vel illius religionis, ergo occultans habitum est formaliter dimittens illum. Conclusio hæc intelligẽda est, dum modo non posit cognosci à circunstantibus religiosus ille; cuius religionis sit, aut à prętereuntibus si propiùs accedant.

Ad argumentum Panormitani concedimus non esse latam excõmunicationem nisi aduersus dimittẽtes habitum, at excõmunicatio fertur in eos qui dimittunt habitum formaliter, magis quam cõtra illos qui dimittunt illum materialiter, & incasu dubij Religiosus ille dimittit habitum formaliter, non materialiter. Ad confirmationem respõdetur quod quantumcumq; pæna illa restringatur, comprẹhẽdit occultantes habitum, quoniam dimittunt habitum formaliter. Vide Syluestrum, *verb. excommunicatio nono.* § *24. & Caietanum summa, excommunicatione 61.*

DE PAVPERTATIS VOTO.

RELigionis votum in obedientia consistere, paupertateq; ac castitate manifestum quidem est. Religio namq; in hoc collocatur, quod ſęculum deseras, vt Christum sequens, gradibus charitatis proficias. Huc enim attinet illud Pauli, ad Galat. 6. Mihi

absit gloriam nisi in Cruce Dñi nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Voluit enim eos qui Apostolicum institutũ amplexuri essent sic mũdum post terga relinquere, vt non solum eum prorsus obliuioni tradderẽt, verum vt operam sedulo darẽt. Vt mundus ipsum vicissim obliuisceret: atque adeò vterque alteri sic esset alienus ac si duo essent cadauera. Hęc autem abdicatio mundi nõ aliter fit quam si illa relinquamus quibus nos mundus retinet. At, quę nam sint hæc, pro posse in sequentibus quanta potuero breuitate explanabo. Et mihi hanc materiam aggredienti statim sese obtulit decretum concilij Tridentini *sessione 25. de regularibus, capitu. 1.* decernentis. Quod regulares tam viri quam mulieres, ad regulæ quam professi sunt prę scriptum, vitam instituant & componant. Atque in primis quæ ad suæ professionis perfectionẽ, & obedientię, paupertatis & castitatis, ac si quæ alię sunt alicuius regulę & ordinis peculiaria vota & præcepta ad eorum respectiue essentiam, nec non ad communẽ vitam; victum & vestitũ conseruãda pertinẽtia fideliter obseruẽt. Omnisque cura & diligentia adhibeatur à superioribus tam in capitulis generalibus & prouincialibus, quam in eorũ visitationibus, quæ suis temporibus facere non prętermittãt, vt ab illis non recedatur: cum compertum sit ab eis non posse ea, quę ad substentiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa quę bases sunt & fundamenta to-

tius

tius regulis disciplinę exacte non fuerint conseruata totum corruat ędificium necesse est· Hæc conciliū.

Ad cuius sanctissimi decreti obseruantiam, continue in nostris capitulis generalibus, & prouincialibus hoc ipsum præcipitur & mandatur, & eorum ordinationes & præcepta reformationem hanc clamāt & vociferantur : & nouissime in capitulo generali valentię celebrato anno 1596. & in capitulo generali Romano 1601. Et in capitu. generali Vallisoleti 1605. ita rigorose ac religiose ordinatum est vt infra videbimus .

Sed pro supradicti decreti declaratione. Notandum est, mentem eius non fuisse decernere, & statuere vt status religionum reducantur ad pristinā omnino formam, presertim iure communi vel Papæ authoritate relaxatam, vel mutatam: sed solum ad eam, quę habet, vt tria substantialia vota seruētur, & vt nullus simplex regularis quidquam proprij quo ad dominium, nec quo ad vsum, aliter quam regula & acta capitulorum generalium, & prouincialiū permittunt, vt ex tenore tam capituli primi, quam secundi dicti concilij satis colligitur. Nam primum capitulum solum habet in summa vt religiosi tria substantialia vota obseruent, & alia ad communem vitam, victum & vestitum conseruanda pertinentia. Secundum vero capitulum totum tendit ad hoc, vt nullus simplex sacerdos habeat quidpiam peculiare aliter quam regula permittit, vt ex eodē cōstat.

&

& quantum adhoc prçcipit concilium, vt omnes regulares vitam suam cōponant ad prçscriptum regulæ quam promisserunt. Ita explicat Nauarrus *in capitu. nullam* 18. *quæst.* 2.*num*.2. & addit idē Nauarrus *vbi supra,num*.32.quod verba concilij ibi,scilicet, omnes regulares vitam suam componāt & instituant,significare videntur,prius esse instituendam & componendam à prçlatis vitam,quam teneantur subditi seruare.Et id ipsumvidentur significare illaverba ibi, videlicet omnis cura &diligentia à superioribus adhibeatur.Non enim pertinet instituere ad singulos, sed ad prçlatos,siue ad capitula generalia& prouincialia,iusta determinata *in capitu. cum omnes , de constitutionibus,cum glossa.* Et ita singulares excusantur à peccato donec ipsa institutio fiat àprçlatis. Vnde secundū Nauarrum.Culpa non obseruandi prçdicta à subditis,in prçlatorum ignauiam & negligentiam potest retorqueri.Quare dicti prælati tenentur magnopere suam maximam in hoc obligationem considerare.Tenentur enim suos subditos prouidere devictu & vestitu sūfficienti,& de alijs ad humanam vitam necessarijs secundum qualitatem temporis,& conditionem personarum , ne ex defectu panis quotidiani,& eorum quç sunt prçcisse necessaria, subditi in suam ipsorum condemnationem, contra eorum statum &regulam quam professi sunt ea procurare cogantur:reddeundo ad vomitum,sçcularibus negotijs se implicando,& sçcularium amicitias & cōuersatio

sationem captando, vt hoc modo eorum necessitati bus succurratur. Qua propter in capitulo generali Romę celebrato anno 1612. admonentur prouinciales vt diligenter & exactè incumbant & intendant reformationi prouinciarum quę illis sunt creditę, tam circa vota essentialia quam circa victum & vestitum fratrum: & quę ad itinera eorum necessaria sunt, ne ob defectum eorum quæ necessitas postulat, ijdem proprietarij effici cogantur.

Nec valet prelatorum excusatio dicentium non esse sufficientes eleemosinas aut redditus vt omnibus vt tenẽtur subveniatur. Huic enim tanto religionis malo succurrit sacro Sancta Synodus Tridenti. *sessione 25. de regularibus capit. 3.* Spiritu Sancto inspirata, decernens. In prędictis autem monasterijs & domibus tam virorum quam mulierum bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac imposterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs monasteriorum; vel ex consuetis eleemosinis omnimode possint sustantari. Hęc Concilium. Pro cuius maiori obseruatione, sanctissime in multis nostris capitulis generalibus statutum est, & nouissimè in capitulo generali vallisoleti confirmatũ ne scilicet in conuentus & prioratus erigantur loca quę postea taxatum numerum fratrum, iuxta nostras constitutiones sustentare nequeant. Quare in posterum (ait capitulum) nulla domus in prioratũ erigatur, aut erecta intelligatur

quantumcumque concesſio facta fuerit,niſi per annum integrũ ante, duodecim fratres religioſe aluerit, & ꝓ religioſis neceſsitatibus plene prouiderit.

His ſuppoſitis, vt ad rem in particulari deueniamus notandum prius eſt, quod ad conſtituendum religioſum non ſufficit votum non tenendi,aut acquirendi aliquid iniuſte quod eſt pręceptum contentum implicite in ſeptimo præcepto decalogi, & explicitè in decimo præcepto , vt habetur in ſacra pagina *Exodi capit.* 20. *relata a gloßa in capit. quid in omnibus 32. quæſt.* 7. Sed eſt votum quo quis profitetur nihil habere, neque habere poſſe: ita quod renunciet omnẽ rationem tam iuſtam quærendi & habendi pecuniã & aliam quamcumq; rem,vt probatur *in capi. cui portio 12. quæſt.* 2. *Et capitu. Cum ad monaſterium. de ſtatu monachorum.* & Sanctus Thomas 2.2.*q.*186.*art.*6. Capitulũ enim cũ admonaſterium dicit. Abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis ita eſt annexa ſtatui Monachali,vt contra eam nec etiam ſummusPontifex poſsit licentiam indulgere.

Sed arguis contra hoc. Sitalis renunciatio & abdicatio proprietatis eſt neceſſaria religioſo, hoc eſt quia ſtatus religionis eſt ſtatus perfectionis cui maxime detrahit habere proprium. Sed hoc non obſtat. Ergo. Maior patet,minor probatur. Status Epiſcoporum eſt longe perfectior quam ſit religioſorum & tamen Epiſcopi habẽt ius & proprietatem rerum temporaliũ. Ergo hęc proprietas non derogat ſtatui

Reli

Religioſo. Ad hoc argumentum reſpõdetur, quod habere proprietatẽ & dominiũ rerum tẽporalium non detrahit euangelicæ perfectioni, quam (vltra exemplum de Epiſcopis in argumento poſitum) Chriſtus Dñs in gradu heroico habuit, qui tamẽ verè pauper & pauperrimus fuit per veram & perfectam virtutem paupertatis, vt Sanctus Thomas 2.2.*quæſt.*184.*arti.* 7.*ad primum.* Docet poſſe aliquem eſſe in ſtatu perfectionis conſtitutum, ſine eo quod renũciet rerum proprietatem, dummodo ſit paratus cum opus fuerit eas erogare. Quod quidem vſu venit Epiſcopis. Secundo reſpondetur quod nos Religioſi per rerum proprietatem & dominium multum retardamur à perfectione. & ideo vt vere pauperes efficiamur, ius & proprietatem eijcere debemus: quod quidem ex noſtra imbecilitate prouenit. Quæ tamen poſeſsio conceſſa eſt Epiſcopis eo quod eorum prudentia maior, & virtus ſolidior & cõſtatior eſſe prçſumitur. Et ſic de Chriſto Domino dicendum eſt ipſum à culmine perfectionis nec vel latum vnguem remoueri per hoc quod rerum omnium dominium & proprietatem ſibi aſſumpſit. Cætera quæ circa hanc materiam deſiderãtur dubijs ſequentibus patefient.

Dubium I.

AN Religioſi aliquid proprium habere poſsint? Reſolutio huius dubij patens & clara eſt. Quod ſcili-

scilicet nullus Religiosus habere potest aliquod dominium, vel aliquod ius in pecunia vel re æstimabili nec posessionem eius sibi vel nomine suo. Quod quidem etiam ad Canonicum Regularē extenditur, quia quanuis tales canonici laxiori Regulæ seruiant quo ad aliqua vt dicitur *in capitu. quod Dei timorem, de statu monachorum.* Quo ad hoc tamen pari passu currunt. Dixi sibi, siue nomine suo, quia bene potest alteri, scilicet monasterio acquirere vt inquit Glossa, *capitu. Abbates* 18. *quæst.* 2. Quoniam sicut seruus acquirit domino, sic Religiosus monasterio. Panormitanus, *in capitu. cum ad monasteriū, de statu monachorū, num* 2. Inquit, quod quidquid acquirit frater, & quidquid ei datur, est monasterij. & innocētius in capitulo olim, de priuilegijs, ait quod Religiosus in acquirendo monasterio, æquiparatur seruo. Ita vt iura loquentia de acquisitione seruorum possunt trahi ad acquisitionem religiosorum, & quod contractus per eum factus in suum cōmodum non valet absq; licentia prælati: benè tamen si esset in vtilitatē monasterij, sicut dicitur de minori. At melius comparatur Religiosus filio, quam seruo, vt infra dubio 7 dicemus. Dixi etiā in bonis pecuniarijs. quia in alijs tam internis quam externis potest religiosus ius habere. In internis, Sicut omnes iusti habēt fidem, spem & charitatem &c. In externis, quia potest habere beneficium regulare, vel sæculare Episcopatus, prioratus, Abbatiæ, &c. Quorum dominium & proprietas perindè ad eos pertinet, sicut dominium & proprietas ti-

tulo.

tulorum beneficiorum ad Clericos sęculares. Vnde, co modo possunt agere & agunt nomine suo super proprietate & posessione suorum titulorũ, sicut illi: idq; suo nomine, & non nomine sui prę lati, l. monasterij.

At cum licentia sui prę lati superioris potest Religiosus habere Ecclesiam cum horto & alijs ad eam pertinētibus; etiam ad eius vitam, ea lege vt soluat certos annuos redditus & celebret quasdam missas. &c. Hoc dictum probatur *ex capitulo non dicatis aliquid proprium*. Quod est pars regulæ beati Augustini. vbi dicitur, monachum nihil debere habere, posside re, dare vel accipere sine consensu Superioris. In quo clarè significat à cõtrario sensu, posse accipere de licẽtia prælati. & *in capitu. 2. de statu monachorũ*, permittitur Religioso habere peculium de Superioris licẽtia pro sibi iniũcta administratione. Neq; obstat Conciliũ Tridentinũ *Seßione 25. de Regularibus, cap. 2* deffiniẽs, non licere Regularibus posside re bona mobilia, vel immobilia etiam nomine conuentus Quia hoc intelligendum est iuxta tradita in capitulo *non dicatis*, supra citato, & cõmuniter à doctoribus explicata, scilicet dummodo licẽtia superioris prælati interueniat, quod etiã satis innuunt verba dicti concilij ibi, videlicet *Sed statim ea Superioribus tradantur, conuentuiq; incorporentur* Quæ verba demonstrant, tantum prohiberi in prędicto decreto Regularibus, bona aliqua tãquam propria possidere sine licẽtia Superioris. Circa supradictum capitulũ *non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia* nota (nedeci-

piaris, (sicut vidi multos ignorāter decipi) quod quando dicit, omnia bona monasteria esse omnibus communia: non est intelligendū ita vt singuli sint domini aliquottarum partium, qualiter est fundus cōmunis pluribus hęredibus æqualiter institutis, vel emptoribus ęqualiter prętium conferentibus. nam si ita essent domini, proprietarij essent consequenter iudicandi. Sed sunt communia, vt singulis quod opus fuerit applicet abeo qui habet authoritatē illa administrādi.

Deniq; nota in hoc dubio id quod infra dicit constitutio nostra, *distinct. prima, capitu. 14. verbo sine proprio viuere* Quod propriū dicitur. quidquid celatur pręlato, vel tenetur contra voluntatem pręlati, si non est paratus ponere inmanibus eius. Aut aliquid abscōdit ne à prę lato videatur, vel accipiatur. Talis est proprietarius & peccat mortaliter. hęc ibi. & in Cōcilio Tridētino, *Sessione 25. de Regularibus, capitulo secundo,* decernitur Quod biennio sit priuatus Regularis voce actiua & passiua, ac puniatur iuxta suæ Regulæ, & ordinis constitutiones si quid quam tenere deprehensus, vel conuictus fuerit.

Pro huius nostrę cōstitutionis declaratione aduertēdum est, quod retinere aliquid notabile cum animo illud occultandi prælato, cuiuscumq; generis illud sit aperte est peccatū mortale. Ita turrecremata, & Nauarrus, *in capitu. non dicatis, articu. 5.* Est tamen aduertendū quod duplici de causa potest Religiosus, seu cōtingit religiosū rem aliquam suo occultare pręlato, primo ne illa

ne illa expolietur. Secundo ne reprꝛhendatur ex eo quod absq; eius cõsensu rem illam suscepit. Qui rem occultat quia merito existimat sibi eam auferẽdam esse à prelato. Talis peccat cõtra votum paupertatis & vt proprietarius peccat mortaliter. Si vero ea intentio occultet, non quia existimet se illa expoliandum fore, sed solum reprꝛhendendũ quia inscio prelato eam posſidet, talis non est ad peccatum mortale condemnandus si in præparatione animi est paratus eam prælato postulanti traddere, & minime retinere si intelligeret eum non ipsi concessurum. Ex quo potest colligi & constitui certa Regula pro visitationibus & scrutinijs cellarum, nam procul dubio si quando prelatus cellam visitat Religiosi, ad inquirẽdum & perscrutandũ quid in cellis singuli habeant. Si aliquis fratrum occultet v.g. aliquas profanas vestes, picturas, imagines, gemmas, libros, quæ omnia iuxta ipsius Religiosi conditionem & dignitatem prelatus ægrè & molestè laturus est vt habeat: & ab illo sublaturus creditur, non dubium est, quim talis occultans peccet mortaliter, nisi materia sit parua, & modica.

Dubium 2.

AN integrũ sit & licitum Religiosis habere redditus vitalitios quos ipsis parẽtes vel consanguinei pro eorum necesſitatibus consignarunt?

Pro

Pro parte negatiua extat Cōcilium Tridentinum *Seßione 25. de regularibus cap. 2.* Decernens. Nemini igitur Regulariū tam virorum, quam mulierū liceat bona immobilia vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouismodo ab eis acquisita. Tāquam propria aut etiam nomine conuentus posſidere, vel tenere: Sed ſtatim ea ſuperiori tradātur, conuentuiq; incorporētur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari cōcedere etiam ad vſum fructum vel vſum, adminiſtrationē, aut cōmendam. Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, ſeu conuentuum ad ſolos officiciales eorumdem, adnutū Superiorum amobiles, pertineat, mobiliū vero vſum ita Superiores permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis quam profeſsi ſunt, conueniat, nihilquè ſuperflui in ea ſit, nihilq; etiam quod ſit neceſſarium denegetur.

Quęſtio hęc ſatis prolixè diſputatur à Corduba, *in ſumma quæſt. 54. & a* Petro *Nauarra, tractatu de reſtitutione. lib. 3. capitu. 1. num. 166.* Et quanuis aſſerant multos viros graues reperiri, qui huiuſmodi conſuetudinem dereddi tibus vitalitijs habēdis, damnēt. Vt eſt Gerſon, *Alphab 23: & Gerardus piryn. in tractatu de diſpēſatione rerum Eccleſ. con cluſione* 21. & habetur in libro *monumenta ordinis Minorū, tractatu 3. fol.* 162. & alij doctores non nullis iuribus moti, pręcipue, *Capitulo Ioannes frater, de* Regularibus *& tranſeunt & capitu.* Monachi, *& capitu. cum ad* Monaſterium, *de ſtatu monachorum, & ſupradicta diſpoſitione* Concil. Tridētini. Tamen contra-

trariam sentētiam sectari aiunt syluestrū *verbo Abbas* & innocentium *in capitulo insinuante, ne clerici vel monachi*, loquentem in specie de dictis redditibus Nauarrum *de redditibus Ecclesiasticis, quæst. 1. fol. 6. 13. & 24. nn. 84.* & alios doctores quos refert dictus Petrus Nauarra ibi. & hāc etiam sequitur ipsemet Corduba *in dicta quæst. 54.* cum quibusdam limitationibus, prima, vt prędictum ius, vel alia quævis res illi Religioso cōcessa, sit reuocabilis per voluntatem superioris. Secunda, quod non habeat apud se, sed in manu publici officialis per superiorem assignati; Sic que saluandam esse consuetudinem censet, non obstanti dispositione dicti Concilij Tridentini.

Sed mihi cum prędicto Petro Nauarra dicendum videtur, quod si ipsi Regulares redditus illos velent prose tenere specialiter, ac latēter, prælatoquè ignorante, tunc essent proprietarij, & hoc acriter supradicta iura de testantur. vel si illos redditus seu quodcumq; aliud possiderent irreuocabiliter, etiam sciente & prouidente pręlato: facerent quidem cōtra paupertatis votum. Essent enim habere proprietatem, & liberum rerum dominium. & in hoc sensu loquuntur iura supra allegata, & pręcipuè. *cap. cum ad monasterium.* Sed si prędicta bona & pecuniæ non sint sub potestate ipsius Religiosi, sed publici officialis ad id per superiorem assignati, vt sunt depositarij, vel procuratores monasteriorum, vel alij de more prouincię, & conuentus pro hoc constituti, licitum est talia bona ad-

mittere. Ita sanè docuit Syluester Nauarrus, & Corduba etiam post Concilium Tridentinum cuius dicti ratio est, quia cum sint inpotestate publici officialis in superiorum potestate esse dicuntur: & non aliter dispenset eas nisi adnutũ superioris. Adeo vt si quando conuentus egeat in communi, ex illis pecunijs ac bonis; prouideantur necessaria conuentus. Quod quidem non rarò prælati tentare debent, vt discant subditi non proprietatẽ sed vsum, & hunc adnutum prælati habere. & hoc est consonum Concilij Tridentini dispositioni.

Quod si Prelatus (ait dictus Petrus Nauarra) inparticulari certam pecuniam vel aliam rem concederet temporaliter suo subdito ad certum vsum pium, licitum & necessarium (non vage illi reliquendo dispositionem) posset certè concedere. Neque id dicetur esse contra Conciliũ, neque administratio dici posset & hoc etiam consonat multis nostris capitulis generalibus infra adducendis.

De Monialibus videtur idem & eodem modo dicendum, nimirùm licitos esse eis paruos redditus vitalitios, nõ obstãti supra adducto decreto Cõcilij Tridentini decernentis, quod non liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum administrationem aut cõmendam Quippe ipsis monialibus priuatis non cõmittitur (vt audio) vsus fructus, vel administratio, neque eis pecunia datur ad determinatos vsus. Sed administra-

tio

tio & possessio est, penes quandam Religiosam quæ depositaria vocatur à Superiore designata. Quod quidem potiùs est iuxta Cōcilij dispositionem. Ait enim statim. A*dministratio autem bonorum monasteriorum seu conuentuum ad solos officiales eorumdē adnutum superiorum amobiles, pertineat.* Nec refert, quod Concilium loquatur de bonis monasteriorū, nam hęc bona, monasterij sunt quo ad proprietatem & vsum fructum, & ei incorporata (iuxta sacros Canones, & docet Corduba, *de casibus. quæstione* 54. *fol.* 147. quanuis sint designata ad certas necessitates, & pias causas particularium monalium, sicut alia bona eiusdem monasterij esse solent ad necessitates communes.

At si prędicti redditus, immò quodcumque aliud temporale bonum irreuocabiliter possideantē, etiam si voluntate superioris illos redditus Moniales obtineant, frangunt quidē paupertatis votum: & illicitè Superior concedit, & inferior retinet. Ita sanè docent doctores vtriusq; iuris. & ratio est, quia hoc est habere proprietatem, & liberum rerum dominium: quod paupertatis voto liberè à se abdicarunt, maioris perfectionis causa. Quod, ex dictis *in capitu. Cum ad monasterium, de statu monachorum.* Comprobatur Itaque aduertendum valdè est, quod in hoc decreto Concilij non solum negatur regularibus proprietas & dominium, vt aliqui explicare conantur; id enim ex voto paupertatis (etiam Summo Pontifice dispensante) est prohibitum: Sed prohibet Concilium vsum fructum, admi

nistrationem & cõmendam quæ alias ex Papæ concessione vel prælatorum licita erat. Volens autẽ Concilium in hoc reformare prędictas licentias, ac libertates quæ non paucorum malorũ semina sunt, id circo prædictam edidit constitutionem. Quæ sanè necessaria maximè fuit ad debitam ędificationẽ quam Religiosi tenentur sęcularibus dare, & iuri valdè consetaneã. Si vero alia de causa potest prælatus huiusmodi bona concedere, ea certè dumtaxat esse potest ac debet, ad pios vsus & honestos siue suarum necessitatum, tam victus quam vestitus in quarum subsidiũ illi redditus permissi ac constituti esse vidẽtur. quæ certè vel extremę solẽt esse, vel graues siue vt aliqua suæ Religioni indigna euitent his redditibus & bonis manibus (vg.) laborãdo, cibariaquè vendendo vt sibi succurrãt. Et quandoq; grauia peccata, dum contra sacram honestatem & pudicitiam à diuitibus necessaria extorquent vijs non bonis. Ad quæ mala vitanda possumus in eis rigorem iuris relaxare: eo vel maximè cum non prouideantur à suis prelatis in victu & vestitu (vt decet) in suis Religiosis ac veris necessitatibus. pro vt in simili casu defendit Nauarrus, *in cap. nullam 18. quæst. 2. a num. 25. vsque ad num. 36.* Dixi (Religiosis ac veris necessitatibus) non enim valent dictos redditus habere etiam cum licẽtia prelatorum ad necessitates fictas. & ad munera deuotis (vt aiunt) conferenda. Ita censet Emmanuel Rodrig. *tomo 2. quæstione 47. Articulo 15.*

DVBI-

Dubium 3.

AN Religiosus admittere posit aliquod Legatū à Parētibus seu consanguineis ei consignatum hac conditione vt nihil acquiratur monasterio?

In hoc dubio supponendū est; quod quamuis à principio nostri ordinis perordinationē & statutum Capituli generalissimi cautum fuerit, ne propriū quid immobile possideremus. postea tamē per contrariū statutum alterius capituli generalissimi illa prima constitutio reuocata fuit. Vnde hodie capaces sumus bonorum immobilium, & incōmuni pro vt sunt alij mendicantes & circa hoc habemus amplum priuilegium nobis à Sixto quarto cōcessum, qui etiam maledictionem nostri Patriarchę Dominici à nobis abstulit. Vt habetr infra *distinctione secunda cap. 1. & 10.* & merito quidem, quia cum Religio nostra specialiter instituta sit pro animarum salute, ad quod tāto studio & literarum exercitio opus sit; Si Religiosi ad subueniēdum tot necessitatibus extra monasterium passim egredi cogerentur, certe ab illo tam salubri & necessario exercitio nimis retardarētur. Vnde possumus habere annuos redditus (isti enim inter bona immobilia computantur) & alia huiusmodi ex testamento capere. At totum hoc vt monasterio acquiratur.

Secundo notandum est, fratres prędicatores Sicut & alios mendicātes, exceptis minoribus, posse cape-

re ex testamẽto etiam bona immobilia:non vt ea retineant neque in proprio neque in communi, sed vt vendant,& eorum pretia in suas necessitates conuertant.Ita Glossa,*in cap.primo de Religiosis domibus,lib.6.* non enim dicuntur accipere immobilia ex quo statim illas vendere,& pretium in suas necessitates conuertere intendunt.

Hoc supposito ad dubium respõdet Bartolus *in authentica excipitur,cap.de bonis quæ liberis*.Quæsitum in dubio implicare & cõtinere impossibile,cum Religiosus nihil habeat, sed totum (vt dictum est) sit monasterij, quod idem probatur *in authent. ingreßi,cap. de sacro sancta Ecclesia.* & ratio est in promptu.quia quod aliquid sit monachi & non quæratur monasterio,est contra conditionem,quæ vitiat contractum,& probatur *in leg. vbi repugnantia ff.de Regulis iuris* Existimat tamen illa verba sic debere intelligi,videlicet,relinquo monacho,sub hac cõditione ne quęratur monasterio.Hoc est.quod monasterium patiatur eum habere administrationẽ legati eo modo quo potest.Consentiente scilicet prælato.Sicut seruus dicitur habere propriũ permittente domino, iuxta legẽ, *is qui suis ff ad trebel.*Et sic nihil acquiritur monasterio quo ad vtilitatem;quanuis procul dubio acquirat ius.Quod dictum Bartoli limitat Panormitanus,*in capitu.monachi de statu monachorũ* Scilicet quando talis administratio refertur ad casum licitũ putà vt in pios vsus cõuertat qui Religiosis sint liciti iuxta,*cap.2.de testamentis,lib.6*.vel vt conuertat ad vsum

vesti-

vestimentorum, vel librorum & huiusmodi: non autẽ vt ad libitum administret tanquam propria, quamuis licentia Papę interueniat, iuxta capitu, *cum ad monasterium, de statu monachorum.* Et si indicto legato dicat̃ expresse, quod nihil iuris quęratur monasterio: inquit Bartolus vbi supra, quod debet intelligi hoc modo, videlicet nihil iuris afferentis vtilitatẽ, at si prelatus non vult consentire vt habeat administrationẽ, tunc relictum seu legatum non valebit ex defectu conditionis & sic manebit apud legantẽ. Ita Panormitanus *in dicto capitulo monachi, num.* 8. & in simili determinat lex vnica *de Caducis tollendis.* & addit Panormitanus quod valebit legatum consentiente prelato. Dum tamẽ solum concedatur vsus illius rei ad aliquod pium, non vero vt prolibito possit Religiosus ille vti re illa ad quoscũque vsus, & donare cui voluerit, quicumq; enim vsus & quæcumq; alienatio permissa religioso per suum prelatum, intelligenda quidem est, dummodo non sit ad aliquid illicitum: immo vero neq; illud posset prælatus licite concedere. Ex quo planè colligitur, quod si quid Religiosus ob causam turpem donaret, recipiẽs teneretur ad restitutionẽ monasterio cuius erat dominium illius rei. vt ait Syluester, *verbo Religio sexto quæst.* 7. *Nauarrus lib.* 3. *consilior. titu. de Regularibus, consilio* 75. *num.* 49. *&* *Molina* 22. *tractatu* 2. *disputat.* 140. *col.* 761.

Sed quid iuris si Religioso relinquatur legatũ, hac ad hibita cautela, videlicet quod prælatus in tali legato nullo modo se intromittat? Respondetur quod

parens

parens, aut conſanguineus qui Religioſo velit vſum fructũ relinquere, & prouidere ne in eo a prꝑlato moleſtetur, ſi relinquat ſub hac pęna: quod ſi prꝑlatus iniuriã aliquam inferat religioſo, priuetur relicto, talis pænæ adiectio non valet. quippe turpe valde eſt arctare prꝑlatum nè poſsit ſuo ſubdito imperare. Ita prꝑdictus bartolus, & imola *in leg. lucius, § hęredes, ff ad trebelia* Sed cautela poteſt eſſe, quod non ſub pęna, ſed temporaliter relinquatur: quãdiu ſcilicet prꝑlatus non mouerit quęſtionem ita baldus *in leg. 1. capitu. de ijs quæ pænæ nomine.* Alia remedia & cautelæ ponũtur à iuris peritis quę quanuis iuridicè dicãtur, Religioſi tamẽ qui propter Chriſtum ſuas proprias abnegarunt voluntates non debent his cautelis adiuuari, vt velint, nolint ſui prælati, ſimilibus bonis ipſis relictis liberè gaudeant & fruantur: ſed vt veri religioſi non debẽt acceptare talia legata hoc modo relicta, niſi cõditio in ipſis appoſita omnino tollatur, ita vt apud eorũ prælatos libera maneat adminiſtratio.

Alia vero data, relicta ſeu donata integrum eſt Religioſis recipere cum licentia tacita vel expræſſa ſuorum prælatorum, non quo ad proprietatẽ vt notum eſt cum iſta apud conuentum maneat; ſed quo ad vſum. & quotidie talis licentia tacitè religioſis conceditur quando ad prꝑdicãdum ad aliquod oppidum mittuntur. qui poſt quam adueniunt certam eleemoſinã tribuunt cõuentui, & quod ſupereſt, pro ſuis neceſsitatibus ſubleuãdis, ipſis à prꝑlatis relinquitur. Hæc enim

poſ-

possunt retinere sciẽtibus & non contradicẽtibus prę latis qui in hoc casu censentur tacitè ipsis licentiã indulgere. Ita panormitanus, *in capitulo cum ad monasterium.* Præ oculis tamen habeatur ordinatio capituli. generalis vallisoleti, anno 1605. Vbi mandatur, quod pecuniæ, & alia quauis ratione fratribus nr̃i ordnis maximè prædicatoribus & confessarijs elargita, quam primum prelatis suis realiter & verè consignentur, & tradãtur subpęna propretarijs debita. Ex quibus (ait capitulum) poterit prelatus (si iustum iudicauerit) aliquam partem prædicatori vel cõfessario iuxta eius indigentiam dare.

Dubium 4.

AN Religiosus nostri ordinis votum paupertatis frangat recipiẽdo aliquid; vestes videlicet seu aliquod munus, etiam si recipiat animo illud manifestandi? Ratio dubitandi est, quia in Regula beati Augustini habetur, *quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè literas vel quod libet munus acceperit, parcatur illi & oretur pro eo; Si hoc vltro confitetur.* Ergo malum agit, & contra Regulam & votum talis Religiosus recipiens aliquid ab aliquo. Ad hoc dubium respõdetur, quod nullum est peccatum in casu dubij aliquid ab aliquo recipere; cum Regula nostra non obliget nos ad culpam. Immo addo quod non agitur contra Regulam

nostram, quæ infra *distinctione secunda cap. 13. in principio*, declaratur & mitigatur. Ait enim ibi nostra constitutio quod si euntes ad prædicationis officiũ vel alias itinerantes aliquid acceperint, teneantur prælato suo cum redierint liberè præsentare. Ergo iam supponit lex & cõstitutio nostra quod possunt religiosi aliquid recipere. Et si errarent Religiosi recipiẽtes, adderet constitutio pænam. Et ibidem dicitur, quod fratres non recipiant à mulieribus munuscula, maximè confessores; ergo ab alijs non videtur prohiberi. *& dist. prima. cap.* 14. *num* 5. Mãdatur, quod quicumq; frater pecuniam vel alia quæcumq; receperit, reddat singulis annis superioribus suis rationem. Ergo.

Ad rationẽ dubitandi ex Regula, respõdetur. quod loquitur ibi quando literas, vel aliquid aliud accepit eo animo vt non statim prelato manifestet. Quod videtur insinuare illud, *occulte acceperit.* & verba quæ sequuntur, videlicet, *si hoc vltro confitetur.* Videntur intelligi, quando interrogatus super illo statim & voluntarie manifestat. Nam immediatè sequitur. *Si autem deprehenditur & conuincitur, Grauius emmendetur.* Quod quidem opponitur illi, scilicet, *si hoc vltro confitetur.*

Si Religiosus accipiat sex vel septem aureos cum animo illos manifestandi prelato, nec illos abeo absondit, non peccat. At si scienter & per multum tempus illos sic habeat, peccat mortaliter. Hoc probatur ex capitulis generalibus dubio sequenti citandis. Et illorum motiua ratio est. Quia statim atque illos aureos

reos Religiosus accepit, facti sunt bona conuentus, ac per consequens retinet rem grauem alienam inuito domino. Confirmatur, quia si sæcularis sic acciperet & retineret, peccaret quidem mortaliter, ergo & Religiosus, patet consequentia, quia currit eadem ratio, & maior in Religioso.

Si Religiosus in his indiarum terris absq; prelati licentia accipiat amphoram vini, & absque licentia illam bibat, vel cōferat alicui, peccat mortaliter, quia res est aliena, scilicet conuentus quam Religiosus inuito domino cōsumit. Dixi absq; licētia prelati, quod intellige expressa vel præsumpta, nam si iter agenti illud daretur inuia, & quodcumq; aliud, tunc præsumitur voluntas & licētia prelati. Electuaria vero recipere, & comedere absque prelati licētia, sub distinctione in hac re loqui debemus. Nam si sunt valoris duorum ponderum & recipit comeditq; Religiosus senex, & magne authoritatis: credo non peccare mortaliter. ducor, quia videtur ex voluntate præsumpta prelati hoc facere, solent enim prelati huiusmodi Religiosis hoc permittere. quippe iuxta nostram Regulam, non equaliter omnes valemus. At, dare predicta electuaria foris, cēseo nec interuenire predictam præsumptam prelati licentiā, neque evadere peccatum mortale propter rationem dictam. Expendunt enim rem grauem alienam inuito domino & secularis qui talia recipit tenetur conuentui restituere.

Si Prælatus prohiberet ne fratres habeāt electuaria,

ria, vel vinum in sua cella absque sua, vel alterius licentia, peccaret quidèm Religiosus, mortaliter si contrarium faceret in re notabili etiam si pręcepto non prohiberet prælatus. Ratio est, quia vsus rei alienæ in notabili quantitate sine voluntate domini, est peccatū mortale stando in iure naturali. Si vero res esset parua non esset peccatum mortale illam in cella tenere etiam prohibente prælato. Talis enim prohibitionis transgressio non inducit peccatum de se per constitutionem quæ non obligat nos ad culpam, & materia ex se est leuis cuius ablatio & vsus non inducit peccatum mortale. De quo latius infra, *dubio 6. circa finem, & dub. 7.*

Non peccat Religiosus si rem etiam mediocris valoris suscipit ab extraneis, aut tradit alteri fratri, aut cōmutat cum alio siue domestico, siue extraneo, cum per huiusmodi actiones non pręiudicetur monasteriū in aliquo, & compertum habeat si à pręlato facultatē postulasset ad eas actiones, minimè sibi denegandam Quod vt rectè procedat triplici limitatione debet moderari. Prima est, quod Subditus promptum & expositū habeat animum non occultandi, sed potius resignandi in manus prælati talia bona accepta, retenta, permutata &c quoties pręlatus exegerit, aut quoties scrutinium cellarum fecerit. Secunda. Quod per prælatum aut cōstitutiones talis Religionis non sit in virtute obedientię, aut censura interdicta talis acceptio retentio, aut permutatio. Tertia, quod competum habeat

beat Subditus prælatum conſentire ſaltem interpræ tatiue in eas res, ita vt ſi ab ipſo peteretur licentia, eam expręſſe daret, quanuis modus clādeſtinè faci endi ſibi diſplicet. Ita cenſet poſt alios Emmanuel Rodrig. *tomo 3. qq. reg. quæſt. 29. art. 10.* Et huic cōſonat doc trina Magiſtri Cano aſſerētis, quod ſi Religioſus con fert librum alteri religioſo eiuſdem monaſterij, non peccat mortaliter. cuius ratio eſt, quia non abdicat neque ſpoliat domum aut prælatū ſuum à diſpoſitio ne rei; ſemper enim manet ſub prælati & monaſterij poteſtate.

Vltimo aduertendum eſt, quod ſi res retentæ con tra voluntatem prælati tales ſint, quæ ad particula rium Religioſorum vſum neceſſariæ ſunt, vt cibaria, medicinæ, veſtes. &c. & ſua neceſsitate propoſsita ad huc pręlatus nolet concedere; poſſunt Religioſi abſq; peccato, & reſtitutione eas accipere. Huius dicti ratio eſt, quia prælatus debet & tenetur dare. Ad hoc enim ſunt illa bona conſtituta, vt nimirum neceſſaria ſub ditis miniſtrētur. & cum pręlatus non ſit dominus eo rum bonorū, ſed miniſtrator & fidelis ſeruus & pru dens ſuper familiam Dñi ab ipſo conſtitutus, inique agit non diſpenſando fideliter & prudenter. In extre ma nemq; neceſsitate vel graui poteſt ſubditus abſq; violatione voti paupertatis, ſibi neceſſaria accipere. Neque hoc eſt actum dominij aut proprietatis exer cere (cum non ſolū ex iuſtitia, ſed ex charitate Re ligioniſq; inſtitutis debita res ſit.) Sed vſum rerum

 neceſ

necessariarum habere. Ita Petrus a Nauarra, *tomo secundo, lib. 3. de restitutione, num.* 181.

Dubium 5.

AN Religiosus nostri prædicatorum ordinis teneatur pecuniam sibi datam, seu vndequaq; acceptã, in cõmuni deposito tenere? Respondetur quod in capitulo generali vallisoleti celebrato, anno 1605. mandatur, quod pecuniæ & alia quauis ratione fratribus elargita, prælatis cito consignentur sub pæna proprietarijs debita. Sic capitulum. Quod est nouum ius renouans antiquum nostrę constitutionis, *distinct prima capitu.* 14. *num.* 5. Consignata autẽ tali pecunia prælatis, vsus pręualuit in nostro ordine quod ponantur indeposito sub custodia religiosi depositarij a pręlato designati. At, quomodo, & pro quo tẽpore & ad quos vsus, audi Capitulum generale valentiæ celebratum anno 1596. Vbi confirmatur quod induobus capitulis generalibus ordinatum fuit. Confirmamus (inquit) id quod pro voto paupertatis vti decet seruando, & vitio proprietatis penitus eradicando sancte statutum fuit, potissimùm, quod deposita non nisi inmoderata quantitate ad determinatum atquè breue tẽpus vel vsum concedantur. Et quia pręfatam ordinationem minus diligenter à non nullis obseruari, quam par sit intelleximus; Alios vero subprætextu determinati vsus

vſus,ſuam legisobſeruantiam palliare,quaſi licitum
ſit illis, longo tempore ſub tali prętextu in depoſito
pecunias habere,quas & pro occurentibus vſibus in
differenter poſtmodum expendunt. Declaramus in-
tentionem noſtram eſſe, quod vbi prçlatus deter-
minauerit,præſentatis ſibi àſubditis pecunijs,proquo
vſu determinato ſpecialitèr in depoſito aſſeruari de-
beant,non licere ſubdito in alios vſus eaſdē pecunias
expendere, nec prælato facultatem ad id idem tri-
buere: quem virtute pręſentis ſtatuti tali poteſtate
priuamus. Quare vitium proprietatis incurret ſub-
ditus huic ſtatuto contraueniens, & vitium vſurpa-
tę authoritatis prælatus,in cuius pœnā aboffício ab-
ſolui debebit. Sciant perinde qui pecunias vndequa
que habuerint, teneri infra terminum vigenti qua-
tuor horarum eaſdem pręlato ſuo pręſentare, & de
eius licentia in communi depoſito ponere,ita enim
pręcipimus in virtute Sp̄us Sācti & ſanctæ obedientię
& ſub formali pręceptoà qua lege nec pręſidētes loco-
rum aut conuentum eximuntur. Declarantes quod
hoſpites pariter eidem ſubdūtur legi,ita vt vltra ſex
dies in aliquo morabuntur conuētu,teneantur quam
libet pecuniarum ſummam in cōmuni eiuſdem con
uentus depoſito reponere,nec ſine licentia pręlati il
lius conuētus inquo cōmorantur pro quibus libet ne-
gotijs,aut occurrētibus neceſsitatibus expendere po
terunt.In eodē enim ſtatu illos circa hoc reponimus
inquo & fratres in illo conuentu aſsignati reperiun-
tur.

tur. Hoc ipsum fuit confirmatum incapitulo generali Romæ celebrato anno 1601. & in capitulo generali vallisoleti 1605. & in capitulo generali Parisijs anno 1611. confirmatur ordinatio capituli generalis Romę 1608. de pecunijs vndequaque acceptis pręlato infra spatium viginti quatuor horarũ præsentandis, & illa quę regulas pręscribit administrandi depositi. Vnde iam transijt in cõstitutionem. Ex qua colliges, quod quanuis habere aliquid proprium in particulari repugnat religioni, vt supradiximus, at habere aliquid in cõmuni non minuit perfectionem Religionis. Sic habetur 12. *quæst. 1. capit. illi autem.*

Circa dispositionem supradicti Capituli generalis Valentiæ celebrati, est notandum, Religiosam illam doctrinam esse iuri canonico consonam, scilicet non posse prælatum facultatem concedere subdito vt in quosuis vsus pecunias seu aliqua quæcumq; bona posit expẽdere. Ita Nauarrus *in capitu. non dicatis, nu. 53.* Qui sequitur Cardinalem dicentem, non solum peccare pręlatum talem licentiã concedendo, sed etiam subditum illa vtendo. Hanc sentẽtiam tenet Syluester *verbo Religio sexto, quęst. 7. § 7.* & addit Nauarrus vbi supra, *num. 55. corol. 12.* etiam pręlatum & capitulum simul non posse facultatem concedere Religioso vt expendat pecunias in ludos, luxus & similia. Et quãuis prę latus talem concedat licentiã, non ideo subditus excusatur à peccato mortali si in notabili quantitate prędicta vtatur licentia.

Sed

Sed circa præfatum Capitulum generale valẽtinum tres vrgẽt breues difficultates. Prima difficultas est an illa ordinatio seu constitutio de reponendis pecunijs in deposito liget priores conuentuales? Partem negatiuam introduxit consuetudo vidẽtibus & consentientibus prȩlatis superioribus. Secũdò quia supra dicta constitutio inquit, à qua lege nec prȩsidẽtes locorum, aut conuentuum eximuntur. Nomine autem prȩsidentis non venit Prior, maxime cum sit lex pȩnalis, & in pȩnalibus non debemus recedere à verbis legis. Ergo.

Sed ab hac angustia nos liberat constitutio nostra *distinctione prima cap. 14. fol. 41. prope finem.* Vbi dicitur, Priores etiam & quicumq; vicarij ad prædictam ordinationem seruandã de pecunijs sibi datis similiter obligentur: quam ordinationẽ priores prouinciales circa priores & vicarios diligenter faciant obseruari. & eademmet ordinatio habetur de verbo ad verbum in capitulo generali apud Mediolanum 1278. Sed sic est quod statutũ capituli generalis valentini est non derogans, sed adiuuans cõstitutionem nostrã antiquam, illamq; renouans, ergo comprȩhendit etiam Priores

Ad illud de consuetudine contraria respondetur, quod Regula & cõstitutiones fratrum prȩdicatorum abrogari non possunt per consuetudinẽ contrariam, quippe hoc in eorum professione cauetur, dum profitentur seruare tria vota secundum Regulã beati Augustini, & constitutiones fratrum prȩdicatorũ, & non

ſecundum quod hodie, hic vel alibi ſeruantur, ſed vt iacent.

Secunda difficultas eſt, an ad idem teneantur Priores prouinciales? Quia cum ſuis prouincijs præſideāt nomine præſidentis videntur comprehendi. Secundo quia voto paupertatis ſimiliter aſtringuntur pro cuius diligenti obſeruatione tale ſtatutum editum eſt. ergo. Reſpondetur primo, quod conſtitutio ſupradicta ex capitulo generali valentiæ, tantum ligat præſidentes locorum, aut conuentuum, & cum ſit conſtitutio pænalis verba eius non ſunt extrahēda extra proprium ſignificatum, vt extendātur ad præſidētes prouinciarum. vt notatur in Regula, *in pænis, de Regulis iuris in 6.* Regula 49. Secundo dico, quod quanuis conſtitutio illa eſſet vniuerſalior & non ita determinata, adhuc prouinciales minime comprehenderet. moueor quia in generali conſtitutione non comprehenduntur perſonæ habentes ſuper eminētem qualitatem, niſi ſpecialiter nominentur, vt ſunt prouinciales qui authoritatem habēt quaſi Epiſcopalem. doctrina eſt Ioannis Andreę, *capitu. primo de Schiſmaticis, lib. 6.* & per hęc patet reſponſio ad primam rationem dubitandi. Ad ſecundam reſpondetur, quod tantum probat teneri prouincialem rationem dare diffinitoribus de datis & acceptis, Sicut eis mandatur *diſtinctione prima, cap. 14. num. 5. lit. 1.* Quod ipſum nouiſsimè in capitulo generali Pariſijs celebrato anno 1611. titulo cōfirmationes, eis mandatur. nimirum, quod expleto officio rationem red-

reddant capitulo prouinciali receptorum,& expensorum,seu expositorum,residuumque(siquid supererit) reponatur in communi deposito prouinciæ.

Tertia difficultas est,An de ijs particularium Religiosorum pecunijs in communi deposito repositis, possit prælatus disponere,& illas inuitis subditis expendere? Respondetur affirmatiue.etiam si pecuniæ illæ relictæ fuissent ex testamẽto pro Religiosi necessitatibus.ratio est,quia vt iam sępe dictũ manet, cum primum aliquid datur,vel legatur religioso,ipso facto conuentus illud acquirit,& ei incorporatur.cõtra quod ius nihil vllus testator disponere potest,ac per consequẽs prælatus potest ad libitum subdito inuito, de tali legato in vtilitatem ipsius conuẽtus disponere.Neque per hoc obligatur ad aliquid dandum ipsi religioso Subdito,solum enim tenetur ipsi in suis necessitatibus subuenire sicut alijs subditis, iuxta decretum Concilij Tridẽtini,*Sessione 25. de regularibus ca.2.* Itaque ratione dicti legati,neq; Subdito aliquid nouius acquiritur,neque prælato erga ipsum subditum noua aliqua obligatio incumbit.

Dubium.6.

AN Religiosi possint aliquid extraneis donare? Pro parte negatiua extat cõstitutio quam edidit Sãctissimus Clemens Papa Octauus anno Domini

 millesi-

millesſimo quingentesſimo nonagesſimo nono,per quam prohibuit regularibus vtriusque sexus largitionem munerum,Ergo.

Pro huius dubij decisſione notādum est,quod dupliciter potest fieri donatio.Primo modo simpliciter & absolute quæ secundum Diuum Thomam, *in secūdo sentent.distinctione* 18. *articu.* 2.est datio liberalis siue irreddibilis.hoc est,recompensationem non intendens. vel est reilicitæ nullo iure cogēte,mera liberalitate facta,collatio.vt tradunt doctores.*in leg.donari,ff.de donātibus* Secundo modo dicitur, donatio remuneratoria. quæ non est liberalis concesſio, sed merces laboris.

Hac distinctione supposita dico. quod donare primo modo,donatione scilicet absoluta & simpliciter absq; spe alicuius vtilitatis,quę directe vel indirecte conuentui eueniat,non possunt Religiosi,neq; prelati ad hoc valent cōcedere facultatem quippe qui non possunt dare quod non habēt.Prelati enim neq; Capitulum prouinciale non possunt dare aliqua quæ directe vel indirecte non vergant in vtilitatem monasterij,iuxta notata iniure Canonico,& ciuili,*ca.quod autem de iure patronatus.leg.si vniuerso & regula iuris,in* 6. Vbi habetur, quod illud potest quispiam facere per aliū, quod potest per se ipsum,& non amplius.In vtilitatē vero monasterij possunt prędictam facere donationem: iusta ea quæ resoluuntur a Nauarro *incapitulo non dicatis,nu.*25 dicente. Quod licet concedere facultatem Religioso dandi aliqua suis cognatis pauperibus,vel

socijs

socijs amicis vel famulis de se bene meritis, cuius Religiosi intuitu aliqua notabilia ab initio ingressus, vel postea euenerunt monasterio per successionem artē vel industriam eius, vel aliqua munera quę gessit, vt dominicani Sancti Stephani Salmanticæ solent, Magistris eiusdem ordinis cathedras magnorum redditum ibi regētibus permittere, vt ex illis pauperibus cognatis subveniant, & alijs remunerētur. Hæc Nauarrus. Ex qua permissione & facultate his magistris facta, lux Ecclesiæ, salus animarum, Religioni decus & ornamentum, & monasterijs vtilitas maxima prouenit, id circo per quam licita permissio & facultas est. Hac enim gratia & fauore ipsi Religiosi anhelantes studijs incumbūt, vigilijs instant, & laboribus impręssionū maximis accidentibus minime succūbunt.

Neque his obstat constitutio Clementis Papæ octaui supradicta, ea enim cōstitutio non prohibet donationes remuneratorias, nec alienationes factas in vtilitatē Religionis, sed prohibet tātum donationes gratiosas, aut ambitionis causa factas per quas patrimonium Ecclesię dissipatr, vt ex eius litera satis constat. Per dictas autem donationes remuneratorias in casu dicto & similibus patrimonium Ecclesiæ augetur, vt ex dictis patet, & vtilitas conuentui maxima accrescit, & ratio naturalis dictat vt benefacientibus remuneratio tribuatur pro vt, docet Angelicus Doctor, *in 22. quæst. 106. articu. 5.* Vnde dicendum censeo prę latos Regulares posse ipsas donationes facere, & li-

centias concedere, sicut ante prędictam constitutionē faciebant. Non enim credendum est Summum Pontificem voluisse tollere remunerationem quæ de iure naturali est, & in sacris literis maximè cōmendatur Ita que Religiosi & Religiosę possunt vtiq; per viam remunerationis aliqua etiam extraordinē donare, dummodo hoc fiat prelati licētia obtenta. & vltra rationem supradictam, nimirum quod per huiusmodi donationes patrimoniū Ecclesię non deperditur sed augetur, addo quod (experientia demonstrante) sæculares videntes Religiosorū remunerationes, multa ad eorū necessitates subeūdas impendunt quibus ipsi maxime egēt. Nam propter maximam monasteriorum paupertatem, prelati suis succurrere necessitatibus vt velēt, minime possunt. Dixi dummodo fiat prelati licentia obtenta, quia quæcumq; alienatio à Religioso facta absq; sui prælati licentia, est illicita & non obligat in consciētia. Quando enim lex resistit alicui actui, tunc nec naturalis, nec ciuilis obligatio oritur. *leg. cum lex ff. de fide iussor.* Vnde cum lex canonica tali alienationi & donationi à Religioso factæ, resistat, res alienata subiecta manet restitutioni, & Religiosus peccat contra votum paupertatis, & cōtra iustitiam, cum rem expēdat alienam inuito domino. & aduertāt subditi non esse integrum illis supradictas remunerationes facere illis, qui prelaturas & officia in ordine ipsis procurauerunt, vel procurare possunt, nam si propter hunc finem principaliter fiunt, simoniam

niam committunt.

Donare in extremis & causa mortis non potest religiosus etiam si habeat beneficiũ regulare vel sęculare. Donatio enim causa mortis, testamentum & per vltimam voluntatẽ sapit, & non est mera donatio inter viuos quæ intuitu paupertatis, pietatis, & religionis potest vt dictũ est, à religioso fieri. Potest tamen religiosus protestãdo se non facere testamentũ neq; vllatenus disponere, rogare simpliciter suum pręlatum vel conuentũ vt pro sua libera voluntate, illud, aut illud pietatis opus, illi aut illi faciat; cũ hoc nõ sit disponere, neq; distribuere, sed tantum adpiè dispo nendum. verbo pie rogare & exhortare, quodcuilibet religioso etiã ordinis minoris licet, nam misericordia est virtus etiam pauperibus communis. Donatio vero quę testamentum sapiat, absit a Religioso. Quod adeò verum est, vt prelatus inferior Papa non potest facere religioso facultatem testandi etiam si ad pias causas disponat. Hoc enim iure cõmuni, religioso pręlato est prohibitum, vt patet *ex capitu. secundo de testamentis.* Quare ait Nauarrus *in capitu. non dicatis, num.* 22. Quod in vtilis est licẽtia quam solent aliqui pręlati Regulares. vel capitula regularia habentia bona diuissa à pręlato concedere canonicis, vel religiosis particularibus ægrotis relinquendi peculia, vel supellectilia sua, vel aliquam partem illorũ pauperibus, vel famulis Immo Ioannes Trullus *libro 1. de ordin. canonicorum regularium cap.* 22. sentit. Canonicum regularẽ peccare, qui

morte

morte instante conficit memoriale aliquod volunta tis suæ de his quę post mortem suam fieri de illis desiderat, quod dictũ (ait Nauarrus vbi supra) videtur restringendum ad regularem qui tale facit ea mēte, vt memoriale illud habeat vim obligatorię dispositionis. Arbitratur enim non esse illicitum eum consolari dicendo, vt sit bona spe quod fient de illis illa pia, que post mortem suam fieri de illis desiderat, & quod verbo & scripto petat quod cupit. Nec videtur prohibitũ id significare post, vel ante illam spem datam nulla promissione ampliori sequuta, tum quia neque prelatus neque capitulum faciunt illi facultatem disponendi obligatorie, neque ipse facit dispositionem vere obligatoriã, nec quam putet esse talem, sed solum prçcatoriã quam si voluerint possunt iustè implere qui sibi fecerunt, qualem facere, ne que Regula, neque vlla iura prohibent. & ideo neq; nos debemus dicere esse prohibitum. *Argumentum ex capitu consulti, secunda quæstion 4. capitulo secundo, de transl at. prçlatorũ.* Tum etiam, quia id quod facerent, non acciperet vires ex illius petitione, nec exspcidatione sed ex liberalitate tãtum ipsorum, quicum possent disponere de illis in suos, vel alios pios vsus, disponunt in petitos ab eo. Quod nullo iure est prohibitum.

Dubium 7. difficile.

QVÆ nam sit sufficiēs quantitas rei, vt eius acquisi-

quisitio vel retentio absquè prælati licentia sit pecca tum mortale?

Pro huius dubij decisione aliqua supponēda sunt. Primum Religiosos à prelato non esse habēdos vt ser uos, sed vt filios. Ita Nauarrus, *in capitu. non dicatis, num. 30 & 43. Illephonsus Mēdoça quodlibeto de paupertate, quæst. 8. Magister Soto, lib. 5. de iustitia & iure, quæst. 3. & ferè omnes doctores.* Ratio est manifesta, quia Prælatus est pater tam in spiritualibus quàm temporalibus, & cōmuniter talis dicitur. Secūdo quia seruus non habet ius in bona do mini, sicut habet religiosus in bona conuentus. Et in modo acquirendi cōparatur religiosus filio familias Quia sicut pater potest acceptare hereditatē aut le- gatum filio delatam, etiam inuito aut ignorante filio ita prelatus respectu religiosi se habet. Nō vero sic do minus respectu serui, cum hereditatis seruo delatę, eo inuito non acquiratur dominium. *ex leg. 3. cap. de heredi. tate instituenda.* Deinde, vt bene notat Mendoza) Valde durum ac irrationabile esset quod prelatus velet ha bere Religiosum vt vile quoddam mancipium, neq; talem religiosus vouit seruitutem.

Secundo supponendū est, paupertatis votum non obligare ad non recipiendū simpliciter. Sed ad non re cipiendum absq; licētia prelati. quia illa stante potest religiosus quidquid voluerit recipere, retinere, do- nare & expēdere, nisi facultas hæc ab altiori prælato limitetur. Hæc doctrina est ferè omnium doctorum, & ratio est manifesta. nam votum paupertatis non op-

 pon

ponitur vsui depend ẽti, sed proprietati, hoc est, domi nio & vsui independenti & libero. Sed qui ex licentia prælati recipit, vel donat, dependenter & non libere id facit, ergo non violat votũ paupertatis. Hęc tamen licentia non est necesse quod sit expræssa, sed sufficit quod si interprætatiua, & probabiliter presumpta. Ita Sanctus Thomas 2.2. *quæst.* 32. *articu.* 8. *ad primum.* Nauarrus *in cap. non dicatis, num.* 20. Turrecremata *capitu. nõ dicatis, articu.* 8. *Ludouicus* Lopez *prima par. instructorij ca.* 156. & ratio est, quia talis equiualet licentię expræssæ. & quod ita fit. non fit inuito superiore. Quod probatur *ex lege cum quid. ff. de rebus credendis, & ex capitu.* 2. *de rescriptis & ex Glossa l. ex præssa ff. de republica,* vbi dicitur eadẽ est virtus taciti & expręssi. Et confirmatur à simili, de filio surripienti aliquid occulte à patre quem scit daturum esse, sed modus displicet ei. In qua doctrina omnes theologi conueniũt. Caietanus 2.2. *quæst.* 66. *articu.* 5. *& in summa verbo furtum.* Nauarrus *capitu.* 17. *num.* 29.

Verum tamen cum multipliciter accipi possit licentia interprætatiua. Quæstio hic posset oriri, quomodo in pręsenti accipienda sit. Inquo omissa opinione Gersonis, optime distinxit Caietanus, *in summa verb. furtum, &* Nauaraus *vbi supra num.* 20. Dupliciter posse esse inuitum dominum alicuius rei à quo res surripitur, vel quantum ad ipsam rem, vel quãtum admodum, quia scilicet sibi displicet quod taliter accipiat. quod potest esse contra obedientiã, temperantiam, vel aliã virtutem; ita tamen vt non fiat contra paupertatem.

Per

Per quam doctrinam (ait Caietanus) multæ acceptiones domesticę filiorum & monachorum possunt à mortali excusari, dum præ verecūdia aut alio respectu accipiunt rem aliquam inconsultis, & inuitis maioribus, non quo ad rem acceptam sed quo admodū accipiendi. Id quod benè explicat Nauarrus, *cap. 17. nu. 138. & Nauarra lib. 3. de restitutione, cap. 4. num. 39. & 40. ex Corduba quęst. 66. & Adriano de restitutione.* Qui dicunt illud inuoluntarium non sufficere ad mortale. Et non placet limitatio quam adhibet Nauarra, scilicet tunc non placere factum secundum substantiam, quando prælatus suam explicasset voluntatē quod displicet illi talis modus clandestinæ acceptionis. Nam hoc non potest esse vniuersaliter verum, quia id potuit prę latus prohibere ad auferendum abusum in modo accipiendi res, non quod acceptio secundum substantiam ei displicet.

Addit autem magister Ludouicus Lopez quod licentia interpraetatiua dupliciter significatur. Primo quando scimus prælatum daturū licentiam si petatur sed simul cum hoc, eum non latet pręlatum id absq; licentia fieri nole. Et qui sic acciperet notabilē quantitatem, peccaret contra votū paupertatis, sicut & peccaret contra votum obedientię, qui sciret se impetraturum licentiā ad egrediēdum foras si peteret illam, & sine illa egreditur foras. Et ratio est, quia tunc inuoluntaria est acceptio rei, sicut exitus absq; licētia. Hoc autem intellige, quādo id quod sic accipitur ex

cedit quantitatem ad quam tenetur prælatus dare licentiam, vt supra.

Secũdo modo sumitur licẽtia interprætatiua, quando aliquibus signis nouimus fore illius voluntatem, & gauisfurum. & si hoc certè scimus, possumus expendere quod sic accipimus. Ex qua licentia (ait) potest Religiosus dare librum quinque argentorum, vel ducatorum alteri Religioso. Quod etiam tenet Emmanuel Rodrigez. *in summa cap. 90.* Similiter potest cõmunicare libros cum alijs sęcularibus. Hoc enim non est in damnum, sed in augmentum conuentus, vel saltem damnum parvum. Qui etiam addit posse Religiosum peregrinantem expendere in consanguineos & pauperes vsque ad decem aureos. Sic etiã ex præsumpta licentia accipiũt religiosi munuscula quædam, vt par gallinarum dum sunt in conuentu, in peregrinatione vero quidquid eis detur. Dixi supra, si certo scimus quia si dubium sit de dicta interprętatiua licentia: id non licet facere, iuxta communem illam regulam. *in dubijs tutior pars est eligenda.* Hæc enim licentia non tam est permissiua, quam approbatiua facti, quia factum secundũ substantiam saltèm non displicet pręlato, vt ex signis & indicijs colligi potest, vt docet Nauarra *lib. 3. cap. 1. num. 68.* Quia videlicet scit, & tacet, aut quia similia illi dare solet, aut ex cõsuetudine talis domus & ex occasione: ex quibus omnibus colligi potest probabiliter iudicium de voluntate superioris.

Ex hoc ergo principio, quod scilicet sufficiat volũ-

tas

tas & licentia tacita prelati ad aliquid accipiendum (& idem est de alijs actibus proprietatis)colligendũ est pro diuersitate circunstantiarum,& materiarum an placeat aut displiceat prælato religiosum aliquid accipere,vel retinere in vna materia & non in alia: & respectu vnius & non respectu alterius. à monaste rio,vel ab extraneo:&vno modo &non alio.& ex sta tu filiorum quem habent Religiosi, venanda est hæc facultas & licentia interpretatiua.Votum enim pau pertatis emittitur vt decet talẽ statum,& iuxta con suetudinem vsus,& interpretationem voti pauperta tis in quauis religione.Sic enim vouent, qualiter vidẽt obseruari à religiosis qui digne hoc nomine gaudent.Quod maxime pendendum est ad colligendum licentiam interprætatiuam non solum quam daret si subditus peteret;sed etiam quam tenetur dare etiam si nolet.Nam si esset inuitus in ijs inquibus tenetur licẽtiam dare, esset irrationabiliter inuitus atq; adeo nihil tunc esset curandũ de voluntate prælati,vt aduertit Mendoza insuo quodlibeto. Vide Nauarram *lib 3.capitulo primo,num.39.* vbi loquitur de furto filiorum,de quibus eadem est ratio ac de religiosis.& est cõmunis sententia doctorũ inmateria de eleemosyna,cum afferunt,maritum esse irrationabiliter inuitum cum prohibet vxori dare eleemosynam inmoderata quantitate: atque adeo devolũtate mariti non esset vxuri curandum in eo casu:ergo à simili in nostro. Sicut igitur irrationabilis esset voluntas mariti qui velet

vxorem aut filios ita stricte viuere, vt aliquādo non gaudeant, aliqua cum amicis aut cognatis ludendo, aut comedendo insumere, considerato statu & qualitate eorum, & aliis circunstātijs, ita similiter prelatus est irrationabiliter inuitus, si nihil horum vellet subditis concedere in quātitate moderata. Nam si in moderata esset quantitas, procul dubio esset rationabiliter inuitus: essetque peccatum mortale absq; eius consensu illud expēdere, & vsurpare. maxime tamen ad vsum attendendum est, & ad alia quæ diximus, vt bene de his iudicare possimus.

Et non placet quod ait Mēdoza vbi supra limitās hanc doctrinam, videlicet quod si Prelatus id negaret cum intimatione excōmunicationis, contra faciētes peccarent contra paupertatem. Quia certū est quod si ante excommunicationem non erat contra paupertatem, nec postea erit. Sed peccabunt cōtra obedientiam, vel aliam virtutem; quæ forte in re parua non poterit ad mortale peccatum obligare.

Tertio Notandum est cum aliquibus sapiētissimis recentioribus, nimirum posse esse peccatum mortale cōtra votum paupertatis si sæpius fiant surreptiones paruæ, & inseruentur vsque ad notabilem quantitatem. Quorum ratio est, quia est proprietas de presenti circa magnam quantitatem. Si tamen non conseruentur sed consumantur, quoties in parua materia surripiuntur non sit peccatum mortale cōtra votum paupertatis, quia non est neque vmquam fuit quantitas

mag

magnæ quantitatis.

Pro quo sciendum est non fieri grauem materiam contra votum paupertatis quoties fit in furto. Nam grauitas materiæ in furto pensatur ex damno illato, &ex re accepta.vnde si res accepta est parua si tamẽ damnum fuit graue, vel quia alij simul acceperunt, vel ratione alterius circunstãtię fuit peccatum mortale.& etiam ratione eiusdem damni continuabilis fit grauis materia furti, etiã si nunquam habeamus simul materiam ex se grauem, quia damnum perseuerat.simile etiam est quãdo vltima pars surripitur Materia vero cõtra votum paupertatis non sumitur ex damno alteri illato sed ex re sibi appropriata, & vt ex paruis materijs fiat vna grauis requirit quod omnes simul possideantur. Aliter non faciunt vnam appropriationem grauem, quia non est in quo omnes simul posideantur, licet alias inferant notabile nocumentum.

Hę autem surreptiones paruæ dupliciter possunt fieri, aut non intendẽdo surripere alia quãdo res illa parua surripitur,&tunc certum est non esse mortale contra paupertatem , aut intendendo sępius iterare vsque ad notabilem quãtitate illas surreptiones paruas.&tunc esset difficultas, inqua dicendum est posse esse peccatum contra iustitiam, aut aliam virtutem; non vero contra paupertatẽ vt dicemus. Ducor quia voluntas circa materiã venialem sæpius repetitam non est peccatũ mortale, nisi quãdo materia est continua

tinuabilis. Secus quando talis non est, & est appro. priatio rerum consumptibiliũ. Sic nim qui vouit recitare quotidie vnum pater noster in honorem cuiuslibet diei, non peccat mortaliter si per plures dies non recitet.

His positis principijs, ex illis probabili ratiocinatione deducendum est, quæ nam quãtitas sit sufficiẽs ad mortale contra votum paupertatis. & sermo erit prius de bonis monasterij.

Prima conclusio. Magna quãtitas erit illa quę respectu filiorum illius status & conditionis, id est consumentium in suo victu & vestitu, & modo viuẽdi & habẽdi reputaretur talis, illa vero parua quæ respectu illius talis iudicaretur à prudẽtibus. vnde si insumeret Religiosus quotannis octuaginta ducata, non aliter de eo iudicandum est quoadhoc, quàm de scholastico qui dum est in studijs totidem consumit. Hoc colligitur ex dictis, & id tenent, aut tenere debent omnes qui ęquiparant Religiosos filijs familias, & furtum Religiosorum furto filiorũ. Et insimili docet syluester, *verb. eleemosyna § 7. Nauarrus in cap. non dicatis. num. 22* Dum scilicet sunt in peregrinatione. & ratio est, quia durum videtur & intolerabile aliter sentire. Præsertim cum non aliter voueant paupertatem nisi vt decet statum illum honestum & iuxta illius conditionem, non minus quam si secluso voto haberent illam conditionem. votum enim solum facit vt assumant & profiteantur illam conditionem. Vnde non est dam

nanda

nanda peccati mortalis vsurpatio duorum ducatorũ Quis enim respectu filij vel Scholastici consumentis octuaginta ducata diceret, esse duo scuta notabilem quantitatẽ? nullus certè Sanè si in officio missę quarta pars missæ non censetur notabilis quãtitas respectu totius missę, quomodo erunt duo scuta respectu totius octuaginta? Nam hoc cõsiderandum est non sicut respectu extranei, sed filij & in hoc prę sumitur rationabilis voluntas superioris. Quod si nolet, quasi irrationabiliter inuitus dimittendus est. & addo, quod si in rebus sibi dandis à conuentu consumeret, faciendo scilicet vestes & cõmutando, non videtur grauis materia, sicut neque in filio. quia illa censetur rationabilis voluntas & licentia pręlati. quicumq; enim parentum iure prę sumitur pro conditione sua & statu, indulgere filio minutiores sumptus, vt docet magister Soto, *lib. 5. de iustitia & iure, quæst. 3. articulo primo.*

Vt tamẽ in quãtitate assignata non videamur multum laxare habenas, vide quid dicit Nauarrus pro scholastico *cap. 20. nu. 12.* iustum videt̃ (inquit) id quod Sotus, *lib. 4. de iustitia. quæst. 5. articu. 2.* insinuat, filium etiã sub patris potestate constitutum, qui de ipsius licentia in scholis studet, aut incuria versat̃. Licitè posse quatuor aut quinque decentum quæ ei dantur, ludo impendere. cui addo (ait Nauarrus) idem dicendum de Religioso qui studet. modo id recreationis causa faciat; quia pater & prælatus tacitam facultatẽ eius rei facere videntur. Et Molina *de iustitia & iure disputa*

tione 520. ait. quemadmodum qui à patre inScholis aut alibi, iuxta propriā domum sustentatur, potest ex his quæ pater in sustentationē illi tribuit consumere ad rationē quatuor procentū aut quinque in sui oblectationem. Ita Religiosus qui à monasterio sustētatur in studio aut alio loco. Posset tantumdem insumere in sua honesta recreatione vt in ludo, (intellige tamē de ludo non prohibito vel indicēti religioso, id enim non esset oblectatio honesta respectu religiosi.) & idē dicendū est dum manet inmonasterio, quia vtrobiq; idem est votum & voluntas presumpta rationabilis. & si extra monasterium non dissonat eius statui. ita & intra. Solum erit differētia, quod cum in monasterio non habet administrationem vllam, & posit petere licētiam, debet hoc facere; non vero extra. Tum quia habet administrationem, tum etiam quia potest facilime licentiam petere, & obtinere.

Sed videtur hoc nihil valere seu obstare, quia potest esse administratio limitata neq; ex vi illius præcisè licet illud facere. Ergo si tunc licet, maximè est ratione status & quia veluti sub illa conditione emittitur votum, & interprætatur voluntas rationabilis prælati, atque adeo non esset contra votum paupertatis. Quod existimo verum & absque scrupulo, dum tamen non sepe fieret quia, iam fieret in detrimentū religionis & paupertatis. Et hoc est loquēdo de bonis monasterij mobilibus, etiā si cum extraneis consumat. Si vero de bonis aut rebus consumptibilibus

& ad

&ad proprium vſum,vel aliorum Religioſorum per tinentibus multo maior quantitas requiritur.

Secunda Concluſio. Multo maior quantitas requiritur ad efficiendum peccatum mortale cōtra votum paupertatis in bonis ab extraneo receptis. Hęc concluſio probatur à ſimili,quia nulli patri diſpliceret quod filius ab extraneo acciperet quatuor ſcuta & ea adlibitum expēderet inre quam ab ipſo debebat accipere.

Sed cōtra obijcies, illa bona ab extraneo accepta quæruntur monaſterio,ergo eodem modo de illis ac de alijs monaſterij bonis iudicandum eſt. Reſpondetur negando conſequētiam,nam pro diuerſitate materię &perſonarum abſque dubio variatur rationabilis &pręſumpta volūtas. In hoc enim caſu conſumptio non affert tantum damnum,quātum alias poſſet quando ſcilicet revera iam reipſa ſunt bona conuentus. Dixi tantum damnum quia quanuis realiter & vere etiam patitur monaſteriū aliquod damnum in illa ſurreptione ſeu conſumptione,vt bene probat obiectio eſt tamē leuiſsimum. Quippe non niſi hac ratione & via,illa bona monaſterio aduenirent, & quidem ſi religioſis hoc non liceret,nec ab extraneis acciperent nec peterent,neque extranei darent. Vnde potius cadit in bonum quam indetrimentum conuentus. Quæ omnia iuxta dicta in dubijs præcedentibus intelligenda ſunt.

Tertia concluſio,multo maior quātitas requiritur

inrebus comestibilibus ab extraneis acceptis.probatur,quia sic fert rationabilis voluntas patris prudentis,& vsus & natura ipsarũ rerum quę non aliter consumantur nec cedant in vtilitatem conuentus:pręsertim si inter Religiosos conuentus fiat illarum rerum consumptio.

Deniquè considerandа est materia &circunstantia vt grauitatẽ illius posimus colligere.Nam si grandis materia v.g.ducẽtorum regalium accipiatur per paruum tempus,non animo appropriandi(sic enim erit peccatum mortale contra paupertatem,nec animo dandi pręlato,nam sic nullum esset peccatũ) sed absolute absque recordatione huius vel illius:& postea nolet reuelare superiori,neque ab eo licentiã petere,sed reddere danti:non peccat contra paupertatem.Tempus autem paruum intelligo vnius diei,vel noctis,Immo victoria quem refert Magister Ludouicus Lopez loco supracitato,vt probabile sentit posse Religiosum retinere pecuniam sibi datam inscio pręlato vsque dum veniat prouincialis aut superior liberalior in danda licentia,dum tamẽ sit paratus non expendere absque licentia prouincialis.Quia vniuersaliter (vt sępe diximus) quotiescumq; accipit quis rem sine intẽtione disponendi de illa inuito superiore,non facit contra votum paupertatis Quin potius si iniuste negaret licentiam ad expendẽdam immediatus pręlatus,&posset pręsumi probabiliter de volũtate alterius prælati altioris quod illam daret ex

circunstantijs supra assignatis: posset etiam tunc illo inuito expendere etiam in magna quantitate. Addo, hęc omnia multo magis habere locum quando prælatus expressè non negauit, quia tunc præsumptio habet locum potiorem, quis enim rationabilia non pręsumit de pręlato?

Sed aduertendum est, doctrinam supradictam ex magistro victoria, & quancumque aliam huic similẽ iam non habere locum, & si aliquando ex circunstantijs locum habeat, cum grano tamen salis est sequenda. Nam in capitulo generali valẽtię celebrato anno 1596. Sub præcepto formali mãdatur id quod alias præceptum est, scilicet quod religiosi qui pecunias vndequaque habuerint, tenẽtur infra terminũ viginti quatuor horarum easdẽ pręlato suo pręsentare, & de eius licentia in communi deposito ponere. & in capitulo generali Vallisoleti 1605. Ordinatur quod pecuniæ & alia, quauis ratione fratribus maximè prædicatoribus & confessoribus elargita, pręlatis citò consignẽtur subpęna proprietarijs debita. Ideoque cautus sis, & per hęc capitula generalia corrigas doctrinam illis oppositam, sunt enim nostrum ius.

Ex supradictis colligo rectè eos assignasse Regulam in hac materia, qui dixerunt quantitatem sufficientẽ ad furtum mortale sufficere etiam ad mortale contra votum paupertatis. Intelligendi namque sunt supposito statu, & consequẽter de furto suppositis conditionibus filij, & illis attentis. Furtum enim religio

sorum ęquiparandum est furto filiorū. Absolute ergo supposito statu, materia sufficiens ad furtum mortale sufficit etiam ad mortale cōtra paupertatem & ideo qui ita censerunt, merito docuerunt in eo conuenire omnes doctores qui non de materia furti absolutè & vt ab extraneo aliquo facti, seclusis alijs circunstantijs locuti sunt, sed modo dicto.

Secundo colligo, posse peccare religiosum peccato furti contra iustitiam furando aliquid, & non contra votum paupertatis. ducor. Quea si ab extraneo acciperet violenter & contra eius voluntatē octo regalia, iuxta probabiliorē sententiam peccaret peccato furti, non tamen contra paupertatem & eius votum. Quia maior quantitas requiritur. Diuersum enim caput est damnum, à proprietate, præsertim quia poterat illa surripere & dare prælato conuentus. In quo casu absque dubio non peccaret contra paupertatē etiam si esset maxima quātitas. è contra vero potest contingere vt quis peccet contra votum, & non cōtra iustitiam. Vt si quis sibi accipiat in maxima quantitate ea quæ alias sibi darētur tanquam debita quia necessaria ad communem vitam, sine licentia, immo inuito pręlato & ex rebus quas pręlatus nolet ei dare.

Tertio colligo. Quid de officialibus dicendū sit. v.g. de dispensatore comestibilium, & similium. Hic enim contra voluntatē expręssam superioris potest. ex voluntate pręsumpta rationabili quam prælatus debet habere, vel ex voluntate rationabili alterius superio-

rio.

rioris altioris,dare quę solēt communiter & morali modo dari à similibus, vt non parci & molesti sint, meliusque suum officium pręstent.vt expręsse continetur in Regula Sancti Benedicti,& Sancti Augustini, maxime si cedat in vtilitatē eius quod sibi commissum est. Durum enim & intolerabile videtur à quocumq; viro prudenti ita ligare manus vt qui habent officium non posśint sine molestia magna,& labore intolerabili exequimunus suum. & ideo quanuis eis denegetur licentia,tamen intelligēdum est hoc fieri adterrorem & ne commitantur excessus,& cura debita ad hibeatur.

Vltimo infertur, licentiam extortam à Religioso pręcibus valde importunis accipiendi,vel retinēdi aliquid,quando revera pręlatus in voluntarie vt importunitatē repellat,consentit,aliter omnino repugnaturus: non excusat à vitio proprietatis. Quia illa non est licētia sed violētia,vt bene dixit Diuus Bernardus *de consideratione ad Eugenium*.Et ita Perez *in additionibus ad seguram, l.1.§.si vir.num.128.ff.de atquirend.possesśionibus.* dixit in simili,licentiamcontrahendi extortam pręcibus importunis ab vxore, non esse legitimam nec visum esse virum consensisse. Et in simili,quādo religiosus dicitse esse paratum ad iussum pręlati relinquere quæ posidet, fundedo tamen quęrelas, & murmurationes,itaut prælatus non audeat contradicere, & tacet vt vitet maius malum,non esse tuta cōscientia:non tantum propter scādalum,sed propter

ter votum paupertatis. Quia talis licentia non est voluntaria, sed permissio coacta ad vitãdum maius malum. Hęc docent Dionysius Carthus. *de professione monastica lib. 1. articu. 11. Corduba in summa, quæst. 154. fol. 139. Nauarra lib. 3. de restitutione capit. 1. in noua editione, par. 3. dubio 1. num. 161.* & in hoc sensu accipienda est doctrina Hugonis quem sequitur ac refert Turrecremata *in capitu. non dicatis, 12. quæst. 1. num. 9.* nempè taciturnitatem pręlati non excusare à vitio proprietatis. Intelligẽda enim est de taciturnitate & con sensu permissiuo Secus quando esset consensus aprobans, sclicet taciturnitas permissiua cum consensu approbatiuo, & ita explicat Nauarrus *in eodem capitu. non dicatis. num. 54. quod est in nouis operibus, commento secundo de regularibus, num. 22. & Mendoza quodlibeto octauo*

Dubium 8.

PRÆLATVS Præcipit sub formali pręcepto ne religiosi expendant duos regales. Dubitatur an religiosus stante hoc præcepto, peccet cõtra paupertatem si dictos duos argumenteos expendant?

Notandum primo, quod ea est uis paruitatis materiæ, vt quodcumque mortale ex genere faciat in veniale transire, si hęc paruitas in eo reperiatur. Quia vbi materię paruitas est, modica offensio reperitur, ac proinde non excedit culpam venialem. Dixi au-

autem

tem quando in eo genere reperitur paruitas mate-materię:sunt enim quædam in quibus minime repe ritur,&ideo hac ratione venialia reddi nequeũt.Hoc autem contingit quoties integra irreuerẽtiæ, & ma-litię ratio inmateria parua reperitur.Huiusmodi sunt illa quęimmediate & directe circa deum versantur: vt odium Dei,contẽptus ipsius,infidelitas:quia quid quid quispiam neget cõtemnat,oderit,infinitam Dei veracitatem negabit,bonitatem Dei contemnet,&in finitũ esse oderit.Idem est inperiurio assertorio,quã-tumcumque enim rei minimę deus adducatur in tes-tem,adducitur vt testis falsus, eique mendatium tri-buitur.Idem cõtingit insimonia (vt bene tradunt Na uarrus *super extrauag.de datis pro iustitia & gratia,notab.*10.*nu.* 20.& *lib.*5.*consilior.in noua editione,titu.de Simonia,consilio* 52.*nu.* 3.*Suarez tomo* 1.*de Religione lib.*4.*cap.*3.*num.*5. In Simonia in quàm qua aliquid spirituale venditur: quantumuis enim modicares spiritualis vendatur,& quantumuis modicum sit pretium est mortale.

Secundo Nota quod secundum morem aliquarum prouinciarum possunt religiosi aliquas paruas pecu-nias absque sui pręlati facultate cõsumere.Vt in mea prouincia bethica possunt duos argenteos expẽdere, & in hac Sãcti Hipolyti quatuor, per declarationem capitulorum prouincialium consuetudine & vsu fir-matam:&merito propter materiæ paruitatem.Quod autem modo vertitur in dubiũ est,an si pręlatus pro-hibeat illas paruas pecunias expendere subpręcepto

 aut

aut censura peccet mortaliter,& votum frāgat paupertatis Religiosus expendens illas?

In hoc dubio sunt duę sententię oppositę,prima est Magistri Mendoza,*in quodlib.quæstione octaua,de paupertate Religiosorum* dicētis,videri sibi non peccare religiosum qui quantitatem duorum argentorum recipit aut expendit & consumit inconsulto prelato, immo etiam palàm contradicente ne eos expendat. Ducitur,quia quantumuis neget licentiam.&palàm dicat ne id fiat adhuc subditus inretàm paruæ quantitatis censetur operari cum licētia rationabiliter præsumpta. Nam quamuis prelatus eam neget,non tamē rationabiliter sed prorsus irrationabiliter.Longe enim irrationabile & durum videt̃ quod prælatus habere vellit religiosum tanquam seruum & vile mācipium cum aliter omnino res se habeat.Certe si maritus nullo modo permitteret immo omnino prohiberet vxori facere eleemosynas etiam paruas,non peccaret illa contrafaciendo in re tamparua,quia cum maritus rationabiliter debeat talem licentiam vxori concedere,si eam negat,irrationabiliter negat, ac pro inde nihil curandum est de eius negatione & nolitione.

Secunda sententia est omnino contraria, quæ ait. Quod prelato licentiam negante ad prædictos duos argenteos consumendos non est credendum id irrationabiliter negare,cum pro prelato sit semper iudicandum,& quod si subditis huiusmodi iudicium committeretur,obedientia simul cum paupertate corrueret

ret quod à religiosorum statu maxime debet esse alienum, qui propter Deum omnia reliquerunt, & voluntatem propriam abnegarũt. Nec argumentũ de vxore respectu mariti vrget contra hoc (inquit hæc opinio) cum vxor paupertatem non vouerit, & quanuis sit sub potestate viri non tamẽ est vt serua. Sed data vt socia cum oportuerit hominem non esse solum, nec in hoc facimus (inquit) Religiosum seruum, sed subditum sanctissimę paupertatis sectatorem & licet in his videatur vim quandam à prȩlatis pati. considerare debet quod alijs multis & iure naturali illi concessis renunciauit. Ita Emmanuel Rodr. *tom. 3. qq. Reg. quæst. 29. articulo decimo.* In hac difficultate inquit fr. Ludouicus de Miranda, *in Manuali Prælat. tom. 1. quæst. 28. arti. 17. concl. 2.* quid sentiam (ait) quid vero dicam prorsus ignoro.

Prima Conclusio. Si præceptum imponatur cõmunitati siue in communi, ne Religiosi expendant prædictos duos argenteos, tale prȩceptũ censeo non obligare, & consequẽter non peccare contra prælati prȩceptum religiosos si illos expendant. Hæc conclusio probatur rationibus prioris sententiæ. Secundo probatur authoritate magistri victoriæ, qui in 2. 2. quæst 186. artic. 9. ait, quod quando materia quæ prȩcipitur est leuis etiã si sit sub formali prȩcepto; tale prȩceptum non obligat ad mortale, esset enim lex iniqua. benè quidem (ait) potest prælatus facere ordinationem de rebus leuibus, non tamen sub præcepto, vel

excommunicatione. & idem dicendũ de Episcopis Hęc Victoriæ. Quę opinio maxime cõsonat statui religiosorum qui (vt dubio pręcedenti diximus) potius est status filiorum quam seruorum. & addo, quod ad peccatum mortale in religione reseruatũ ego certè non condemnarem religiosum retinentem duos argenteos, quos non est paratus dare ad inquisitionẽ prelati. Tum quia multum abundat his temporibus pecunia numerata: tum etiam quia pęna quæ peccato mortali respondet est eterna, quæ pro tam parua quantitate minimè videtur irroganda. Vnde sentẽtia in hoc contraria vt nimis dura reijcitur a viris doctis & grauibus teste Nauarra, *tomo 2. libr. 3. de restitutione cap.* 1. dicente, sequendo magistrum Soto. *lib. 5. de iustitia & iure, quæst. 3. articu. 3.* quatuor Regales non esse peccati mortalis materiam, vel si est, hac minorẽ nullam esse siue à diuite, siue à communi persona auferatur, secus si à paupere. à qua sententia non recedit Aragon. 2. 2. *quæst. 69. articu. vltimo.*

Secunda conclusio, Alicui religioso in particulari bene potest prelatus tale pręceptum imponere, cui tenetur Subditus sub mortali obedire. Hanc conclusionem probat secunda opinio, quod pręceptum si violet subditus peccabit contra obedientiam, non tamen contra paupertatem.

Pro materia huius cõclusionis sit regula. Valdè attendendæ sunt circunstantię ex quibus pręlatus ducitur ad imponendum pręceptum de aliqua materia, adiu-

adiudicium de illa formandum. Quia sępe contingit, vt materia pręcepti sit secundum se leuis, & incapax obligationis submortali: at ex circunstātijs boni com munis adiunctis quas pręlatus intendit, sit grauis & cadat sub obligatione ad mortale. Vt ratione scādali vitandi etiam si illud non esset ex se mortale, aut ratione iacturę boni cōmunis religionis, periculi, etiam non proximi, transgressionis votorū. Ita docent Castro, *lib. primo de lege pęnali, cap. 5. Valentia 1. 2. disputat. 17. quæst. 5. puncto sexto, & Suarez tom. 5. intert. part. disputat. 4. sectione 6. num. 11. & 12. & disputat. 18. sectione 3. num. 16. & 17.* Vnde infero, & censeo non nullos decipi existimātes non obligare aliquando pręceptū pręlati huic vel illi impositum sub mortali, de seruādo silentio hoc aut illo tem pore, aut de illo efficiēdo quod de se non magni momēti appareat. nam fieri potest vt circunstātia aliqua illi materię grauitatem addat, & expediat hunc vel illum Religiosum hic & nunc humiliari, & in ijs leuibus se obedientem ostendere. Quod quidem non leue est. Aliàs enim & sequitur scandalū, iacturaquè boni communis religionis, & denique periclitatur votum obedientię. Quare censeo cum Caietano *in summa verb. præceptū.* Imposibile videri iniure humano ex sola materia discernere pręcepta sub mortali, cum res quæ leuis videtur & talis sit inse cōsiderata, sit magni mo menti attentis circunstantijs quas prelatus spectat, & subditi ignorant. quare inquit Suarez, *dicta disputat. 4. sectione 6. num. 11.* debere satis certo, & indubitāter cons

 tare

tare leuem esse materiam, vt iudicemus pręceptum, quod alias ex verborum tenore ad mortale obligaret, non sic obligare. Et rectè quidem dicit, quia in dubio non est spoliandus prælatus sua posessione, nec quādo non cōstat de iniustitia præcepti. Immo quantumcumq; velit legislator ad mortale obligare si materia sit leuis attentis circunstātijs, non obligabit ad mortale, quia cum eius obligationis sit incapax materia, est voluntas rationi dissona. Ita Castro, Azor, *tomo primo institut. moralium, lib. 5. cap. 6. quæstione quinta.*

Sed contra primam cōclusionem, & doctrinam primi notabilis duo vrgent argumenta. Primum est, furari seu expēdere illos duos argenteos & quācumq; rem paruam inuito pręlato est eiusdem speciei cum furto rei magnæ, solum enim differunt penes magis & minus, ergo si furari & expendere rem magnam est peccatum mortale ex genere suo, similiter expendere rem paruam. Ac per cōsequens res parua erit capax obligationis, sub mortali, prima consequētia probatur. quia peccatum mortale & veniale differunt specie.

Secundo arguit. ille qui multa furta comisit paruissima siue ab vno, siue à multis, in vltimo furto rei minimæ quādo est verū dicere quod furatus est materiam grauem, peccauit mortaliter iuxta communem sententiā, & tamen malitia quam actus ille vltimus habet ex suo proprio obiecto, est malitia venialis cum sit furtum paruissimum vt supponimus, ergo

mate

materia parua est capax obligationis sub mortali.

Ad primum respõdetur, primo quod si in peccato mortali & veniali consideremus rationẽ vnde sumitur quod sit mortale vel veniale, maior est falsa. quoniã ratio vnde dicitur mortale est auersio a deo, quæ in peccato veniali non inuenitur, sed quędam de ordinatio circa ea quę sunt ad deum: quę non priuat diuina gratia. Quemadmodum priuatio causata à morbo mortali, videlicet mors, differt ab ea quæ causatᷓ ex alijs infirmitatibus quæ solum priuant recta humorum dispositione, non vero vita. Vnde ad argumẽtum respondetur informa. Furtum rei paruæ & magnę sunt eiusdem speciei, distinguo. Secundum rationem constitutiuam mortalis & venialis nego maiorẽ in ordine ad obiectum furti, transeat. Et tunc ad minorem est dicendũ quod furtum rei magnæ est mortale ratione auersionis, & non ratione conuersionis ad obiectum furti.

Sed contra hanc solutionem arguitur. talis auersio oritur ex conuersione ad tale obiectum, ergo si conuersio est eiusdem speciei, similiter & auersio. respondetur negando consequentiam. ex vna enim causa vnius speciei potest produci diuersa priuatio specie. Sicut ex vna calefactione nascitur priuatio humiditatis & frigiditatis, & in exẽplo adducto morbus idem secundum speciem in vno subiecto causat mortẽ non vero in alio. vel dicatur quod auersio causatur ex conuersione, non quomodocumq; sed secũdum quandam

pecu-

peculiarem rationem, videlicet quatenus quis conuertitur in tale obiectũ, illud amplectendo tanquam vltimum finem, & propter illum relinquere deum. & hoc inuenitur in furto magno, non vero in paruo.

Secundo respondetur ad principale argumentum quod hęc propositio, furtum est peccatũ mortale secundum suam speciem, habet duplicem sensum, alter est, quod positiue & essentialiter conueniat speciei furti quod sit peccatum mortale, & sic est falsa. Nam tunc euidenter sequitur quod omne furtum quãtumcumque paruum esset peccatũ mortale. Quia quod cõuenit positiue speciei, omni eius indiuiduo debet conuenire. Secundus est, quod intra latitudinem speciei furti est peccatum mortale. Hoc est, nõ est necessarium vt aliam vitij rationem participet vt habeat talem grauitatem, & sic est vera propositio. Ad cuius veritatem sufficit quod aliquod furtum sit mortale, & non est necessarium quod omne in particulari. & per hoc facilis est argumenti solutio distinguendo iuxta hanc distinctionem.

Argumentum secundum tangit difficultatẽ quam dubio pręcedenti tetigimus, nimirum an plures materiæ paruæ ita in vnum coniungantur & coalescant, vt materia grauis fiat, & sic cõstituatur sufficiẽs peccati mortalis materia? in quare breuiter hęc regula constituẽda est. Quoties parua postremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari ita vt pro vna reputetur, nec effectus re-

liƈti

licti continuari moraliter possunt; multiplicatio trãs gressionis præcepti & voti paupertatis in materia parua non constituit materiam grauem & culpã mortalem. Secus quando materiæ paruæ, aut effectus ab eis relicti moraliter cõtinuantur. Ratio est, quia cũ in priori euẽtu omnes illę materiæ diuersę sint, nec in vnam coalescant, nec effectus ab eis producti nequit ex illis grauis materia conflari, sed singulę diuissę manebunt & ita paruę. Et in hoc casu vltimus actus furti parui malitiam tantum venialem habet vt probat argumentum. At cũ in posteriori casu materiæ, vel effectus vniantur, notabilis materia fit. Ita Vazquez post alios 1.2. *quæst.*88. *artic.*4. *disputat.*146. *cap.* 2. *num.* 3. & 4.

Hinc colligitur, ferè semper in materia in iustitię ex multiplicatione paruæ materię magnam consurgere, & suficientem ad mortale, vt in furtis minimis accidit. Quando enim per ea ad notabilem quantitatem furto arreptam peruenitur; vltimum rei paruę furtum est mortale iuxta dicta, ac per cõsequens ijs modicis acceptionibus violatur votum paupertatis. Et ratio horum est, quia materiæ illę paruę cõtinuantur, & in vnam coalescunt, & quo ad se & quod ad effectus inde consurgentes. Quoad se, quia cum peccatum furti non in sola acceptione rei alienę, sed etiam in retentione consistat, qui paulatim furatur, & nõ dum furta reddidit dominis, dicitur furta continuare, ac simul actu peccare omnia simul re-

tinendo vel in specie, Vel in genere, hoc est nō restituens rem si adhuc extet, vel eius prætium. Quo ad effectum vero, quia ex vltimo furto minimo damnū proximi vel conuentus in notabili quantitate cōsurgit, in quo malitia peccati mortalis consistit.

Dubium nonum.

AN religiosus agat contra votum paupertatis, seu contra constitutionem Clementis Octaui, qua prohibuit religiosis ne munera largirentur; si absque licentia prelati, volentem sibi aliquid donare roget, vt donet consanguineo: quibus præcibus ductus, donet ille consanguineo?

Videtur pars affirmatiua vera. Quia eo motu proprio §. id autem, dicitur sic. Prohibemus religiosis missiones munerum non solum per se, verum etiam per alios, tàm directè quam in directe. Sed in nostro casu videtur in directè donare, perinde enim est ac si religiosus acceptaret, & mitteret consanguineo. Quod enim mea causa fit, meum quodam modo fit. *leg. prætor ait. ff. de edendo.* Et consequēter aduersabitur etiam voto paupertatis, cum religiosus disponat absque sui prelati licentia.

Cōfirmatur, quia si hoc nō fit dare in directè, minimè apparet quid per in directā donationē intelligatur.

Secundo arguitur, quia *leg. 2. ff. de calūniat.* Sic dicitur

nec

nec reffert an ipse pecuniam acceperit, an alij iusse rit dari.

Tertio arguitur. Quia iuxta communem doctrinam (vt reffert Thomas Sanchez *tomo 1. de matrimonio, lib. 6. disputatio, 26. num. 11.* donata viro à cõsanguineis vxoris, censentur in dubio donata vxori. Et ita ad ipsã soluto matrimonio pertinent; & hoc non alia ratione nisi quia non contemplatione viri sed ipsius vxoris donata sunt. Cum ergo in hoc casu nõ donaretur consanguineo religiosi nisi ipsius religiosi contemplatione, videtur ipsi religioso donatum, & acquisitum, & per ipsum datum consanguineo; & ita erit contra motum proprium, & contra votum paupertatis.

His tamen non obstantibus, dicendum censeo, nec aduersari proprio motui, nec voto paupertatis quã do religiosus dicit se nole acceptare. Vt si dicat sic. Ea re non indigeo, si tibi placuerit gratum mihi facies si dederis meo consanguineo. Secus quando religiosus exprẽsse vel tacite acceptaret, & peteret da ri consanguineo. Vt si offerenti donum gratias agat, petat què ab eo vt tradat cõsanguineo. Quia in priori casu nulla est acceptatio religiosi, & ita nihil ipse donat, sed tantum intercedit vt alius donet. In posteriori autem, religiosus acceptat, mittitquè per manum donantis, consanguineo. Secũdo probatur, quia motus proprius & votum paupertatis, tantum obligant religiosum ne sibi acquisita alienet absque debita licentia, non vero obligat vt acquirat; sed in

hoc casu nihil sibi acquisitũ alienat, acquirere enim non potest absque acceptatione, & tantum ab est vt acceptet vt potius protestetur contrarium, & hoc non fictè sed vero animo nihil acquirendi, ergo. Tertio probatur, quia similiter est prohibita donatio quando vir volentem sibi donare, rogat, vt det vxori, nisi sit aliquis actus occultatus quo tacite acceptans iubeat vxori traddi. Ergo similiter non erit donatio contra illum motũ propriũ, aut contra paupertatis votum quando religiosus nullomodo acceptare vult, rogans vt donatio fiat consanguineo. Sic Sosa *in libello quo exposuit dictum motum proprium Clementis Octaui, num. 73.* Vbi tamen addit aduersari motui si cõuentus absque iusta causa repudiet legitimam religioso, iã delatam. At hoc tantum est verum quando hereditatem illam acceptarat monasterium, vel illi cederet in alicuius fauorẽ: includitur enim ibi tacita acceptatio, quia ante acceptationem tacitã vel expressam non acquiritur hæreditas illa monasterio, & ita eam repudiare non est alienare, nec donare. quare qui eam repudiat neque agit contra votum paupertatis, neque contra proprium motum. Peccabit tamen contra charitatem si absque iusta causa religiosus priuatus rem sibi donatã nolet acceptare, sed rogaret alij dari, quia impedit bonum monasterij in cuius vtilitatem donatio illa cedit. Sicut pręcibus absque vlla causa impedire bonũ proximi, cui aliquis donare seu legare volebat, aiũt communiter docto

doctores peccatũ eſſe cõtra charitatem, ſecus ſi illa resnullomodo inbonũ monaſterij cedere debebat.

Ad primum argumentum reſpondetur, quod id non eſt donare,cum religioſus nihil re vera acquirat.Et illa lex. *prætor ait*, non dicit abſolute quod in gratiam mei datur, meum eſſe. Sed quodammodo eſſe meum.Vbi gloſſa *verbo,meum*,inquit Non quod ſit meũ,vel cõmune,ſed quia vtilitas mea ibi cõſiſtit.

Ad confirmationem reſpondetur, eſſe tunc donationem indirectam quando eſt tacita acceptatio & iuſſus vt donans tradat alteri,vel quando eſt tacita donatio ſub mutui ſpecie & nomine .Vt ſi religioſus mutuet nummos animo nõ recuperandi.Vt bene ait dictus Soſa num.73.Vel dic,ea verba, directe vel indirecte apponi, vt religioſi intelligant quam exacte ſibi munerum largitio interdicatur.Vt cum Hiſpane dicitur,*no os paſe por el penſamiento hazer eſſo.*

Ad vltimum reſpondetur,eam doctrinam eſſe veram in dubio, vbi non conſtat de intentione donantis & donatarij,at in noſtro caſu manifeſta eſt intẽtio donantis vt non acquiratur religioſo, cum ipſe reniteat,& acceptare nolit.

Dubium decimum.

AN Vicarij domorũ quæ nõ ſunt prioratus poſſint aliquid donare abſq; cõſẽſu ſuorũ fratrũ?

In hocdubio ſupponendum eſt primo quod licet prelatus ſit apud quem præcipue cura,&adminiſtra tio bonorũ conuentus temporalium,non minus quã ſpiritualium reſidet; non tamẽ poteſt ad libitum in quoſuis vſus expendere,vt deciditur 18.*q.*2.*capit.nullã, & capit. edoceri, de reſcriptis. Et concilium* Trident. *ſeßione* 25. *capitu.*2.quia prelatus non eſt dominus,ſed diſpenſa tur,*capitu.fraternitatem,de donationibus.*Ex quo ſequitur ꝙ ſi aliquid donat & diſtribuit,debet eſſet in eos vſus in quos bona monaſterij ſunt deſtinata,alias peccat mortaliter,vt probat Nauarrus *in capit.nullã,*18.*quæſt.* 2.*num.*6.Per hoc tamen non tollitur quin vbi conſue tudo fuerit donare aliqua,poteſt ea donare,vt dictũ manet ſupra.

Secundo ſupponendum eſt,quod quando prouin cialis ſeu capitulum prouinciale non limitat pote ſtatem talium vicariorum circa diſtributionem bo norum domorum ſuarum,re vera poſſunt illa dona re eo modo quo priores bona ſuorum conuentuum poſſunt diſtribuere.Iſti enim vicarij ſunt prelati or dinarij ſecundum Panormitanum *in capitu.cum ab eccle ſiarum,de officio ordinarij,num.*5.Vbi docet quod ille dici tur ordinarius qui præfertur collegio clericorũ,vel religioſorum à ſuperiore habente iuriſdictionem, ſeu iuris poteſtatem.Et collegium fit ex duobus fra tribus ſecundum eundem Panormitanum *capitu.primo de electione,num.*5.Et hanc Panormitani ſententiam te nent iuriſtæ, vt late probaui ſupra in hoc prologo,

verbo

*verbo prælati.tex.2.*restat modovidere quid possunt do nare priores absque cõsensu sui capituli,vt inde col ligamus quid possunt vicarij domorum quę non sunt prioratus.

Pro quo est tertio notandum,quod bona conuentus,vel sunt immobilia sicut fundus,domus,&huius modi,vel sunt mobilia,sicut equs,pecunia,&ea quę pertinent ad vestitum religiosorum interiorem & exteriorem. Bona primi generis clare constat non posse prelatos donare seu alienare nisi seruatis iuris solemnitatibus, nimirũ conuocatis fratribus ad sonulum campanę, & quod fiat ex assensu duarum partium vt asserit constitutio nostra *infra distinctione prima,capitu.* 14. & super hoc habemus etiam priuilegium Clementis septimi,quod est inter nostra priuilegia (non obstanti quod stando in iure communi solum spectetur maior,&sanior pars communitatis, *capitu.cum in cunctis,de his quæ fiunt a maiori parte capituli*) Et quod pręcedat tractatus an expediat nec ne,&c. Vt ait Syluester,*verbo, Alienatio.*Et per multa iura in decretalibus,*titu.de ijs quæ fiunt a maiori parte capituli.*Et aduertendum quod bona immobilia & mobilia prętiosa æquiparantur quantũ ad alienationem;scilicet vestes sacræ,ius ad annuos redditus etiam redimibiles,vel annuos fructus, vt ait Panormit.*in capitu. cum nullo,de rebus ecclesiasticis alienandis,vel non.Et Nauarrus libr. tertio consilior.consilio 6.&7. titu.de rebus eccles.non alienandis.* Bona secundi generis quæ vocantur mobilia,triplici

via

via ſolent à Prioribus diſtribui. Primo eleemoſynas elargiendo, ſecundo donando illa in bonum commune conuentus. Sicut quando ſeruitoribus qui conuentui deſeruiunt donant aliqua, vel alijs perſonis quæ conuentum adiuuant, quibus titulo gratulationis & beneuolētię aliqua donāt. Tertio modo, quādo Prior mera ſua voluntate in commodum proprium abſq; honeſta neceſsitate bona conuentus expendit. Hoc ſuppoſito ſit.

Prima concluſio. Priores & vicarij domorum quæ non ſunt prioratus poſſunt eleemoſinas facere ſecundum neceſsitates occurrentes; & ſecundum poſsibilitatem domus abſque conſilio fratrum. Hęc concluſio probatur, quia res ſuperfluę ſunt pauperum, vt docet Sāctus Thomas *2.2. quæſt. 32.* in ſuper probatur, quia ſecundum Panormitanum, *in capitulo quires. de rebus eccleſiaſticis non alien.* Pręlati eliguntur, & pręficiuntur collegijs proharum rerum adminiſtratione, *& cap. nullam. 18 q. 2.* Inquit; quod tota diſpoſitio in huiuſmodi rebus monaſterij ad Abbatem pertinet. Quantitas autē harum eleemoſynarum iudicāda erit per Regulas quas tradūt theologi de ſuperfluo, *in* 2.2. *quęſt. 32.* quia aliqui conuentus habent plus de ſuperfluo quam alij. Conſiderata etiā qualitate neceſsitatis, vel illam patientis. Quippe ſi per conuentum tranſeat religioſus grauis magna cum neceſsitate, & conuētus habeat & poteſt ſuę neceſsitati ſuccurrere, largius poteſt prior ei ſubvenire, quam ſi veniat ſæcularis æquali neceſſitate

sitate astrictus. Hoc ex supradictis patet & ratio naturalis id quidem dictat.

Secunda conclusio. Priores & dicti vicarij possunt absque consilio fratrum aliqua donare benefactoribus conuentus quando forte ad nos veniunt, vel per nostros conuentus transeunt, immò non solum ijs valent donare aliqua, sed alijs deuotis personis & ordini nostro affectis, & alijs quæ nos iuuare ac defendere in euentibus possunt. Poterunt etiam dicti Priores & vicarij aliquas eleemosynas dare provictu & vestitu religiosis alijs, etiam alterius ordinis per suum conuentum transeuntibus. Hęc omnia probãtur, quia hoc honori & bonę famę spirituali conuẽtus expedit, totumque cedit in vtilitatem spiritualem & temporalem conuẽtus: quia ratio naturalis dictat, vt benè Sanctus Thomas *2.2. quęst. 106. articu. 5. & 6.* Quod dãti dabitur. Quantitas huius donationis quanta esse potest, relinquo arbitrio prudẽtis viri, vt supra in prima conclusione dixi. Aduertendũ est quod cõsulto dixi in principio dubij, quando Prouincialis vel capitulum prouinciale non limitat potestatem pręlatorum: Quia in hac prouincia Sãcti Hippolyti martyris de Oaxacac de facto limitata est pręlatorum potestas per Capitula prouincialia, ita vt de bonis domus non est integrum illis vltra quantitatem duorum ponderum de tepuzque expendere absque consensu fratrum.

Hoc tamen pro conscientię pręlatorum serenitate & in fauorem elargientis huiusmodi eleemosynas,

seu elargitiones remuneratorias, addo. quod si supra dicti prælati excessissent in donationibus istis, bona fide, iudicando causam rationabilem, vel personam dignam ad ei donandũ, quæ causa alias non est sic rationabilis vel sic digna persona: vel similiter si excessissẽt in quãtitate rei donatę, non est iudicãdus de peccato mortali, nec quod res donata est restitutioni annexa. ducor, quia bona fides istius prę1ati elargiẽtis huiusmodi donationes excusat à peccato mortali. vt patet in alijs casibus in quibus propter bonam fidem operantis excusamus eum à peccato mortali & iustitia in huiusmodi donationibus non consistit in indiuisibili, attingere enim punctũ difficilimũ est. Aliqui assignant pro quantitate, tres, alij vero quatuor, alij autẽ sex, & omnes benè dicunt: & ita dum non sit lata culpa, & crassa ignorãtia in his rebus, non est cur condemnemus ad peccatum mortale. Et quod non teneatur ad restitutionem prælatus qui dedit, neque ille qui recepit, probatur, quia prę1atus non ex dolo, neq; vt damnum conuentui inferret elargitus est: ergo ratio naturalis dictat quod conuẽtus habeat, & velit habere pro ratis, & bene donatis, ne prę1atus eius (cum bona fide id fecerit) de malo administratore & dilapidatore notetur. maximè cum conuẽtus non sit lęsus grauiter in huiusmodi largitionibus.

Tertia Conclusio, Priores & vicarij qui donant res conuentus in quantitate notabili pro sua tantum voluntate, & sine causa honesta, absq; dubio peccant mortali

taliter contra paupertatem, & contra cōstitutionem Sanctissimi Clementis Papę octaui, & contra fidelitatem conuentui cui pręsident, debitam. hoc patet manifestè ex dictis suprà indubijs pręcedentibus. & probatur sumendo argumentum ex tutore qui sic donat res Pupilli, peccat enim mortaliter, & tenetur restituere: Sed prælatus ecclesiasticus respectu bonorum suæ ecclesię se habet sicut tutor respectu bonorum Pupilli, ergo. Pro hoc vide Panormitanum, *in capitulo cæterum, de donationibus, num. 2.*

Ex quo sequitur, quod si isti pręlati (quod absit) donent rem notabilem meretrici, vel si cōsumant in res turpes, vt in ludo, luxu &c. & quod peccant mortaliter, & quod res istę sunt restitutioni obnoxię vbicumq; reperiatur. probatur, quia isti prælati non habent dominium rerum suorum conuentuum, Sed tantūmodo iustam administrationē, vt diximus in primo notabili huius dubij, & ait Panormitanus vbi supra; ergo sic consumēdo donant alienum, ergo mortaliter peccant quia in re notabili, ergo res illæ debent restitui domino suo, scilicet conuentui. patet hęc consequentia, quia res aliena vbicumque fuerit est domini sui.

Sed dubitabis, qua pæna sunt puniendi monasteriorum dilapidatores? Respondet Emmanuel Rodrig. *tomo secundo quæst. regul. quęst. 34. articu. 1.* Quod omni debent dignitate spoliari, omni administratione inperpetuum priuari, atq; ad infamiæ notam carceri mācipari

Dubium vndecimum.

AN integrum sit Prouinciali disponere de rebus vicariarum quę non sunt conuentus, ad libitum & sine consensu fratrum ibi assignatorum?

Videtur quod sic. Vicarius cum consilio fratrū suorum valēt disponere de rebus domus & vicariję, ergo & Prouincialis solus potest, patet consequentia, quia Dedecus est quod superior non possit facere quod suus inferior & subditus potest. In rectoribus namq; essentialiter sub ordinatis, quod conceditur inferiori Superiori nullatenus de negaē. Hac enim ratione declaratur infra *distinct.2.cap.2.fol.81.* Quod sicut Prior conuētualis potest de Consilio discretorum suppriorem instituere, Sic Prouincialis dumtaxat poterit etiam suppriorem in sua prouincia instituere.

Notandum est quod bona istarum vicariarum tàm quoad proprietatē & dominium, quàm quo ad vsum sunt ipsarum, & stant sub gubernatione fratrū ibi assignatorum, & sub prælato ordinario vt latè dicitur in capitu. *cum super, de causa possessionis & proprietatis, & Panormitanus ibi.num.20.* quod clarius habetur *in capitu.primo, de his quę fiunt a maiori parte capituli.* vbi mādatur quod nulla fiat donatio seu alienatio rerum ecclesiasticarū sine consensu capituli ecclesiæ. vide ibi Panormitanū optime loquentem & lege capitulum, *nulli liceat, de rebus ecclesiasticis alienandis, vel non.* Item ecclesia est domina bonorum

norum quæ illi dātur tàm prose quàm pro ministris argumentū *ex capitu.ecclesiæ.16.quæst.1.*&prohibetur episcopis vēdere res ecclesiarum vel eas alienare inconsulto presbitero earum.*12.quæst.2.capit.placuit,& Glossa ibi & ibidem in capitu.Abbatibus fit* alia prohibitio.

Ex ijs infertur responsio ad dubium, quod scilicet nec prouincialis nec Capitulum prouinciale, immo nec Magister ordinis possunt alienare, seu adlibitum disponere de rebus harum vicariarum contra consensum fratrum ibi assignatorum, probatur, quia istorū interest seruare bona suę domus &Ecclesię; sunt enim fratres assignati membra illius vicarijæ, & *in capitulo siquis, de rebus Eccles. non alienandis*, inquit Glossa quod etiam fratres conuersi,& Patronus possunt cōtradicere alienationi in præiudicium Ecclesiæ factæ: quia eorum interest,& Prouincialis est videre quomodo bona seruantur & consumuntur. Et addit Panormitanus in dicto capitulo *siquis num.8.*quod etiam Parochiani possunt contradicere, quippe eorum interest videre ne Ecclesia sua ad inopiam deducatur nam tenentur in defectu ipsius Ecclesię ad erectionē illius de proprio patrimonio.quod notabis proindis qui compelli poterunt ad ædificādas ecclesias suorū populorum.&cum hoc sit de iurisdictione ecclesię,nescio quo iure Magistratus sęculares impedunt in hoc ecclesię ministros.

Ad argumētum respondetur, quod non negamus superiorem posse facere quod sui inferiores:sed intel

ligen.

ligendum est quod possunt superiores eomodo quo inferiores, videlicet cum consensu capituli & discutione fratrum. Sed cõtra, ergo solus prouincialis vel Magister ordinis non poterunt absque cõsilio patrũ suppriorem in conuẽtu instituere. Respõdetur quod consuetudo iam declarauit hoc quod Prouincialis solus det Suppriorem conuentui, & acta capituli generalis *apud Bisuntium fol.81*. dicunt Prouinciali integrũ esse hos instituere Suppriores: alienare verò bona cõuentus & vicarijç non possunt quia hoc est illis prohibitum per iura allegata. Et sic dicta iura limitant regulam illam, scilicet in rectoribus essentialiter subordinatis quod inferiori conceditur, supriori nullatenùs denegatur, dicunt inquam, nisi super hoc fiat specialis prohibitio vide *Capit. nõ liceat, 12. quęst. 2.* vbi dicitur, quod non liceat Papæ prędium Ecclesię quoquomodo alienare. Et quod liceat quibuslibet Ecclesijs contradicere. Ergo à fortiori non possunt prę lati nostri in casu dubij. Et confirmatur, quia oportet bona ecclesiastica plures habere defensores, qui nulli commodiores quam fratres illius conuentus, maximè si sint conuentus filij. Et obhoc videmus Episcopos exclusos à Capitulis Ecclesiarum cathedralium, & solos Canonicos tractare ea quæ ad Ecclesias pertinent.

Poterit tamen Episcopus seu Prouincialis soli, bona vnius Ecclesię exuberantis dare alteri Ecclesiæ, vel conuentui pauperi, ad quod faciendum duo copula-

pulatiue requirūtur. Primum quod ecclesia à qua extrahenda est huiusmodi pensio, verè exuberet, superfluumque habeat. Secundum, quod Ecclesia cui dāda est hęc pensio, verè indigeat, quia non est discooperiendum vnum altare, vt alterum cooperiatur, vt ait Panormitanus, *in capitu. exposuisti, de præbendis, num.* 8. & hoc modo poterit Prouincialis, nam vnica est ecclesia habens multa membra, ideo debet vnum membrum alteri subuenire. Modus autem quo hoc fiet est hic. Prouincialis Seu Episcopus vocato conuentu vel capitulo illius ecclesię à qua est extrahenda portio tractabit cum eis, & tunc si vere exuberet hęc ecclesia, & altera indigeat, tunc si nolet acquiescere capitulū vel conuentus compellet eos, nisi allegauerint in oppositum aliquid rationabile: non enim inconsulto capitulo & non conuicto debet aliquid attentari. Et ratio quare pręfati pręlati poterunt compellere est, quia tenetur conuentus de superfluo indigentibus eleemosynam facere, vnde pręlatus iuste mādat. Si vero ecclesia illa non habet redditus sic exuberantes & superfluos, non debet pręlatus compellere, quia vt diximus non est discooperiēdum vnum altare, vt aliud cooperiatur, *capit. cum causam. de prębēdis.* & similiter si illa ecclesia cui dāda erat portio non sic indiget, ratio est quia eleemosyna pauperi est dāda. Ex priuilegio tamen Sixti Quarti, & Leonis Decimi possunt pręlati facere commutationem legatorum vnius conuentus in vsum alterius sine scandalo tamen illorum ad quos

sollu

sollutio talium legatorū pertinet. Similiter possunt prelati vsum vnius rei in alterius vsum cōmutare in rebus etiam donatis per viuentes, si tamen non sequatur scandalum. *Ex compendio communi, num. 1. & 2.* Hæc est magna concessio, virtute cuius potest Prouincialis quę in vna domo videntur superflua, alteri remittere seu donare. Vide Cordubam *in sua Summa, quęst. 57.*

Dubium duodecimum.

VTRVM Prouincialis possit tēpore visitationis aliquid à visitatis recipere? Hoc dubium pēdet à notitia alterius prius examinandi, videlicet vtrum Epi in suis visitationibus, seu visitatores ab illis missi ad visitandum possint aliquid à visitatis recipere?

In quo dubio extat quędam constitutio Innocentij quarti, *in cap. Romana ecclesia, de censibus, lib. 6.* & altera Gregorij Decimi, *in capitu. exigit, eodem titu. & libro, & capitulū fælicis, eodem titu.* Extat etiam nouum ius Concilij Tridentini, *Seß. 24, de reformatione cap. 3.* Iura hæc & capitula necessario videantur, ab illis enim dependet iudicium huius dubij, quibus suppositis sit.

Prima Cōclusio, quādo Episcopi personaliter suas visitant ecclesias, certissimum est posse recipere victum seu procurationem dierum suæ visitationis siue in specie siue alio modo ita statuitur, *in capitu. fælicis. de censibus & exactionibus in 6.* & per hoc capitulum corrigitur, *cap. exigit, & capitu. Romana ecclesia* Vbi pręcipiebatur

ne reci-

ne recipiant Episcopi suam procuratioñe in pecunia numerata, sed quod hoc fiat ad libitum visitati, ipseque eligat modum solutionis procurationis, siue in specie, siue in pecunia. Idem & eodem modo pręcipitur in Concilio Tridentino loco citato.

Hęc cõclusio habet aliquas limitationes. Prima est Ecclesia pauper non tenetur soluere procurationem sed Episcopus tenetur eam gratis visitare Ita Syluester, *verb. visitatio*, § 5. Propter hoc enim gaudet episcopus prouentibus suę dięcesis.

Secunda limitatio est. Solum potest recipere procurationem illorum locorũ quę ipse visitauerit, non tamen illorum quę non visitauerit. Tertia limitatio quod solum recipiat procurationẽ illius diei, etiam si in illa vna die plures visitet ecclesias. Si tamẽ vna die visitationẽ explere non potest, pluribus diebus est procurandus. 10. *quæst.* 1. *cap. placuit.* quarta limitatio Ad hoc quod Episcopus possit procurationem recipere, debet ipse personaliter visitare, nam si per aliũ visitet, isti visitanti debenẽ procurationes & non Episcopo, *capitu. si Episcopus, de officio ordinarij, lib.* 6.

Secunda conclusio. Si episcopus seu visitator, vel aliquis de suis familiaribus accipiat aliquid aliomodo, occasione alicuius officij, vel cõsuetudinis, etiam munus quomodocumque oblatum, tenetur recipiens intra mensem restituere duplum ecclesiæ à qua illud acceptum est, alioquin Patriarchę, Archiepiscopi & Episcopi sunt ipso facto interdicti ab ingressu eccle-

 siæ. In-

się. Inferiores autem à prędictis sunt suspensi ab officio, & beneficio donec dictum duplum restituāt nec valet remissio vel dantium liberalitas eos liberare nisi restituant. *capitu. exigit, capitu. fęlicis, & cap.* Romana *Ecclesia. in 6.*

Cōsulto dixi, vel aliquis de suis familiaribus; nam Notarij non solent esse de visitatoris familia, neque Episcopi seu visitatoris famuli, & non tenētur gratis seruire visitatis, nec visitatoribus *15. quęst. 1. cap. 1.* quare videtur, notarium posse iustum salarium accipere, Si de familia visitatoris non est, nec habet salarium ex publico, nec statutum rationabile vel cōsuetudo prohibet illud. Totum hoc probatur, quia mercenarius dignus est mercede sua, *lucæ. 10.* Secūdo, quia licet Delegatus Sædis Apostolicæ nihil debeat percipere à partibus. Notarius tamen recipit iustum salariū. *cap. statutum, de rescriptis, § notarius.* & licet ordines gratis debeant dari, notario tamē soluitur pro scriptura qua fidem facit de collatis ordinibus. Sic Panormitanus quem refert doctor Nauarrus *lib. 3. consilior, titu. de censibus, consilio primo.*

Sedquęres, iam quod titulo visitationis seu procurationis non potest episcopus aliquid vltra prędictam suam procurationem recipere, poterit ne alio titulo, scilicet per viam exactionis seu donationis? Dico primo, quod si Episcopus visitans perdit equm, aut equorū vecturas soluit, & similia, non potest hoc exigere à visitatis titulo procurationis, Secūdum Innocen

nocentium,& multo minus expensas factas eundo, tùm quia hoc nullo iure debet,tum etiam quia propter hoc habet bona dignitatis vt exerceat spectātia ad officium dignitatis,& ius Canonicum potius concedit episcopis procurationē insignum subiectionis & obedientię.& si talia recipiunt,subduntur supradictis pęnis si non restituunt intra mensem,eomodo quo dictum est,siue illa sint donata siue exacta.

Dico secundo,aliqui extant tituli ratione quorum possunt episcopi recipere omne id quod gratiose eis offertur. & sunt etiam aliqui tituli ratione quorum possunt exigere aliquod stipendium vltra procurationem illius diei.Hæc patent,non enim sine ratione & motiuo supradicta capitula iuris canonici, & Tridentinum Cōcilium exprę ssarunt,& distinxerunt,scilicet procurationis causa pro visitatione,Signum ergo est quod ratione aliorum titulorū possunt aliquid recipere.Confirmatur ex verbis ipsius met Concilij; ait enim,*Saluo item iure conuentionum antiquarum cum* Monaste*rijs,alijs ve pijs locis aut* Ecclesijs *non parrochialibus, inito.* Ergo ad minus habemus hunc titulum ratione cuius possunt episcopi seu visitatores aliquid recipere.Confirmatur secundo ex titulis sequentibus.

Primus titulus est paupertatis,vt est Episcopatuū Philippinarum,quorū episcopi nullos recipiunt fructus suarum ecclesiarum,sed aluntur à rege,& ita frugaliter,& moderatè vt invictu quotidiano vix excedant mensam Parochi pauperis,& si tenerentur suis

 stipen

ſtipendijs eccleſias viſitare, obligarentur ad impoſsi bile. Id circo prefati epiſcopi (vltra ſuam debitam procurationem) recipere poſſunt ſumptus quos moderate cõſumpſerunt. Hoc dictum probatᷓ. Ratio quare ius canonicum prohibet ne epiſcopi aliquid vltra ſuam procurationẽ recipiant eſt, quia ad alios quoſcumque ſumptus gaudent plane fructibus ſuarum eccleſiarũ, ſed dicti epiſcopi nullos fructus percipiunt, ergo in illis ceſſat ratio iuris, &conſequẽter poſſunt aliquid recipere. Secundo probatur, quia (vt ſupra diximus) quando eccleſia eſt pauper, & epiſcopus diues tenetur illam gratis viſitare & ſuis ſtipendijs in hoc caſu militare, nec procurationem illius diei recipere, ergo quãdo epiſcopus eſt pauper, &eccleſia poteſt illum alere, tenetur quidem ad illud. & cõfirmatur. Hoc quod eſt epiſcopum ſuas eccleſias viſitare, & vultum pecoris ſui agnoſcere eſt de iure diuino, ergo ſi epiſcopus hoc munus proprijs ſumptibus exequi non poteſt quia pauper, vt ſupponimus, debet hoc ad impleri eccleſiæ ſumptibus. maxime cum in eius vtilitatem fiat viſitatio.

Secundus titulus eſt, familiarium &officialium, titulus hic continetᷓ in ſupradictis capitulis, & in concilio Trident. *ſeß. 24. de reformatione, cap. 3.* vbi diciᷓ; quod epiſcopus nihil recipiat, exceptis tamen victualibus quæ ſibi ac ſuis, frugaliter moderateque pro temporis tantũ neceſsitate, & non vltra erunt adminiſtranda. & nota quod de epiſcopi familia ſunt, Clericus & laicus,

laicus, equester & pedester qui est de domo sua, secundum Ioannem Andream. Nomine officij intelligitur scriptor. Sigillator & huiusmodi, qui nihil possunt recipere. Hoc autem intellige ratione visitationis, non autem ratione laboris. argumentum. 12. *quæst. 2. capitu Ecclesiasticis.*

Tertius titulus est, ratione seruitij. potest enim Episcopus recipere ab ecclesijs aliqua consueta seruitia. probatur *ex capitu. seruitium.* 18. q. 2. Sed contra hoc videtur esse Conciliũ Trident. vbi supra dicẽs, quod nihil recipiãt vltra suam procurationem, non obstanti quacumq; cõsuetudine etiam immemorabili. Sed respondetur, quod intelligitur Concilium iuxta limitationem supradictam, videlicet procurationis causa pro visitatione. Nam vt dictum est. ratione huius tituli nihil potest episcopus recipere etiam gratis donatũ, attamen seruitia assueta dari, vel propter ecclesię authoritatem vel propter labores itineris & huiusmodi potest recipere. Quia cõsuetudo inducit annuas pręstationes, & dat iurisdictionẽ & priuilegium, vt ait glossa, *in dicto capitu. seruitium.*

Quartus titulus est, ratione alicuius pactus facti in fundatione alicuius ecclesiæ, Capellę, seu loci Pij, vel Capellaniæ potest recipere id quod in tali pactu est signatum, *capitu. præterea de iure patronatus, &* 18. *quæst. 2. capi. eleutherius.* & concilium Tridẽt. vbi supra excipit. pręter id (inquit) quod ex relictis Pijs iure debetur. & infra, saluo item iure conuẽtionum antiquarum cum

monasterijs, alijs vè pijs locis aut ecclesijs non parrochialibus, inito. exemplum potest esse in hospitali de la sangre Hispalēsi, quod quottanis visitant Prior Sancti Pauli, & Sancti Hieronymi eiusdem ciuitatis: quibus vltra suam procurationem dātur sexaginta ducata, quia sic statutum fuit à principio fundationis hospitalis illius. Quod idē statutū habent multa alia tam hospitalia quam beneficia; ita in casu nostro.

Sed contra potest obijci Concilium Trident. vbi supra, prohibēs ne alī quid recipiant etiam testamētorum causa quamuis ad pios vsus, aut alio quouis nomine. Respondetur, hoc intelligendum esse iuxta limitationem eiusdem concilij, videlicet procurationis causa pro visitatione, hoc enim titulo neque legata pia testamentorum recipere possunt.

De visitatoribus autē ab Episcopo ad visitandum missis idem omnino dicendum est quod scilicet nihil possunt recipere tempore visitationis. Solū in pęnis est differentia. Nam Episcopi interdicuntur ab ingressu Ecclesię, visitatores autem incurrunt suspensionem ab officio & beneficio ipso facto donec restituant duplum. Quando verò Episcopi non visitant sed domi suæ manent, possunt quęcumque dona & munera illis oblata recipere. & contra hoc nullum inuenio ius, necque diuinum, necque naturale, necque canonicum prohibens; & cum donatio sit omnino libera, & nullo modo extorta possunt vtique illa recipere, non enim sunt peioris conditionis quam

cæteri

cęteri homines ad recipiendum.

De religionum prę latis (quod eſt dubium principale) idem omnino dicendum cenſeo quod de Epiſcopis & viſitatoribus diximus. Quod ſcilicet viſitationis cauſa nihil poſſunt recipere quippè in ſupra dicto capitulo *Romana Eccleſia, de cenſibus, in 6.* vbi prohibetur ne Epiſcopi aliquid recipiant &c. Compręhẽduntur etiam prelati religionum. Inquit enim. *Hanc autem viſitandi formam ab vniuerſis etiam Epiſcopis alijs ve prælatis ordinario iure ſuos ſubditos viſitantibus, plene obſeruari pręcipimus.* Ex quo conſtat prę fatos prę latos eamdẽ obligationem habere, eodemq; prę cepto teneri quo epiſcopi ad non recipiendum aliquid procurationis cauſa pro viſitatione. Poterunt tamen aliquid recipere ratione aliorũ titulorum, ſicut de epiſcopis dictũ eſt. Titulo paupertatis recipiunt Prouinciales hoſpitium à conuentibus, ſeu hoſpitalitatem ante & poſt viſitationem, ſicut cęteri fratres, & ſimiliter ſuam contributionem. & aduertẽdum maxime eſt, quod capitulum *Romana eccleſia,* ſupracitatum, poſtquam cõſtituit legem ab omnibus prę latis ſeruandam, immediate ſubiunxit verba hęc. *Saluis ſuper hoc rationabilibus & approbatis religioſorum conſuetudinibus, & regularibus ſtatutis.* Per hoc ius cõſtat honeſtas eſſe ac iuſtificatas cõtributiones quas prouinciæ noſtris magiſtris generalibus conferunt, etiam ſi ad illas dicti magiſtri non perueniant. & ſimiliter cõtributiones quę pro literis parẽtibus confirmationum tàm prouincialiũ, quam magiſtrorũ, &c

illis

illis dantur.& etiam honestātur cōtributiones quas à conuentibus recipiunt quando actualiter illos visitant. Honestantur etiam contributiones quæ magistris procuratoribus ordinis dātur pro victu & vestitu familiæ istorum Reuerēdissimorum patrum.& denique constributiones Patrum prouincialium quas à conuentibus & domibus visitatis recipiunt.

Secundus titulus potest esse veluti seruitij, quia vt ait doctor Nauarrus, *lib.3.cosilior de censibus, consilio* 4. episcopo & Archiepiscopo licet accipere à ciuitate sua, vel ab ecclesijs & monasterijs aliqua munera consueta dari in primo sui aduētu cum primum ad illa venit.& hoc maxime si adest consuetudo, quia consuetudo non solum dat iurisdictionem *9.q.3.cap. conquæstus.* Sed etiam inducit obligationem prestandi aliqua annua. Iuxta textum iuncta glossa, *cap. seruitium, de officio Archidiaconi.* Vnde infero. Prouinciales nostros qui authoritatem veluti episcopalem & Archiepiscopalē habent, posse quādo ad visitandum nos veniunt, aliqua dona de fructibus talis prouincię seu populi, recipere v.g. In his indiarum terris, *en tierra caliente y Mixes, algunas mantas,* Huaçontecas, *vaynillas, achiote y paños,* absq; aliquo scrupulo peccati. Tum quia iam extat cōsuetudo voluntarie introducta, tum etiam quia hęc omnia libentissime offerunt religiosi suo prelato in eius iocundo aduentu. Dixi quia iam extat consuetudo. non quia prelatus potest ista exigere propter consuetudinem. Sed quod liceat ei recipere quia est cōsuetudo. Dicit

enim

enim glossa dicti capitu. *exigit § volente*. Cum alias sæpe sepiùs sit licitũ recipere quod non licet exigere. *& § munera*, ait dicta glossa. Consulto facit visitãs si ab omni munere se abstinet. *prima, quæst.* 1. *capitu. non nulli*. Si tamen modicum esculentum vel poculentũ recipiat non habet locum pęna. Argumẽtum; *ex capit. & si quæstiones, de simonia*. Quia non est verisimile quod hæc parua munera aliquem moueant, vel dantem pauperiorem faciat.

Sed quid si pręlati excedant inreceptione horum donorum, vltra suam procurationem, & quanuis non excedant, recipiunt tamen supradicta titulo visitationis, quid iuris in hoc? Tenentur ne restituere induplum? Respondetur, quod quanuis peccabunt mortaliter vt dictum est, at non tenenẽ restituere induplum ducor, quia in hac pęna nec ius canonicum in supradictis locis, neque conciliũ tridentinum nostros pręlatos compręhendit, vt patebit attentè legenti dicta loca, nec incurrũt suspensionẽ aut interdictum, quia nec intoto iure canonico, nec in Cõcilio tales inueniuntur pęnę cõtra illos, ergo nullo modo incurrunt illas. Patet consequentia quia regula est tàm theologorũ quàm iuristarum, quod pænæ non incurruntur ab aliquo nisi in iure expręssentur contra illum.

Tertius titulus potest esse gratulationis, & beneuolẽtiæ, vel ratione amoris quo subditi suum prosequũtur prælatũ. Hoc titulo potest subditus donare, & pręlatus recipere, seruata tamẽ paupertate quam vterq;

tàm ſubditus quam prælatus profeſsi ſunt. Hoc dictū probatur, quia in iure canonico tales donationes non ſunt prohibitæ, & in iure naturali ſunt validæ, ergo cum pateat nullū ius vulnerari in tali munerū receptione, (dummodo ſint moderatæ iuxta dicta dubijs præcedentibus) validę erunt. & cōfirmatur, quia in quodam capitulo generali barchinonę celebrato Anno 1574. ſub titulo confirmationes dicitur. Confirmamus ordinationē illam & pręceptum, quibus diſtrictè prælatis & viſitatotibus præcipitur, ne vel pecuniā vel prætioſa munera à fratribus, vel ſororibus ab ijs maxime qui vel gratiam vel iuſtitiā apud ipſos prætendunt, accipiāt. exceptis parvulis munuſculis, quæ charitatis intuitu inter amicos ſolent offerri. Ergo hoc titulo charitatis poſſunt ſubditi ſuo pręlato aliqua parua dona offerre, & pręlati ea ab eis recipere, & per hæc confirmantur dicta in titulo ſecundo.

Caueant tamen ſubditi (aduertit Emmanuel Rod. *tomo 2. q q. Regul. quæſt. 47. articu. 3.*) Ne tales remunerationes faciant pręlatis, ſeu illis qui prælaturas & officia in ordine ipſis procurauerunt, vel procurare poſſunt Hę namque remunerationes ob hunc finem factæ, vt ſpeciē Simoniæ præſe habētes à iure cōmuni anathematizantur. quod, iuxta terminos iuris cōmunis debet explicari. ſcilicet quod quamuis fiāt iſta data ad procuranda officia; non tamen principaliter, ſed minus principaliter ad hunc finem intenditur per ipſa. Ita Nauarrus *in extrauagāti de datis & promiſſis.* Idcirco non

con-

condemnarē ergo religiosos qui pro beneficijs ipsis collatis in assecutione officiorū ordinis aliqua munera conferunt; non principaliter propter eorū assecutionem & vt sibi in alijs procurādis se gratos exhibeant: sed vt se beneficiorū memores (vt decet) demonstrēt. Hoc enim non simoniacū, immo potius laudabile in sacra pagina, & in sacris canonibus reputatī.

Dubium 13.

VTRVM Religiosus factus Episcopus, absolutus maneat à voto paupertatis? Videtur pars affirmatiua vera, *ex cap. statutum. 18. quæst. 1.* vbi dicitur, quod consecratio absoluit monachum à iugo regulę monasticę vt posit esse legitimus hęres, sed talis non potest esse si non habeat dominium & proprietatē, ergo absolutus est à voto paupertatis.

Hoc non obstanti, Cōclusio est negatiua quam probat Sanctus Thomas *2. 2. quęst. 185. articu. 5. ad 3.* & constat ex capitulo *cum ad monasterium, de statu monachorum*. Ad argumentum respondetur, quod Religiosus factus episcopus soluitur a regula monastica quatenus contraria est dignitati episcopali, & non quatenus cōueniēs est. Votum autem paupertatis non est contrariū dignitati episcopali, vt cōmuniter tenent omnes doctores, & prædictum decretum intelligendum est, quod monachus quem electio canonica à iugo regulæ mo-

nasticæ absoluit, sit absolutus ab onere, & labore monasterij vt statim dicemus, propter quod non dicit decretum, ipsum plenè esse absolutum per episcopatum, & esse legitimum hæredem absolute, sed inquit quod sacra ordinatio de monacho episcopum fecit: & velut legitimus hęres paternam sibi hęreditatem postea iure vendicandi potestatem habet. & aduertendũ quod non dicit, legitimus hæres absolute, sed velut legitimus hęres. quoquidẽ vult significare, quod ipse non sit legitimus hæres sibi hęreditatem acquirendo sicut alij legitimi hęredes sibi immediate acquirunt, sed quod ipse iam solutus à iugo monasterij quamuis sit frater minor, iam velut legitimus hæres iugo episcopatus astrictus, ipsam hęreditatem illi ecclesiæ cuius est sponsus acquirat, velut bona acquisita post episcopatũ ipsimet ecclesiæ, non monasterio cuius est professus acquirit. Vnde bona episcopi intestati acquisita ante consecrationẽ vel cõfirmationem monasterio debent aduenire. Acquisita vero post, suę ecclesiæ aduenient. Si autem fuerit episcopus titularis, sua bona ad monasterium pertinent. Ita magister Soto, *10. de iustitia & iure, quęst 5 artic. 7.*

Testamentum condere nullo modo potest. Sola enim dispensatio rerum ecclesiasticarum ei committitur, quę finitur morte ex qua testamentũ valere incipit. Si autem ex concessione Papę illud faciat, non intelligitur de proprio testamẽtum facere: sed authoritate Apostolica intelligitᵗ ampliata potestas suæ dispen.

nsationis vt possit valere post mortem.

Decretum illud supra allegatum in argumento, ex 18. *quæst.* 1. petit illam difficultatem, à quibus scilicet & quomodo est solutus religiosus factus episcopus?

Pro cuius declaratione sciendum est, quod dupliciter aliquis tenetur ad aliquid obseruandum, vel ex debito legali, vel ex debito morali tantum. Dico tantum, quia debitum legale claudit in se morale debitum, & addit supra illud legalitatem, appellatur & est debitum morale, vinculum ex recta ratione, debitũ vero legale est, vinculum ex lege. Itaque vis obligatiua in debito morali, ex sola recta ratione vt a coactiua virtute proficiscitur, siue habeat aliunde occasionem, siue non. tenetur enim quilibet ex debito morali ad non mentiendum, quia ratio naturalis sic dictat veritatem esse sectandam vt contrarium secundum se prauum dicat. & simile est de vinculo ad vitãda quælibet vitia. Tenetur quoq; Princeps ad obseruationẽ legis communis ex debito morali (iuxta illud, patere legem quam ipse tuleris. *capitu. cum omnes de constitutionibus*) quamuis non teneatur ex debito legali ad legis obseruantiã, quoniam lex non habet vim coactiuam, supra principem. Verum tamen huiusmodi debitum morale ex sola naturali ratione vt a virtute coactiua vim habens, occasionaliter ortum habet a lege extante. Nam nisi lex maneat in suo robore, ratio naturalis non obligaret Principem ad illius obseruantiã, sicut nec subditus quos lex primo obligat. & secũdo recta

ratio

ratio vt vis coactiua ad eius legis obseruantiam. Debitum autem legale est, quod à lege, vt à coactiua virtute est. Lex enim nisi habeat coactiuam virtutem lex non est. Vt simpliciter & absolutè, sed secundum quid, scilicet vt directiua. Et propterea dicitur, & benè quod Princeps solutus est legibus, quia nimirùm lex simpliciter & absolutè nō est supra eum quia non ligatur coactiua virtute legis. Et quia vis coactiua legum exercetur per actum punitiuum tanquam per proprium actum quia pœna est medium proprium legis, per quod ad sui obseruantiam inducit, vt docet Sāctus Thomas, 1. 2. *quæst. 92. articu. 2.*) ideò illi soli subsunt virtute coactiuę legis, qui legum pęnas incurrunt contra faciendo. Qui autem suapte natura & non ex priuilegio legum pœnas non incurrūt, quantumcumque cōtra pręcepta legum agant, virtute coactiuę legum non subijciuntur.

Quo circa, quia religiosus factus Episcopus non subiacet pænis regulę aut statutorum regularium (quod ex eo patet, quia si puniendus est, non punitur secundum regularia statuta, sed secūdū sacros canones sicut reliqui Epi) consequēs est, vt religiosus factus Episcopus non teneatur ex debito legali ad obseruantias regulares. Et quia pæna peccati mortalis & censurarum ad vim coactiuam legis spectant, ideo non incurrit censuras, aut mortale peccatum si huiusmodi ex regula aut constitutioniqus tantum prohibeantur, oppositum faciendo, quanuis peccet mortali.

taliter aliquod trium votorum essentialiū transgrediendo: quia ad illorū obseruantiam ex voti vinculo cessante lege tenetur.

Tenetur tamen Religiosus factus episcopus ex debito morali ad obseruantias regulares suę religionis non contrarias aut dissonas episcopo. Ratio est, quia (vt ait Sanctus Thomas 2.2. *quęst.* 185. *artic.* 8.) Dispositio non tollitur adueniente perfectione, sed magis perficitur, & ex ascensu ad perfectionis statum non debet deficere à fructu prioris vitę. Perdet autem si ea quæ etiam nunc cōferunt ad perfectionem episcopalem per quę ad illam peruenit, desereret. Itaque tenetur episcopus ad obseruantias regulares ex debito morali, & non tenetur ex debito legali. Vnde Religiosus factus episcopus licite potest carnibus vesci in sexta feria quando Natiuitas Dñi in illa evenit, quoniam a debito legali quo sub iugo regulę prohibētis astringebatur, absolutus est. & debitū morale tunc non habet locum, quippè conueuientissimū est (inquit Sanctus Thomas, 3. *par.* *quæst.* 40. *articu.* 2. vt qui cum aliquibus conuersatur, se eis inconuersatione cōformet, ita quod incibo & potu conformiter se sicut alij habeant. constat enim Monachum episcopum ad conuersandum cum ecclesia sua & specialiter cum clericis suis esse translatum, & hoc præcipue locum habet in tāta solemnitate, in qua & Sācti viri abstinētię detrahunt decet enim tantam internę letitię causam foris erumpere ad letas mensas.

DV.

Dubium 14.

AN Religiosus proprietarius priuandus sit sepultura ecclesiastica? Pro parte affirmatiua extat, *capitulum* Monachi, *de statu monachorum*, vbi habet. Monachi neque peculium permittantur habere, & infra. Monachus autem qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à cõmunione remoueatur. & qui in extremis cum pecunijs inuentus fuerit, & digne non penituerut, neq; oblatio pro eo fiat, neq; inter fratres accipiat sepulturam. & in capitu. *Super quodam, & capitu. cum ad monasterium, de statu monachorum*, iubentur isti cum ipsa proprietate in sterquilinio sepeliri extra monasterium: & si talis sepultus sit in sacris, exhumetur si sine scandalo fieri potest.

Cõclusio, si Religiosus in morte inuẽtus fuerit cum bursa denariorum, non propterea præcipitãter sepultura ecclesiastica est priuandus, ducor, quia supradicta capitula iuris Canonici non remouent à communione altaris religiosum inuentum cum peculio, sed eum tãtum qui ab Abbate commonitus noluit ipsum peculiũ resignare. Nam cum huiusmodi pæna sit grauissima, contra inauditam partem imponi non debet vnde tali pęna non est plectendus religiosus nisi contra ipsum opponatur prius talis bursæ denariorum detentio, & ipse se purget, aut de proprietate conuincatur:

catur:ac per consequẽs defunctus inuentus cum prædicta denariorum detẽtione,non debet sepultura ecclesiastica statim priuari cum contra eum non sit delictũ propositum,neq; posit proponi vt se defendat.

Confirmatur primo ex doctrina aliquorum dicentium,quod non debet priuari sepultura ecclesiastica ille qui inuentus fuerit inputeo mortuus.ducuntur, quia non debemus presumere seinputeum deiecisse, & se occidisse.Ergo simile inproposito dicẽdum venit,nempè quod non debet priuari ecclesiastica sepultura ille qui cum bursa fuerit inuentus mortuus. non enim presumere debemus ipsam in manibus prælati noluisse renunciare,sed obliuione quadam naturali, angustijs infirmitatis irretitum talem resignationẽ preterijsse.Confirmatur secundo ex Syluestro *verb. sepultura,num.*10.dicẽte,quod ei qui intra annum non est confessus,neque communionem accepit,non potest Parochus sepulturã ecclesiasticam interdicere,quia in dubio presumi debet quod non fuit immemor sue salutis,vt dicitur *in capitu.Sancimus,prima,quæst.* 7. potuit enim alicui mendicanti legitimè confiteri, & de eius mandato ab eucharistia abstinere.Id circo potest & debet de tali religioso presumi quod ab aliquo superiore viuæ vocis oraculo fuit licentiam cõsecutus vt apud se dictam denariorum bursam retineret,quam inmorte,obliuione aut infirmitate absorptus non resignauit. quod quidem à fortiori habet locum si præfatus religiosus sit sacerdos,cui propter tante digni

tatis excellentiã maxime est deferẽdum. Ille namq; Rex Israel Iehu, Iezabel iustissimè interfectę detulit honorem, dicens suis Eunuchis, ite & videte maledictam illam, & sepelite eam quia filia regis est. & tandẽ *in capitu. super quodam*, deciditur casus iste, scilicet, super quodam Monacho regulari qui in mortis articulo agens, licet à Priore suo commonitus proprium, quod contra regulam latenter habebat noluit resignare; & sic diem clausit extremum. Quem innocẽtius tertius declarauit non esse in loco sacro sepeliendum. Ponderanda enim sunt verba huius decretalis ibi licet à priore suo commonitus, quę maximè hanc nostram conclusionem confirmant.

Sed cõtra hoc videtur esse illud quod legitur fecisse Diuum Gregorium, *lib. 4. theolog.* condemnasse scilicet quẽdam monachum à priuatione sepulturę, quia in morte inuentus fuit cum denarijs. Ad hoc respondetur ex dictis ab eodẽ Gregorio ibi, quod dictus monachus fuit admonitus, qua admonitione non obstãte mortuus est proprietarius.

Notandum est statutum quoddam ordinis Carthusiensis, quod refertur à Nauarro, *lib. 3. cõsilior. titu. de regularibus, cõsilio* 6 in prima editione, disponẽs: quod Monachi defuncti in proprietate duodecim denariorum & infra non sepeliãtur in cęmeterio; aut sepulti exhumantur. Circa quod statutum aduertit ipse Nauarrus vbi supra, nu. 17. Fortè esse intelligendum de illo monacho proprietario rei minimę, qui ex aliquot coniectus

iecturis prȩsumitur per contẽptum legis,vel animo maiora appropriãdi eam appropriasse,cum non debeat quis carere ecclesiastica sepultura propter peccatum veniale vt satis significãt sacri Canones,*in cap. pro obeuntibus,& capit. non existimemus,13. quæst.2. & capitu. ex parte,el segũdo,de sepulturis.* Quam doctrinam sequuntur omnes doctores cõmuniter,& merito quidem. Nam peccatum veniale non excludit gratiam &charitatẽ vt inquit Sãctus Thomas 2.2.*quæst.* 24.*articu.vltimo.* Detentio autem tam minimȩ quãtitatis non videtur includere peccatum mortale;cum furtum huius quantitatis ipsum minimè arguat. Supradicta autem non sunt vera in fratribus ordinis minorum de obseruantia.Qui si defuncti inuenti fuerint cumbursa denariorum etiam minimȩ quantitatis, non possunt in loco sacro sepeliri:cum in eorum regula ipsis præcipiatur nedenarium recipiant.

DE CASTITATIS VOTO.

QVIA Religiosi status est,ad perfectionẽ anhelare,eique adipiscẽdæ neruis omnibus incumbere,ad eam autem adipiscendã,animi auulsio abijs omnibus desideratur quȩ non modico obstaculo sunt ne religiosus expeditè inDeum feratur,qualia sunt venereorum vsus. Tum ex vehementi delectatione

qua animum ad terrena rapiũt, tum etiam ex cura familię, filijsque prouidendi. & in his curis solicitudinibusq; animum maximè obruit cupiditas bonorum temporaliũ, ac propria voluntas. Propterquod, Nuncium prorsus remittit religiosus sęculo per professionem, moriturq; mundo, & ad vitam spiritualē se transfert omnino mancipās se Dei obsequio per tria essentialia vota, obedientiam scilicet, paupertatem & castitatem. De duobus primis aliqua diximus, de tertio aliqua in medium adducere congruum est.

Hanc materiam mihi obeunti statim se offert difficultas an videlicet votum castitatis quod religiosi emittunt, sit de castitate intelligendũ quæ rei vxoriæ opponitur; an vero de illa quę simpliciter omni copulę aduersatur siue coniugali siue fornicarię. Multum enim refert. nam si tãtum de priori intelligitur, tunc fornicatio religiosi non esset nisi simplex peccatum. Si autem de posteriori, erit etiam fractio voti. Apparet autē non intelligi nisi de priori, scilicet quod tantum voueant non ducere vxorem. Nam hoc est, quod suo statui satis esse videtur. Respondetũ nihilominus simpliciter esse intelligendum de castitate vtroq; modo. Nam cum functioni rerum sacrarũ mancipentur, omnis mundities condecet; qua ratione ecclesia ordinibus sacris illud annexuit votũ. Quare Religiosi fornicantes duplici malitia maculantur cōtra duas obligationes, altera ex lege naturali diuina, pertinens ad temperantię virtutē, altera autem ex voto,

per.

pertinẽs ad religionis virtutẽ,qua strictiori vinculo se obstrinxit vouẽs,ad castitatem quam iure naturali seruare tenebatur. Quod ipsum intellige de sacerdotibus sęcularibus qui ex statuto ecclesiæ votum castitatis suscipiunt,quorũ votum opponitur copulę carnali tam coniugali,quam fornicariæ. & constat,quia textus omnes absolute de castitate loquuntur. vt patet, *distinctione* 28.*capitu,primo,ibi*,nisi qui se castè victurũ promisserit, *& cap. Diaconi,eadem distinctione ibi*, professi continentiam. *idem distinct.31.cap.*1 *& cap.placuit.& dist.27 cap.*1.Quod est Martini Põtificis,dicitur si dixerit non posse incastitate permanere,hic non ordinetur.Vide Sanchez, *tomo 2.de matrimonio,disputat.27.num.3.& magistrum* Soto,*lib,7,de iustitia & iure,quest* 4.*articu.*2.

Contra supradictam doctrinã occurrit argumẽtum Episcopus est perfectior Religioso,at episcopon noest ita annexa castitas & continẽtia,ergo neq; voto religiosi. Maiorem asserunt doctores 2.2.*quæst*. 184.*articu*.7. & probatur quia Epi propositi sunt populo vt virtutum exemplar,atque ita Mathei 5.appelantur *salterrę & lux mundi*.mi.probaẽ ex diuo Paulo, oportet inquit Episcopum vnius vxoris esse virum, & elegit episcopum Dionysium Areopagitã Atheniensium: quem tamen coniugatum fuisse constat ex cap. 17. actuum Apostolorũ,& Turonica Synodus 2,*Canon* 13,*&*14,vxorem Episcopi appelat episcopam. ergo non repugnat religioso status coniugalis.Respondetur,Episcopo solo iure ecclesiastico annecti castitatem & con-

tinen-

tinentiã ratione ordinis sacri. quare (vt ait Sãchez, *tomo 2, de matrimonio disputat. 27. num. 13.* Si episcopus tãtum electus & cõfirmatus esset & nondum in sacris constitutus, non teneret ratione status ad castitaté. ratio est, quia status coniugalis non habet repugnantiam cum ministerijs episcopalibus, sed tantũ ex quadam honestate & decentia oportet episcopum à coniugio abstinere; quod secluso iure ecclesiastico non transit in prȩceptum, vt dictum est. Ad argumentum igitur dico. quod quamuis Episcopus sit perfectior religioso, & episcopi sint exẽplar, & status religiosus sit imperfectior in ordine ad alios perficiendos cum perfectio episcopi actiua sit; at in ordine ad propriã perfectioné assequendam est perfectior, & claudit mortem spiritualem perfectam. Quare, sicut non obstante ea maiori perfectione episcopatus, nullo iure est ei annexa paupertas, quæ tamen est de essentia status religiosi (vt probauimus supra) ita nec castitas nisi ex iure ecclesiastico ratione ordinis sacri qui necessario prȩmittitur consecrationi episcopali, ita docet noster Ledesma, *de matrimonio, quæst. 53. articu. 3.*

Dubium.

AN Peccatum contra votum augeatur ex multiplicatione votorum circa eadem materiam?

Pro decisione huius dubij, Notandũ est, quod cum pecca

peccatum consistat in transgressione obligationis,& consequẽter pro varietate & modo obligationis voti est de peccatis illi contrarijs iudicandum, ideo merito specialiter quęritur, An peccatum contra votum augeatur ex repetitione seu multiplicatione votorũ circa eamdem materiam. v. g. Siquis sępius emisit votum castitatis, & postea castitatem violet, vtrum peccatum illud habeat tot malitias quotfuerunt vota castitatis emissa?

Inquo dubio dico primo, in illo peccato tãtum esse vnam malitiam, ducor, quia per illa vota non multiplicantur obligationes, sed eadẽ confirmatur, & repetitur admodũ promissionum hominum de eadem re eidem homini, & eodem titulo ac firmitate factarum quæ quidem non multiplicant obligationem, nec honestates multiplicãtur in actu quo talia vota seruantur. Ergo neq; malitiæ solo numero differẽtes multiplicantur in eodem actu vel omissione.

Dico secundo, quod ex illa repetitione votorũ potest accidẽtaliter augeri malitia transgressionis. Hoc probatur, tum quia quod pluribus titulis debet̃, magis debetur saltem extẽsiue, & ideo non reddere tale debitum aliquam maiorem deordinationem continet. Sicut in gratitudo maior est, quo beneficia sunt plura etiam si non sint distinctę rationis. Tum etiam quia illa votorũ repetitio dese magis excitat ad voti obseruationem, ipsamque obligationem magis in memoriam reuocat, & ideò talis transgressio est magis

volun-

voluntaria & ex maiori contemptu saltem virtuali.

Nihilominus dico tertio, hanc grauitatem non esse talem perse loquendo vt oporteat circunstantiã illam in confessione explicare. probatũ, quia nec mutat speciem vt constat, nec est ita notabilis vt mutet notabiliter iudicium, vel specialem obligationem inducat aut peculiari indigeat remedio. ergo. Dixi perse loquendo vt excludam circunstantiã scandali vel contemptus formalis, & alias similes. Hęc doctrina sumitũ ex magistro Medina, 1. 2. *quæst. 72. articu. 6.* Vbi de uotorum obligationibus loquitur. & inquit, non multiplicari per similia vota, & consequenter nec peccata in eorum transgressione, quam æquiparat trãsgressioni plurium legum idem sub eadem virtutũ ratione pręcipientium, aut prohibentium. Peculiare autem dubium habet si vnum sit solemne & aliud simplex, vel sint duo solemnia diuersarũ rationum, vt sacerdotis, & religiosi, Vnde insurgit illa quæstio, An sacerdos religiosus castitatem violans satisfaciat dicendo, peccasse cõtra votum castitatis, vel dicendo se esse religiosum, vel tantum dicendo se esse Sacerdotem, vel teneatur vtramq; circunstãtiam explicare. Sed quo ad præsens spectat dicendum censeo, quantum est ex parte voti satis esse voti circunstantiam aperire vide Sanchez, *lib, 7, de matrim, disputat, 27, annum* 22.

Sed quid dicendum si quis habens votum ieiunij vel aliud simile, postea faciat votum implẽdi tale votum, numquid peccatum contrariũ habebit distinc-

ctam malitiam? videtur quod sic quia illud votũ distinctum est,& circa distinctam materiã. Materia enim vnius est ieiunium, alterius autem materia est obseruantia voti. Ergo franguntur ibi duo vota diuersarũ rationum, ac per consequens sunt duę malitię in tali actu. Cõfirmatur primo, quia siquis voto facto adiungat iuramentum seruandi votum, posteaq; frangat votum duas cõmittit malitias, ergo similiter in præsenti. Confirmatur secundo, siquis voueat seruare prę ceptum duas cõmittit malitias in fractione prępcepti, ergo etiam in præsenti.

Nihilominus respondetur. tantum esse vnum peccatum in casu nostro. immo idem esse iudiciũ de tali peccato, quod de transgressione voti sępius repetiti circa eamdem materiam. Ducor hac ratione. Votum seruandi prius votũ ieiunij v. g. Nihil est aliud quam iteratum votum ieiunij alijs verbis explicatum. Declaratur hoc, vouens ieiunium, in actu exercito (vt ita dicam) vouet implere illud idem votum; quia ex vi illius met voti obligatur quis ad implendũ ipsum, ergo non potest separari illud votum ab obligatione fidelitatis seruandi idem votum: quę obligatio ab ipsomet prouenit. Ergo in virtute includit illam veluti reflexionẽ in se ipsum, vt promittendo rem promittat sui obseruationem. Vnde etiam è contra, vouere seruare votum ieiunij, nihil aliud est quam vouere ieiunium seruandum ex obligatione voti, ergo illa duo vota in re nõ sunt distincta quo ad obligationẽ quam

inducunt.ergo nec peccata transgressionis oppositæ inde multiplicantur. Ad argumentum de iuramẽto & voto respondetur, quod non est simile quia iuramentum addit circunstantiam, & obligationem distinctæ speciei ab obligatione voti. Erit autem simile si non comparetur iuramentum ad votum, sed vnum iuramentum ad aliud vt si quis iuret seruare votum & postea iuret seruare illud iuramentum, non addet obligationem distinctam à priori iuramẽto, nec transgressio opposita habebit plusquam vnam malitiam contra vtrumq; iuramentum præter aliam cõtra votum propter eamdem rationẽ. De præcepto item ad votum comparato, non est simile, quia vt constat, inducit obligationem distinctę rationis. Erit autem, eadem ratio si pręceptum feratur de seruãdo pręcepto, quia etiam ibi non multiplicãtur malitiæ cõtta pręcepta.

Hinc deducitur pro materia de pænitẽtia, dum obligat præceptũ audiendi missam ratione duplicis festi concurrẽtis: vt si festum incidat die dominica; aut ieiunij vigilię incidẽtis quatuor temporibus, aut quadragessima, vnicam esse malitiã transgredi pręceptum illud, atque ita sufficiẽter fateri dicẽtem se ieiunium aut festum violasse: quia illa duo pręcepta sub eadem ratione formali obligant intuitu eiusdem virtutis. Vt si est festum, intuitu religionis, Si ieiunium intuitu temperantiæ. Atq; ita contra Nauarrum, *summa Hispana cap.* 28. *addit ad num.* 5. *cap.* 11. *& Ludouicum Lopez,*

instruct.

instruct.cap.29.quæst.1.& Manuelem *tom.1.summæ,secũda eddit. cap,23.num.3.*Dicentes esse malitiam diuersam specie docent vnicum esse peccatum Alexander, *in inchirid. part.2,statim in principio,titu,de discretione peccatorũ nu,11,Enrriquez lib.5.de pænitentia,cap,5. Vasquez 1.2.q.72.arti,6.dispu, 98, num,8,& sequenti.Emmanuel Sa,summa verb,confeßio,§ quidam putant.*Magister *Petrus Ledesma,summ.sacrament.tract.de pænitentia,cap,19.* & quamuis multiplicatio illa preceptorũ malitiam transgresfsionis augeat,& ita non nulli fatẽtes esse vnam peccati speciem asserant,eam circunstantiam tanquam notabiliter aggrauantẽ esse in confessione declarandã vt supra tetigimus,& refert Vasquez *eadem disputat. 98,num,* 10,At verius est quod cum Alexandro,& magistro Ledesma,& Sà proximè citatis docet ipsemet Vazquez,*eo num,*10,non ita notabiliter aggrauare vt sit necessario in cõfessione detegenda.Quod si in fauorem prioris sentẽtiæ adducas transgressionem voti & iuramẽti de eadem re,duplicem malitiam specificam habere,cum tamen prohibeant̃ diuersis preceptis intuitu tamen eiusdẽ virtutis. respondetur,rationem esse quia diuersa ratione formali pertinent hæc ad virtutem religionis, vt benè docet Enrriquez,*dicto capitu 5num.6.*Quia voti obseruãtia præcipitur vt fides debita deo seruetur,iuramenti autẽ ne Deus in falsum testem inuocetur.

Nec obstat etiã quod adducit Nauarrus prose,duplex admittere peccatum Religiosum Frãciscanum die veneris, in quo incidit vigilia, non ieiunantem:

alterum contra pręceptum ecclesię,alterũ vero contra regulam pręscribẽtem illi ieiunare sextis ferijs. Ad quod respõdet Vazquez,*eadem disputatione 98.num,9,* id euenire quia violat pręceptum duplicis virtutis alterum abstinentię,seu temperanrię ad quod pertinet ecclesiasticum ieiunium,alterum autem religionis.Quia ex voto obedientię tenetur regulam obseruare: quod si non vouisset, sed regula more alterius legis ieiunium illud pręscriberet,vnica tantum esset culpa illius transgressio.

Hęc ita minutim & sparsim circa materiam trium votorum regularis obseruantię tanquam valde necessaria inmedium adducere censui,vt cognoscant ordinum professores quando & quomodo circa ea quæ Deo vouerunt, peccant. & animaduertant rogo tàm fratres,quam eorum confessores in ordine pędicatorum vt sciant,quę pręcepta posita,quę etiam excommunicationes latę sunt tàm in cõstitutionibus,quam in actis capitulorum generalium & prælatorum ordinationibus: ne absoluant à casibus reseruatis,quoniam vltra quod absolutio est nulla, sacrilegiũ committent.Si enim obligamus sæcularium confessores ad sciendum casus &censuras superioribus à iure vel obhomine reseruatas,vt sapiẽtissimus dominus Caietanus in summa,verb.confessor,in principio, confessores admonitos vult,quos (inquit) à peccato mortali absq;hac scientia nescio excusare,quanto magis obligabimus confessores regulariumpersonarum ad

scien

ſciendum ſaltem communia quę reſeruantur in ordine, in quę ſolent non numquam incidere pænitentes. Hæc vero ſcientia non exigitur ita exacta vt omnia peccata excommunicationes &c. in promptu habeant. ſed quod ita ſciant vt audiendo confeſsiones ſaltem ſciant dubitare de excõmunicatione, de caſu reſeruato, ita vt habito cõſilio ſeu recurſu ad librum valeant iudicare. Ratio autē neceſsitatis huius ſcientiæ eſt, quia ſine illa officium iudicis exercens erit, quaſi ſi cęcus cæco ducatum præſtet: & non niſi caſu rectè iudicabit. Pro cuius maiori declaratione erit ſequens dubium.

Dubium vltimum.

AN ignorantia pręceptorum, tam conſtitutionũ quam capitulorum generalium & prouincialium, excuſet religioſos à peccato?

In hoc dubio Notandum eſt primo, nos Religioſos non teneri maiori vinculo ad pręcepta regulę obſeruanda, quam ad præcepta naturalia diuina & humana eccleſiaſtica Deus nos obligat. & ita in omnibus caſibus in quibus lex diuina, naturalis & humana excuſat homines; in his etiam omnibus pręcepta Regulæ & capitulorum nos excuſabiles reddit.

Nota ſecundo, quod quãdo caſus non eſt adeò certus, ſi tamen Religioſi vtentes epicheia non ſeruant

 ali-

aliquod prçceptum intelligẽtes ad eius obseruãtiam minimè teneri in tali casu, cuius contrarium est verum, videlicet quod obligantur in eo casu ad obseruantiã talis prçcepti: Tunc bona fides religiosorũ eos à peccato mortali excusat. Quamuis venialiter peccant quia suum sequentes iudiciũ legem transgredi ausi sunt. quæ admirabilis doctrina & timoratis maxime cõsolatoria vt clarior fiat, exemplis illustratur. Prçtermittit quis ieiunium aut diuinum officiũ propter quamdam corporis ęgritudinem intelligens ipsam ab obligatione ieiunij & officij diuini recitandi omnino excusare, quod si aliter intelligeret nullo modo prçtermitteret, quamuis prædicta ægritudo in rei veritate minime sufficeret, at propter bonam fidem non peccaret mortaliter præcepta supradicta transgrediẽdo. Hęc doctrina est Caietani *2.2. quęst. 147. articu. 3. & in summa verb. ieiunium. Nauarri prælud io 9. numero 14. & capitulo 21, numero 23. numero 43. Armillæ verb. ieiunium num. 3.* & hanc propositionem ponit Corduba in materia Regulæ fratrum minorum, capit, 10, quæst, 3, dicens, quod quãdo aliquis frater non obseruat aliquod prę dictę regulę præceptum intelligẽs in tali casu ad eius obseruantiam minimè teneri, quamuis ipse re vera fallatũ, cum causa excusans reputata ab ipso sufficiẽs sit reuera insufficiẽs, non peccabit mortaliter. Hęc tamen pia & rationabilis doctrina, in Religiosis timoratis est admittenda, non vero in his qui consciẽtiam Cauterizatam habent, de quorum deprauato iudicio

non

non est fidendum pro vt aduertit Magister Cano, in *Relectione de pænitentia, quinta parte, propositione* 4. *In casu quasi simili*. Quod ipsum in casibus nostrarum constitutionum & prælatorum præceptis censeo esse sequendum. His suppositis & relicta multiplici differentia & distinctione ignorãtiæ, in iuris & facti, in antecedentem & concomitantẽ quam in alijs locis videre potes, tantummodo adducam quæ adrem nostrã attinẽt, & iuxta exigentiam finis intenti. vnde sit.

Prima conclusio, ignorantia inuincibilis alicuius præcepti excusat ab eius obseruantia. Hæc Conclusio clara est, & probatur facili ratione. Nam cum peccatum non posit esse nisi voluntarium, & nihil sit volitum quin præcognitum, sequitur quod deficiente prçcognitione ratione ignorãtiæ, sic deficit voluntas, ac per consequens peccatum a volũtate necessario dimanans. Quia cum ignorantia prçcise cõsiderata non sit aliquid voluntariũ impossibile est quod in ea præcise consistat peccatũ, sed consistit in negligẽtia sciendi illud quod vnusquisque tenetur & debet scire, quç negligentia ad voluntatem nolentem apponere diligentiam ad sciendum, reducitur, Ita Castro, *de potest. Legis pænalis, lib.* 2. *capitulo*. 14. Vnde cum in ignorãtia in vincibili non inueniatur negligẽtia volũtaria à qua actus nomẽ peccati sortiatur. Sequitur quod talis ignorantia non sit peccatum. Hęc ignorantia solet appellari antecedens & in culpabilis, probabilis & iusta. Dicitur antecedens, non respectu eius quod ex ignoran-

rantia quæ est causa actus, diceretur antecedẽs cum causa effectum antecedat Sed dicitur antecedens, respectu liberæ voluntatis, vt pote quæ nec directè nec indirecte est voluntaria, & ita omnem actum voluntatis antecedit. Dicitur inuincibilis, quia aut excludi nequit, aut non debet. Dicitur autẽ probabilis, iusta & inculpabilis, quia sine culpa & bona fide cõtracta est.

Sed obijcies, impossibile esse dari inter religiosos ignorantiã invincibilem respectu suę regulę, & constitutionum eos à peccato mortali excusantem Quod probatur, quia omnes religiosi antequam professionẽ emittant prçcepta suæ regulę diligenter addiscunt & eis intimãtur, vnde quando professionem emittunt præsupponitur ipsos habere huiusmodi notitiam sufficientem. Iuxta leg. *Qui cum alio contrahit ff. de Regulis iuris*. Ergo. Ad hoc respondetur, quod consideratis difficultatibus quę circa constitutiones & regulam quotidie excitantur; maxime circa tria vota essentialia (vt patet in difficultatibus supra adductis) non est dubium circa non paucas earum dari inuincibilem ignorãtiam in aliquibus fratribus parum literatis, qui cum literarum studijs parum fuerint occupati non est mirum quod prædictæ difficultates inculpabiliter ipsos lateant. Ac per consequens invincibilis ignorantia eos excusabit, sicut excusat in alijs præceptis diuinis & humanis. Confirmatur hoc ex doctrina Innocentij, *in capitulo per tuas, de Simonia el segundo, num. 4.* dicentis non esse peccatum mortale transgres-

gressionem alicuius legis humanæ ex eo quod ipsa variè a doctoribus intelligit propter suam maximam difficultatem & obscuritatem. Quam doctrinam ait Nauarrus in capitulo nullã, nu. 22. esse cõmuniter receptam. Ad obiectionem inquam respõdetur quod nouitij ante professionem solum præcepta cõmunia Regulæ, & quæ in ea clarè & expræsse continẽtur addiscunt, non vero alias quęstiones circa pręcepta & vota à doctoribus excogitatas. Vtrum scilicet in tali casu obliget nec ne. Quę cum a Religiosis simplicibus iustè ignorẽtur, non est cur propter eorum transgressionẽ eos reos peccati mortalis iudicemus. Maxime si ea transgrediãtur consulendo prius religiosos doctos aut suum pręlatũ, quid ipsi in tali casu facere licitum sit. & notandũ maxime est quod ad vincendam ignorãtiam præcipue in casibus quotidianis, non tenetur quis ad alias partes ad consulendũ ire, nec epistolas mittere ad id efficiendum, sufficit enim quod cum doctis quos ad manus habet veritatẽ casus illis patefaciẽdo, ineat cõsilium: quia leges humanæ non obligant nos ad maiorem diligentiã quam quod non simus nimis aut notabiliter negligẽtes ac remissi ad sciẽdum, aut quod non simus inlata culpa aut in dolo ignorandi: sed vt adhibeamus eam diligentiã quam alij homines nostri status & qualitatis circa talẽ legem aut negotium cõmuniter habere solent, aut habent rationabiliter. Ignorantia enim iusta & inuincibilis dicitur, non quia talis ignorans non possit eam

 simpli-

simpliciter vincere faciẽdo totum quod in se est, nam simplex Parochianus dicitur habere ignorãtiam inuincibilem de ieiunio quãdo suus sacerdos non pronunciauit die solito, quamuis talis ignorantia simpliciter vinci & tolli possit; quia tamen fecit quod debuit eundo ad ecclesiam vt cõmuniter faciunt alij parochiani, ideo dicitur illum laborare ignorantia inuincibili. Ita latè Corduba, *lib. 2. q q. quęst. prima.*

Alia est ignorãtia vincibilis, quę & consequẽs etiam dicitur quia sequitur voluntatem, vt pote quæ vere volita est aut directe, vt cum est affectata: aut indirecte, quia potuit ignorans & tenebatur illam expellere. Qua ratione dicitur vincibilis; vinci enim potuit. Culpabilis & iniusta & improbabilis, eo quod culpabiliter contracta sit, pro quibus sit.

Secunda conclusio. Ignorãtia affectata efficit transgressionem pręcepti grauiorem. Ita Sãctus Thomas, *1. 2. quæst. 76. articu. 4. Gabriel in 2. sentent. distinct. 22, quæst. 2. conclus. 3. Alma in moralibus, tract. 1. cap. 6.* & probatur ratione Volens ignorare legem aut circunstãtiam per quam retrahi posset à peccato, magis contemnit, & talis volitio est magis voluntaria, qua quis vult non solum ignorantiam sed etiam peccatũ quod ex ea sequitur & malum finem à quo mouetur, ergo grauius peccat. Consequentia patet, quia vult multa mala, pluralitas namq; obiectiua cęteris paribus auget culpam actus. Antecedens probatur, quia ille taliter ignorans magis contemnit, qui non solum auertitur à dictamine

ratio

rationis, ſed ab ea ſcientia qua ipſa ratio recte guber natur & retrahi poſſet à peccato. Vnde ait Diuus Ber nardus, qui ſcire non vult, ideſt, qui poſsitiue vult neſcire, non de ignorantia ſed de contemptu iudica- bitur. & Diuus Ambroſius ſuper illud Lucæ, 12. *qui cog- nouit voluntatẽ domini, &c.* ait, qui cum poſſent ſcire ſi ve- lent ſtudium adhibere, non ſunt neſcientes, ſed con- temptores iudicãtur. Vnde grauius peccat qui habet pro obiecto grauiorem finẽ, ſcilicet peccare ſine re- morſu cum maiori libidine, & alia peccata inde pro babiliter ſequuta. Vide Sãchez, *lib. 1. ſuper pręcepta decal. cap. 17. num. 5.*

Sed pro maiori horum declaratione notãdum eſt, quod in peccato ex ignorãtia affectata ex malo fine, duo includũtur. Primum eſt, velle ignorare. Secũdum eſt, ex tali ignorãtia agere vel omittere aliquid con tra legem. & quamuis hoc ſecundum peccatum ſi ſe- cundum ſe conſideretur ſit minoris grauitatis & con temptus, quam ſi fieret ſcienter cum cognitione pec cati: at ſi conſideretur ſimul cum ignorãtia affectata ſeu (quod idem eſt) cum volitione ignorandi à qua procedit & cum qua manet actualiter, eſt maius & grauius peccatum non ſolum extenſiue ſed etiam in tenſiue, quam ſi ipſum met peccatum fieret ſcienter. quia quamuis ratione ignorantię ſit minus graue vt pote minus voluntarium, & cum minori contemptu tamen ex parte volũtatis ipſius ignorãtiæ, eſt magis voluntarium habetq; magis de contẽptu, & ideo ſim

 pli-

pliciter aggrauat. Dixi ignorantia affectata ex malo fine; Nam si loquamur de tali ignorantia ex bono fine aliter venit dicendum, scilicet quod non aggrauat peccata quæ ex ea sequuntur, immo alleuiat, quia in ea non est ratio contemptus vel libidinis, sed conatus praue voluntatis ad malum. Nec est maior malitia ex obiecto, fine, aut circunstantijs proueniens) sed minor quam si scienter fieret aut peccaretur. hoc patet, tum ex parte talis ignorantię, tum etiam ex parte boni Zeli quamuis in discreti, & ex parte bonę voluntatis respectu boni finis intenti. Talis fuit ignorantia Diui Pauli ante eius conuersionem ad fidem. De qua ipse 2. ad Timotheum cap. 1. fatetur se ignorãter peccasse persequẽdo ecclesiam Dei, ex Zelo legis Moysi indiscreto, vt ait Caietanus 1. 2. *quæst. 79. artic. 4. dubio 4.* Quippe quamuis ipse videatur se diligẽtiam fecisse ad legem veterem sciendam & defendẽdam ex zelo ipsius, vt ipsemet ait ad Galat. cap. 2. ac per cõsequens non habuisse prædictam ignorantiam affectatam ex malo fine & vt prauam peccati affectionẽ prosequeretur, at vero quia illam ignorantiã habuit ex nimio Zelo veteris legis, credebat enim iniuriam fieri legi & ipsi Deo, si relicta vetere lege fidem Christi susciperet quam malè putabat erroneam. Ideo ista eius affectata ignorantia non fuit ita grauis sicut alia affectata ex malo fine procedens, ad liberius affectionem prauam prosequendam. Vnde ait ipse Sãctus Paulus. Misericordiam consequutus sum quia ignorans feci.

non

non ignorantia affectata ex malo fine, sed ex bono cum conscientia tamen erronea.

Ex quibus colligitur religiosos magis peccare ex ignorantia affectata peccantes contra Regulę & prelatorum suorum pręcepta, quam si scienter transgrederētur, cum eorum ignorātia affectata ex malo fine procedat, & nullo bono Zelo etiā in discreto possint prædictam ignorantiam in bonum finē dirigere. Quorum paucos existimo inueniri posse in Religione qui positiue nolint intelligere vt bene agant. Laborātes vero ignorantia crassa & supina pręceptorum & ordinationum multos reperiri posse existimo. pro quibus sit.

Tertia Conclusio. Alia est ignorātia vincibilis crassa & supina, & est quæ procedit ex negligētia inquirendi sciēda, quæ quidem non affectatur sicut pręcedens, neque est volita formaliter sed interprętatiue quia scilicet negligitur cognitio, & potest vinci si velit homo debitam curam ad sciendum opponere. Pro quo aduertendum est, quod ignorantia crassa differt à supina in causa à qua procedit & oritur. Quippe crassa dicitur quæ procedit ex desidia & pigritia laborandi ad acquirendam debitam sciētiam, quę negligentia quia frequēter ad hęret hominibus crassis & pinguibus, ideo dicitur Crassa. Supina autē dicitur, quia ex nimia solicitudine ad terrena mundi fit in homine difficultas & incuria mētis ad dirigēdum ad sciendum ea, quę illi salutaria sunt & conueniētia. Quippe

 plu-

pluribus intentus minor est ad singula sensus. De quibus Hieremias, *cap. 4* inquit. Sapientes sunt vt sapiant mala, bene autem facere nescierũt. *& apud Matheum 13 & Lucam* 8. dicitur. Quod solicitudo sęculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum Dei. Vnde dicitur supina ignorantia quia tales homines considerationem rationis & desideriũ, vt talpa interrenis demersum habent; non eleuantes seipsos ad debitam consideratio nem ad affectionem salutarium. vt ait Magister sentent. *in secundo distinct.* 22. Ad hanc supinam ignorãtiam reducũtur illi, qui ex auaritia, ambitione & huiusmodi se intromittunt in multis officijs ad quę simul vel diuisim debitè exercenda non sunt satis apti. Neq; sufficienter instructi neque potentes vt ad prę laturam vnam vel plures quæ non possũt debitè exerceri ab eis ignorantibus multa quæ ad ea scire oportet. Ad hanc etiam ignorantiam reducuntur illi Religiosi qui in Religione non apponunt diligentiam necessariam ad sciendum ea quæ ad eorum statum rectè, dirigendum iuxta vnius cuiusq; gradum, sunt pręcisse necessaria. Ignorãtia hæc Crassa & supina non excusat simpliciter à tota culpa peccatum inde sequutum, sed solum excusat à tanto, seu in parte; ac per consequens simpliciter alleuiat peccatum. Primum dictum probatur. quia omittit culpabiliter contra legem præcipientem inquirere quæ necessaria sunt ad salutem. Contra illud, Eccles. 16. *cogitatum habe in præceptis, & in mandatis illius aßiduus esto.* Quod vero excuset & alleuiet

cul-

culpam, probatur, quia ratione talis ignorantiæ est minor contemptus quam si sciẽter fieret, minorque conatus & libido. nam cæteris paribus minor conatus, minorque libido est in omissione in qua est voluntariũ interprętatiue, quam in cõmissione in qua est voluntarium formaliter. Ita Sãctus Thomas 1. 2. *quæst.* 76. *articu.* 4 Immo esse aliquam ignorantiam minuentem culpam est de fide. Vt constat, *ex capitu.* 15. *num. exodi* 21. *lucæ* 10. Ratio est suprapoſita, quia scilicet minuit voluntarium. Vide de hoc. Sãchez, *lib.* 1. *in præcepta decalogi, capitu.* 16. *&* 17.

Sed difficultas est. An ignorantia sit circunstantia necessario confitenda? Id est, an sit necesse explicare quem piam an sciẽter, an potius ignoranter ignorantia culpabili peccauerit?

Aliqui affirmant necessarium esse explicare peccatum fuisse scienter ad missum, eo quod distinctam malitiam specie importat. Ita Adrianus, *in* 4. *tractatu de confeßione, quęst.* 4. *in* 2. *parte illius*, vbi de circunstãtijs loquitur. Medina *capitulo. de confeßione, quæst. de circunstantijs mutantibus speciem.* Sed melius Nauarrus, *in capitu. consideret in principio à num.* 52. *vsq; ad* 79. *de pęnit. distinct.* 5, *&* *Suarez tomo* 4. *in tertiam part. diſputat.* 22, *sectione* 4. *num.* 14. Negãt id esse necessarium. quia eiusdem speciei & malitiæ moralis est peccatum cum hac ignorantia & cum sciẽtia admissum & quamuis scientia aggrauet, non tamen ita notabiliter vt necessarium sit in confesſione explicare. Addit tamen Suarez aliquãdo id necessariũ

expli-

explicare inordine ad cēsuras ecclesiasticas, quippe ab illis sępe ignorantia excusat. Similiter dicendum est quando ea ignorantia mortaliter vincibilis excusaret à mortali transgressionem præcepti humani, quamlibet namque circunstantiam minuentem ita vt ex mortali efficiat veniale, est necessariam explicare. Similiter quando ignorantia est affectata, & si Nauarrus, *in summa Hispania, capitu, 6. num, 12, & latina nu, 12.* dicat, eam non esse necessario explicādam in confessione quamuis affectata sit & ad finem liberius peccandi. Sic tamen distinguendum censeo. Si ille ignorans exponatur periculo admittēdi alia peccata ratione illius ignorantiæ affectatę, siue affectetur ad finem liberius peccandi siue ad alios fines, & aduertat ad periculum: tenetur talem ignorātiam fateri, quippe mutat speciem. Tot enim peccata ille committit quot committēdi periculo se exponit. Vt si velit fæminam cognoscere, & affectet ignorare quæ nam sit illa, vt liberius peccet vel ne eius culpa ita grauis sit. Hic enim exponitur periculo incestus, & adulterij, & sacrilegij. &c. Si autē tali periculo non exponatur quia nouit fęminam alio statu pręter coniugatæ carere, & an hunc habeat affectat ignorare aliam rem in qua non est aliud pręter peccati determinati periculum: tunc si ignorantia non affectetur ad liberius peccandū. non est necesse illam explicare, quia non aggrauat sed aliquātulum minuit culpam. Si vero sit ad finem liberius peccandi, notabiliter aggrauat. & ita

sicum

si cum verissima sententia meo iudicio, teneamus circunstantias notabiliter aggrauãtes esse necessario fatendas, dicẽdum est hanc fatendam esse. Qui vero contrarium cẽsent, dicent cum Nauarro hanc fatendam non esse, vt potè quę solum intra eamdẽ speciẽ notabiliter aggrauat. Per supradictam doctrinam regula pręceptorum & excõmunicationum regulę & prelatorum, ignorantiam. & vt nostri ordinis professores minus excusabiles maneãt, pręcepta & excommunicationes quæ ferũtur in nostris cõstitutionibus hic cõgerere statui, vt tam fratres quam eorum confessores pręoculis habeant

In distinct. prima Capitu. 20. num. 1. fertur excommunicatio contra Apostatas, & num. vltimo fertur excommunicatio contra falsificãtes sigilla Magistri ordinis, vel Prouincialium vel eis sciẽter sic vsi fuerint

In distinctione secunda Capitu. 1. num. 4. fertur excommunicatio contra procurantes Curam monialiũ vel aliarum mulierum vt committatur fratribus nostri ordinis.

In Capitulo Quarto, num. 4. fertur excõmunicatio contra non seruantes quędam in electione Magistri ordinis.

Ibi num. 5. fertur excõmunicatio in cõtradicentes pertinaciter, in electione Magistri Ordinis.

Ibi eodem num, 6. ponitur præceptum contra mutantes statutum ordinis circa electionem Magistri ordinis.

In Capitulo 7.num.5.eſt prçceptum cõtra reuelantes ſcrutinium quod de Capitulo prouinciali ad Capitulum generale mittitur.& eſt hoc prçceptum contra prouincialem & contra ſcrutatores.

In Capitulo 8. num.3.eſt excommunicatio ferenda contra appellantes in ordine noſtro.

Ibi num.9.Ponitur prçceptum nefrater cauſam depoſitionis Magiſtri ordinis vel Prouincialis,vel eorum correctionem vnde ordo turbari poſsit ſciẽter extraneis manifeſtet.

In eodem num.9.& num.11.ponuntur alia duo præcepta, ſcilicet ne diffinitores Capituli prouincialis prioribus prouincialibus, vel Priores prouinciales Diffinitoribus per ſuas diffinitiones prçiudicium aliquod audeant generare.&Gloſſa ibi.Quia authoritas Prouincialis toleretur minueretur, vel limitaretur, & è conuerſo.Et ne aliquis verbo vel facto ad diuiſionem ordinis audeat laborare. & Gloſſa ibi.quãdo per perſonas extraordinem conſtitutas procuratur vt generalis ſtatus noſtri ordinis mutetur, vel conuentus ab obedientia magiſtri ordinis ſeparetur.

In Capitulo 12, num. 5. excommunicantur fratres quçſtus facientes vel bullas prçdicãtes,niſi de licentia magiſtri ordinis.

In capitulo 13.num.7. fertur excommunicatio contra prouinciales & inferiores prælatos,ſi alicui fratri ordinis electo ſeu poſtulato extraordinem ad quamcumque dignitatem,perſonarum ſeu gradum (infra dig-

dignitatem episcopalem) concedunt licentiã accep tandi, vel alio quouis modo prosequendi. & similiter excõmunicantur ipso facto fratres qui huiusmodi dignitates perse vel per alium prosequuntur.

In Capitulo 14. num. 10. fertur excõmunicatio ne quis magistretur in theologia nisi prius exercuerit actus pro forma & gradu prędicti magisterij per quatuor annos adminus in aliqua vniuersitate.

In capitulo 18, num. 1. fertur excommunicatio ne frater nostri ordinis absque licentia capituli generalis (secundum nostri ordinis morem) ad legendũ pro forma seu ad honorem magisterij in theologia promoueri nec gradu huiusmodi magisterij fungi possit, nisi perdictum capitulum generale fuerit approbatus vel pro motus.

Ibi num. 6. fertur excommunicatio à Papa contra sęculares vel Regulares aliquod Monasterium sororum, fratrum prædicatorum ordini subiectarum (nisi in quantum earum cõstitutiones & statuta id patiantur, vel de Sedis Apostolicæ, vel de Magistri ordinis speciali mandato) intrare, aut aliquas sorores inde exire quoquomodo pręsumant.

Hæc sunt quæ circa prologum nostrarum constitutionum, & trium votorum materiam se mihi obtulerunt ad gloriam Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, & Religiosorum profectum.

INDEX

MATERIARVM & sententiarum, quæ in hoc OPERE CONTINENTVR.

 Absol-

Acta

sed.

 requi

lato

Diffi

dem

Reli-

Con-

IVS

L.

LEGATVM.

gula-

Noui-

ten p

ber-

vt ad

non

per

Pro-

REDDITVS.

REGVLA.

Regu-

SACER.

Trans-

præ

FINIS.

ERRATA.

Pag. 11. in prin. dubij. actibus. lege actis.
Pag. 84. Reuerendos pr̃es, lege Reuerẽdis &c.
Pag. 129. lin. 14. Supprioris, lege Superioris.
Pag. 135. prope finẽ, quia proper. lege quia propter.
Pag. 157. lin. 8 Suppriorum, lege Superiorem.
Pag. 158. feceret, lege faceret.
Pag. 228. lin. vlt. poſt, lege poteſt.
Pag. 285. lin. 1. præceptum, lege præceptorum.
Pag. 448. laudant, lege ludant.
Pag. 445. ius omne, lege ius commune.
Pag. 462. Regulis, lege regularis.
Pag. 483. lin. vlt. competum, lege compertum.